CHRISTIANI RODENBURGII ... TRACTATUS DE JURE CONIUGUM IN QUO DE VIRI...

Christiaan Rodenburgh

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
20 A
23

~~140 f 2a~~
C. 3
S. 1
O. 5
N. 31.

13. 8. c. 21

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goo

CHRISTIANI RODENBURGII,

In Suprema Trajectinorum Curia Senatoris,

TRACTATUS DE JURE CONIUGUM

In quo de viri in uxorem poteſtate eorumque obligationibus, judiciis, mutuis gratificationibus, bonorum communione, pactiſque dotalibus, illuſtriores controverſiæ, ad uſum fori patrii, vicinarumque regionum expenduntur,

CUM

TRACTATIONE PRÆLIMINARI

DE JURE, QUOD ORITUR

EX Statutorum, vel Conſuetudinum diſcrepantium conflictu.

ANTUERPIÆ,

Typis MARCELLI PARYS, ſub Turri D. Virginis 1676.

Cum Gratia & Privilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LECTORI S.

DAmus tibi Lector Tractatum noſtrum DE JURE CONIUGUM, ut eo fruaris & benè utaris. Reipſa comperi veritatem ejus, quod antiquis in proverbio fuit, ſponſionis comitem noxam eſſe. Ex quo enim amicis quibuſdam fidem utcunque dederam, de patrio me jure chartis aliquid illiturum, hortari illi primum, ut auſpicarer opus, tum monere, ut promoverem, poſt quaſi ex ſyngrapha mecum agere, ut in lucem emitterem. Ego nequicquam cauſari paupertatem ingenii; negotiorum, quibus deſtineor molem; nec proinde bene caſuras otii adeo interpellati cogitationes. Illi contra inſtare, urgere, uſque adeo, donec, ut vides, perpulerunt. Quos inter jure præcipui amiciſſimus collega D. Henricus Moreelſe gnaviter partes ſuas egit; qui tamen cum de ſuo præſtare potuiſſet vir doctus, quod de meo exigebat, diu diſſuaſit exemplo, quod perſuaſerat eloquio. Adduci itaque me paſſus ſum, ut cruda adhuc, nec ſatis percocta meditamenta in publicum propellerem, ne ſera foret ac ingrata, velut à moratore debitore, repreſentatio, neve creditorum benevolentiam tarditas editoris decoqueret. Et quidem ut ad patrium jus elucidandum animum appulerim, illud me potiſſimum movit, quod viderem Romani Juris interpretationem jam pridem tot illuſtria exercuiſſe ingenia, ut omnis opera in eo impleta, omnis laudis materia exhauſta videatur; patrii

 verò

verò juris partem qui vel tantillam expoliverit, habuiſſe nos neminem: adeo ut primariæ Provinciæ noſtræ civitatis ordinatio, cujus natales jam ſeculo vetuſtiores ſunt, omni adhuc interpretatione careat: cum pleræque aliæ nationes ſuos, & quidem complures ſcriptores celebrent, qui patriis moribus enodandis lucem ingenii porrexerint. Unde ego, ut feliciora aliorum ingenia prolicerem, cepi impetum properato labore commentandi aliquid ſuper duabus Ordinationis noſtræ rubricis illuſtrioribus: quarum una de pactis antenuptialibus ac uſufructu inſcribitur, ac prætereà de bonorum communione, virique & uxoris ſeſe invicem obligandi tractat poteſtate: altera de jure conjugis agit ſuperſtitis, ac eum inter & prædefuncti hæredes erciſcunda familia, adeoque ſimul jura complectuntur conjugalia: non tamen ut Ordinationis contextui adſtrictus, ad ſingulos ejus articulos annotatione defungerer, ſed ut juſto commentario, certóve ordine materiam in univerſum excuterem. In quo dum ſum, cepi animadvertere noſtratia jura conjugalia non uſquequaque convenire cum aliarum Regionum, ne quidem vicinarum, moribus. Unde dubitari ſubiit, quod jus in conflictu ſtatutorum eſſet ſpectandum, contractus nimirum, domicilii, an rei ſitæ, quorſum pertinentes quæſtiones forum quotidie deproperat edere. Eſſet quidem vehementer optandum, ut ſaltem ii, qui uni ſubſunt imperio, uno quoque communi jure regeren-

gerentur: *a* unde & Ludovico primum undecimo, poſt Henrico tertio hanc curam inſediſſe legimus, ut toti Galliarum Regno communes quaſdam conſuetudines conſtituerent, & hunc quidem ejus rei perficiendæ provinciam Briſſonio Iuriſconſulto litteratiſſimo demandaſſe. *b* Quemadmodum & Carolum quintum, nec non filium ejus Philippum ſecundum, in Belgico-Germania noſtra, idem molitos fuiſſe nonnulli narrant. Verum cum rectè ab aliis ſit obſervatum, quæ gentes ſua ſibi jura conſtituerunt, ſalva Republica, vix, imò ne vix quidem, poſſe moveri, rebus quantumlibet ad unum deductis: illud ſaltem in votis noſtris ſit oportet, ut, quas controverſias Principis alicujus auctoritas, non æquè ac olim Alexandri gladius nodum Gordium, diſſolvere valuit, juris atque æqui intelligentes prudenti explicatione dirimerent. Ut ſit demirandum, neminem hactenùs, quod ſciam, ſurrexiſſe, qui materiam illam in univerſum tractare fuerit aggreſſus: quæſtiones enim nonnullas eo ſpectantes ab eruditiſſimis viris ſubinde non inutiliter explicatas eſſe conſtat. Et certè hujus loci tractatio eo difficilior eſt, quo minus præſidii à jure noſtro Romanorum tibi poſſis aſſciſcere; quippe cum Imperator Iuſtinianus toti orbi Romano commune quoddam jus civile, auctoritate ſua, compoſuerit, nulla fuit ei neceſſitas ſollicitudinem ſuam extendendi ad eas quæſtiones,

a *Comineus l.6. c.6. Charond. in Pandect. lib.1. cap. final.*
b *Vide culmen illud eruditionis* Grotium *in Apologetico c.1.*

quæ ſtatutorum diverſitate excitarentur. Suas itaque, ac ſibi peculiares inſpectiones hoc argumentum habet, præter Romanum ac patrium cujuſque jus, tertiam quodammodò juris ſpeciem conſtituens, tracta ſua ex legum conflictu origine. Hunc itaque locum diſcutere, & ad certa quædam capita, & communes regulas revocare inſtitui: ratus, id quod res erat, minori cum famæ detrimento vires ingenii in eo periclitari, cujus tractatio, ſi non bonitate ſua, ſaltem novitate quantulumcunque gratiæ conciliatura videatur; ac errare eos excuſatius, qui à via necdum trita deflectunt, quàm qui jam calcatam ab aliis non tenuerint. Non me præteriebat expediendis hujuſmodi controverſiis neminem parem fore, niſi qui litibus contritus è foro judicium aluerit; adhæc ſatis mihi conſcius eram, quam parum uſu valerem: cæterùm tamen cum jam anni ſint complures, quod forenſia tractem, non videbor alicui jus noſtrum, in quo verſor hactenùs, omninò ignorare. Nec parum quoque me juviſſe confiteor ea, quæ ab aliis, uſu ac ætate provectioribus, acceperam. Ingratus ſim, ſi avunculum quondam meum *D. Petrum Berrium*, judicio civitatis patriæ primum à Secretis, poſt ejuſdem Senatorem ac Scabinum meritiſſimum, ſilentio præteriero; Thaletem meum, à cujus manu, ac inſtitutione me profectum eſſe glorior. Quod non eo dictum eſto, quaſi mea amplius æquo mihi probarentur, ſed ne quis me nullum omnino uſum forenſem ad ſcribendum attuliſſe exiſtimet; quod tamen ſi

facere

Digitized by Google

facere ſuſtinuiſſem, non adeo, ut nunc ſunt mores; foret mirandum. Quotus enim quiſque hodie non cornicatur practicè. Sunt qui perpetuo praxin & mores crepant, cum nunquam forum, nunquam judicium adſpexerint; æquè deridiculi, atque ille Peripateticus Phormio, qui de Imperatoris officio, & omni re militari diſſerere non erubuit; cum nunquam hoſtem, nunquam caſtra vidiſſet: de quo Hannibal ſententiam rogatus, liberè non minus, quàm feſtivè reſpondit, multos ſe deliros ſenes ſæpè vidiſſe: ſed qui magis, quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Quod tamen non eſſet, ut illis adeo ſuccenſeremus, ſi, citra fraudem alterius, ſibi ſolis Saperdæ cluerent; cæterùm ita ferè comparatum eſt, ut qui in hujuſmodi inexpertos experientiæ magiſtros inciderint, poſt alia omnia in uſu haberi videntes, deterioris ſe conditionis eſſe comperiant, quàm qui de bella ſcilicet illa praxi nihil omninò didicerint; eo quod hi protinus ſe dedere poſſint addiſcendis forenſibus; illis autem præcidaneus ſit labor dediſcere, quæ perperam ante didicerant; quibus erudiendis muſici illius legem jure merito dicturi videmur, quem duplicem mercedem exegiſſe ferunt ab his, quos malè inſtitutos acciperet, à rudibus verò & ignaris ſimplicem: quod illi, geminato labore, dedocendi, prius, mox docendi eſſent. Illud clam me non eſt nonnullos fore, quibus hæc commentatio mea vel eo nomine non probabitur, quod vulgatorum ſcriptorum morem adſpernatus, id operam potius

tius dedi, quo dilucidè, ac ſingulatim controverſias excuterem, nec per limitationum, ſublimitationum, ampliationum, declarationum, & ſimilium congeriem lectores, ac memet ipſum involverem: cujuſmodi tamen gregariis auctoribus pragmatellos iſtos videas applaudere, qui ultra formulas, ac doctorum lexica nihil ſapiunt, adeo ut ſi deferatur ad eos quæſtio minus quotidiana, continuò in alium terrarum orbem ſe delatos putent; qui tamen ſua illa cauſidicina, tam egregiè ſcilicet, de re pragmatica merentur, ut ex una lite, tanquam matrice, numeroſam liticularum fœturam procudant; viri tricones, complicare negotia, non evolvere nati. Candidioribus, ac proinde doctioribus hæc ſcripta ſunto; gnarus, quo quis intelligentior eſt, eo candidiorem alieni laboris æſtimatorem fore. Nec eſt, ut invidos illos morer, qui ſimulatque, vel tralatitiæ, ſcriptorem aliquem laudari viderint, protinus obſtrigillant, arrodunt, obtrectant; ſuæ exiſtimationis intereſſe ducentes, ſi alterius cujuſcumque curſum quam citiſſimè ſiſtant. Qui ſicubi aliud ab illorum opinionibus ſenſerit, protinus ſententiam ejus exſibilant, ſuam tanquam ex oraculo pronuntiant, ac mox futiles eſſe chartas conclamant, nec legendas, niſi ab eo qui intemperanter otio ſuo abutatur; in ſumma ita ſe componunt, ac ſi misereret ipſos chartarum, quas author tam crudeliter ſcilicet perdiderit: quorum latratibus tantum abeſt, ut vel tantillum commovear, ut tum potius de ſcriptis meis malè augurari

deſinam

Digitized by Google

deſinam; ubi invidis illis ac blateronibus diſplicere cepero. Præclarè denique mecum actum iri exiſtimabo, ſi modo apud unum, atque item alterum intelligentem, ſi non laudem, ſaltem veniam meruero. Quod ſine hoc quidem adipiſcar, res meas imposterum mihi habebo, mihique intus canam, ac muſis meis, minori cum temporis, ac chartarum diſpendio. Vale.

APPROBATIO CENSORIS.

TRactatus hic CHRISTIANI RODENBURGII DE JURE CONIUGUM, utiliter imprimi poterit. Datum Antuerpiæ 23. Decemb. 1675.

A. VANDEN EEDE
Archidiac. Antuerp. Lib. Cenſor.

Digitized by Google

AD AMPLISSIMUM VIRUM

D. CHRISTIANUM à RODENBURGH,

Curiæ Ultrajectinæ Senatorem, Collegam Amantiſſimum,

CUM DOCTISSIMUM

DE JURE CONJUGUM

Tractatum ederet.

Traiectinæ refers magni decreta Senatus,
Et quæ iura thoros Cæſar habere iubet.
Quid doceant mores, & quid Romana vetuſtas
Diſcit ab arbitrio vir mulierque tuo.
Tuta fides thalamis: reſidet concordia lectis:
Cedunt Doctrinæ iurgia cuncta tuæ.
Non uxor quæritur crudelia iuſſa mariti:
Nec nimium gravis eſt coniugis ira viro.
Non Dominum, ſervamve facis: moderaris habenas:
Et diſtincta tuus munia lectus habet.
Quam facies veneranda thori ſub iudice tanto!
Et quam coniugii regula iuſta ſui!
Cedite Cecropiis quotquot docuiſtis Athenis,
Et Lacedæmonii pallia docta fori.
Romulidûm tibi dicta placent, Digeſta, Novellæ,
Et quicquid dubii Tribonianus habet.
Legibus aſſocians uſum, noſtratia priſcis,
Chriſtiades, *Batavis das pia iura thoris.*
Diſſeris: obſequimur; facibus ſuccenditur orbis:
Nubitur: & duce te, nos iuvat eſſe viros.
Quæ tua cum patriis exponas dogmata roſtris,
Fas tantum Patriâ teſte triumphat opus.

G. DE REEDE DE RENSWOUDE.

Digitized by Google

GERARDI NYPORTII
AD
CHRIST. RODENBURGIUM,

Curiæ Trajectinæ Senatorem, Collegam conjunctiſſimum, Adlocutio.

VIr docte, cum me ſæpiùs compelleres,
Procul ut repoſtis Curiæ negotijs,
Urbe & relicta, in Villula te viſerem,
Quam pura leni Vechta lambit flumine;
Ubi ſolebas fallere æſtivos dies,
Saleſque, ludoſque, & dulces jocos,
Interque amicos ſuaviter convivere,
Frugeſque promere, quas tibi pomarium
Hortuſque amœnus ubere ferunt copia,
Ibi ſtationem rebar, ac aptiſſimum
Locum quieti, fas ubi fuerat tibi
Eſſe otioſo: ſicut is mos eſt meus,
Paterna rura cum reviſo, & paſcua,
Hic pabulantum tunc recenſeo greges,
Campos peragro, flava quæ Ceres colit,
Immitto plantas, arbores iſtic ſero,
Quæ ſint nepotum profituræ ſæculo.
Hæc noſtra ruri ſtudia, rebus ſeriis
Iam tum relictis, ruſticarier in loco.
Aſt tu receptam opinionem infringere,
Soluſque nunquam, & nullibi quieſcere,
Diverſa noſtris cogitans, ediſſerens
Urbana ruri, res viduus uxorias;
Juris volumina advocas in prædium,
Vis Curiarum judicata evolvere,
Queis argumento veritatem hic aſſeras,
Incerta tollere, compoteſque conſilî
Dimittere, ut ne temerè tractent lubrica,

Quies

Digitized by Google

Queis conjugalis ſæpè turbatur thorus.
Hæc ſcripta chartis exarata, ſic placet,
Prælo dediſti; nota fiant poſteris,
Liberque prodi, ac publicam lucem aſpice.
Lætamur omnes, queis Themis cordi; favet
Patronus æqui, plaudit huic operi cliens,
Innupta, nupta, ſponſa cum ſponſo, ſimul
Maritus, uxor: gaudiis reſpondeo,
Ac, inter omnes gratulantium choros,
Monumentum ut ære ſit perennius precor.
Id reſtat unum, paucioribus loquar,
Collega, rebus dum ſtudes communibus
Prodeſſe nimium, propriis ut conſulas,
Noctesque cum jam ſat diu viduas trahas,
Secunda vota, ſi libet, curæ ſient,
Vovens doloris hoc tui ſolatium,
Atque operis acti nunc tibi ſint præmia,
Amica conjunx, lauta dos, & ſanitas.

IN TRACTATUM DE JURE CONIUGUM,

Ampliſſimi, Doctiſſimique Viri,

D. CHRISTIANI à RODENBURGH,

In Curiâ Ultrajectinâ Senatoris, antehac Collegæ, Dilectiſſimi.

ROma Modeſtinos ſibi jactet, Sparta Lycurgos,
Et quicquid magni nominis Orbis habet.
Ingenio clarere ſui Antonina ſuperbit
Chriſtiadis, *cuius non periturus honos:*
Qui Patriæ civis non diſpar, tramite recto
Romanam Batavæ conſociat Themidem.
Plaude, marite, Viri vos cingite tempora nuptæ,
Qui thalami leges, veſtraque iura docet.
Incaſſum laudes ſterilis mea vena referre
Conatur, Palmam Pagina docta dabit.

GERARTUS DE REEDE DE DRAECKESTEYN.

Digitized by Google

AD

D. CHRISTIANUM à RODENBURCH,

J.V.D. *Curiæ Traiectinæ Conſiliarium graviſſimum.*

IUnonis Themidiſque ſimul, vir magna, ſacerdos,
Dum nos conjugii myſtica ſacra doces.
Romanum Batavo miſces, hodierna vetuſtis,
Et ſic legitimi ſtant ſua fulcra thori.
Ut ſcriptis ſit digna fides, Iunone ſecundâ,
Fac ut ſcriptorem dogmata ſcripta ligent.
Tum Themis & Iuno, tibi, ô! Cæleſtis alumne,
Præſidio noctes hæc reget, illa dies.

B. v. Panhuys.

Ampliſſimo, Conſultiſſimo Viro,

D. CHRISTIANO RODENBURGIO

J. C. & Supr. Cur. Traject. Senatori.

DVm ſedet, & cauſas norma Rodenburgius *æquâ*
Ponderat, & trepidis dat ſua iura reis:
Multa viro praxis confert, meditatio multa;
Vnde brevi clarum nomine ſurgit opus.
Nec premit hoc, tanquam nummos poſſeſſor avarus,
Sed populi labor eſt, qui modo privus erat.
Qui ſint municipum fines, quæ iura mariti,
Et quantum charo coniuge nupta minor,
Exponit docta conſultus voce Senator,
Et patriis præfert moribus ipſe facem.
Detrahat inventus vulgus, iuretque beatos,
Non qui rem populi, ſed ſua rura gerunt.
Hoc opus inſani condemnat vota tribulis,
Et docet argento præpoſuiſſe fidem.
Ah cerdo! cerdo! quantum vis, congere! non eſt,
Non eſt vita, ſibi vivere, ſed patriæ!

Anton. Matthæus.

INDEX

Digitized by Google

Index Titulorum & Capitum.

De Operis Argumento. Fol. 1.
De origine iuris maritalis in genere. 2.
De Origine ac Progreſſu iuris coniugalis apud noſtrates. 4.

TITULUS PRIMUS.

De Statutis perſonalibus ac realibus. *Pag.* 14.
Cap. I. *Veterum Scriptorum de Statutis excutitur opinio.* 14.
Cap. II. *De diviſione Statutorum, ac prætereà quæ perſonalia, quæ realia ſint, & num dentur mixta?* 17.
Cap. III. *De effectu Statuti perſonalis & realis, ac ratione ejuſdem, ac prætereà quid juris iis in legibus, quæ non in abſtracto de perſonarum conditione latæ, ſed in actus certos conceptæ ſtatum tamen perſonarum turbant.* 22.

TITUTUS II.

De Jure quod oritur ex Statutorũ diverſitate immoto manente perſonarũ domicilio. 28.
Cap. I. *De Iuris illa diverſitate circa Statuta perſonalia.* 28.
Cap. II. *De Iuris diverſitate circa Statuta merè realia.* 34.
Cap. III. *De Statutis quibus certo actui à perſona peragendo lex imponitur, & quidem circa ſolennitatem.* 43.
Cap. IV. *De licentia teſtandi frequentata Trajectinis.* 52.
Cap. V. *De Statutis realibus quæ circa actus ſeu diſpoſitionis verſantur ſubſtantiam.* 67.

TITULI SECUNDI

PARS ALTERA.

De Jure quod oritur ex Statutorum diverſitate mutato domicilio. 106.
Cap. I. *De diverſitate Iuris circa Statuta perſonalia.* ibid.
Cap. II. *De Iuris diverſitate circa Statuta merè realia mutato domicilio.* 111.
Cap. III. *De Iuris diverſitate circa actus, & quidem ratione ſolennitatis.* 114.

Cap. IV. *De*

Cap. IV: *De diverſitate Iuris, mutato domicilio, circa actus ſubſtantiam.* 116.

TITULUS TERTIUS.

PARS PRIOR.

De pactis quibus obviam itur juris diverſitati, immoto perſonarum domicilio. 129.
Cap. I. *De Statutis perſonalibus.* ibid.
Cap. II. *De pactis quibus obviam itur juris diverſitati, quam domicilio non moto excitant ſtatuta merè realia.* 132.
Cap. III. *De Pactis quibus diverſitati Iuris immoto occurritur domicilio, & quidem circa actus alicuius ſolennitatem.* 139.
Cap. IV. *De Pactis quibus itur obviam Iuris diverſitati, quam immoto domicilio producunt ſtatuta realia, circa actus ſubſtantiam.* 141.

TITULUS QUARTUS.

PARS ALTERA.

De Pactis occurrentibus Juris diverſitati, domicilio mutato. 150.
Cap. I. *De Pactorum effectu circa Statuta perſonalia.* ibid.
Cap. II. *De Pactis mutato domicilio occurrentibus juris diverſitati circa ſtatuta merè realia.* 160.
Cap. III. *De Pactis verſantibus circa ſolemnitatem actus, domicilio mutato.* 166.
Cap. IV. *De Pactis occurrentibus juris diverſitati, mutato domicilio circa actus ſubſtantiam.* 167.

An jus aliquod per Matrimonium conſequantur conjuges circa adminiſtrationem rerum alienarum, vel utrùm per ætatem minores conjuges admittantur ad ſubeundas tutelas aliorum. 169.

PRÆLIMINARIA.

Cujus conjugis intuitu, cuique fini inducta ſit maritalis poteſtas? 183.

Cap. V. *An*

Cap. V. *An & quando repetere poſſit nupta ſolutum à ſe debitum quod citra viri contraxerat auctoritatem.* 189.

Tractatus de Jure Conjugum,

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De poteſtate quam habet maritus in perſonam ſeu corpus uxoris. 195.

TITULUS II.

PARS PRIOR.

Cap. I. *De poteſtate mariti in obliganda uxore per contractum.* 199.

Cap. II. *De jure maritorum circa quaſi contractus.* 222.

Cap. III. *De Poteſtate alienandi inter vivos.* 225.

Cap. IV. *De Poteſtate viri in teſtationibus uxoris, & an, ac quomodo conjux conjugi donet, leget.* 238.

TITULUS SECUNDI.

PARS ALTERA.

An, & quatenus conjux conjugem obliget in criminalibus. 313.

TITULUS III.

Cap. I. *De Iure maritorum circa actiones civiles.* 321.

Caput Alterum. *De Iudiciis Criminalibus.* 354.

TITULUS IV.

Cap. I. *An tollatur aut circumſcribatur maritalis poteſtas antè matrimonium?* 357.

Caput Alterum. *De tollenda, vel circumſcribenda poteſtate maritali ſtante matrimonio.* 362.

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTIANI RODENBURGI TRACTATUS DE JURE CONJUGUM,

PRÆLIMINARIA.

De Operis Argumento.

TRactationem ſuſcepturus de Iure quod virum inter & uxorem intercedit, rectè atque ordine facturus mihi videor, ſi nulla circuitione uſus protinus rem ipſam, de qua agere inſtitui, aperuero. Ius Conjugum intelligo, quo Conjuges de rebus utuntur ſuis, aliud ab eo quod alteri in alterius perſonam propriè competit. Quid enim juris ſit marito in corrigenda uxore, aut in eandem in adulterio deprehenſam licentiæ, & ſi quæ de hoc genere ſunt plura hodiè non tracto: vt planè idem mihi valeat operis hujus argumentum, quod Gallis Rubrica *des Droicts & Appartenances à gens mariez*, quæ in compluribus eorum perſcriptis conſuetudinibus totidem verbis comparet. Diſpeſcam autem commentarium in duas claſſes ſeu locos primarios totidemque libros, eoſque in ſuos deinceps titulos ac capita: altero de poteſtate acturus, qua in uxorem præfulget maritus, altero de rerum ſeu bonorum inter conjuges communione: quarum

rum illa cùm perſonæ ſtatum diſcutiat ac conditionem, hæc rerum reſpiciat ſocietatem, primùm de prima agam: præeunte mihi in hoc Iustiniano noſtro, cui prius de perſonarum jure quàm de rebus agere conveniens viſum fuit. Sed cùm cujuſque rei originem ſpectandam eſſe moneat Pomponius *in l. 1. ff. de origine juris*, operæ pretium facturus ſum, ſi natales primum maritalis imperii, quod juris noſtri pars dominatrix ac princeps ſit, generatim, dein juris conjugalis apud noſtrates ſpeciatim originem ac progreſſum ediſſeruero.

De origine juris maritalis in genere.

Viri in uxorem imperium humano generi coævum eſt. Habet id juris vir & naturæ privilegio, & Dei decreto. Utrumque ſacra commonſtrat Pagina. Et illud quidem rationibus ſeu argumentis adſtructum tribus: primo ducto à creationis ordine. Vir primò creatus eſt, deinde mulier, eminentioris in viro dignitatis ſignum indubium; altero à ſexûs muliebris infirmitate: mulier enim (inquit Apoſtolus) decepta eſt, non vir; accipe à ſerpente qui præterito viro adortus eſt mulierem: poſtremo tracto à fine argumento, in quem mulierem finxit Deus, vt viro cederet in opem laborumque adjutorium. Æquum autem eſt vt imbecillius pareat valentiori, minus illuſtre eminentiori, pars adjutrix ei cui operam præſtare addicta eſt. Ne dicam quod natura major viri ſit ad res gerendas aptitudo, utpote humoris habentis minus, caloris plus. *An non cerni-*

1. Timoth. 2. v. 13. 14.

cernimus (inquit Cicero *de Repub.* 3.) *optimo cuique dominatum à natura cum ſumma utilitate infirmorum datum.* De ſexu in univerſum loquor, de ſingulis mulierum non loquor; non paucas quippe repereris, in æquoreis, præcipuè Batavorum locis, quæ, altum ſtertentibus maritis, ſumma cum ſagacitate quæſtuoſa tractant negotia, quin & apud nos conſpicua mulier eſt (quanquam ejusmodi raræ ſit incurſionis) quæ vel invidenda viris enthymemata torqueat felicius ingenio, quàm ſtamina pollice. Habet itaque maritalis poteſtas à natura ortum adeoque authorem naturæ opificem Deum. Sed & expreſſo Dei enunciato conſtabilitur hæc poteſtas, quod alterum ejus firmamentum eſt: mulier enim ſerpentis illecebris capta, fraudem cum feciſſet Conditoris ſanctioni, pertracto in peccati conſortium viro; dedit & hanc admiſſi pœnam, vt viri in ſe imperium inſtar jugi cujusdam humeris impoſiti ferre damnas fuerit, vibrato in eam decretorio hoc telo: Penes virum erit deſiderium tuum, & ipſe dominatur tibi. Non quod lapſu anterior non fuerit hæc poteſtas, obtinuiſſe enim jam antè in ſo primævo, ſeu innocentiæ, ut loquuntur, statu adductæ ab Apoſtolo rationes evincunt: ſed quod ea, quæ ab initio naturalis fuit, adeoque ipſi mulieri ſuavis, irrepta peccati labe effecta fuerit pœnalis ac proinde ſuavis nonnihil & perpeſſu aſpera; ut rectè dici poſſit tam natam quàm datam legem eſſe, vt vir imperet, vel, ut hoc Dei voce elatum eſt, dominetur uxori. Verùm meſſis hæc propriè Theologorum eſt, quorum commentationibus hæc relinquimus.

Nobilis virgo Anna Maria à Schurman.

De Origine ac Progreſſu juris conjugalis apud noſtrates.

SUMMARIUM.

I. *Quod maritorum jus ex jure Gentium, quod ex jure civili.*

II. *Traject. olim Friſiacis legibus uſos.*

III. *Communio bonorum conjugalis quæ apud nos, Hollandoſque frequentatur, an à veterum Germanorum moribus duxerit originem.*

IV. *Apud noſtrates, Germanoſque juxtà ſerò demum repreſentationis jus innotuit.*

V. *Olim per provocationem cauſæ apud nos terminatæ, Spiras deferebantur in Germaniam.*

VI. *Geldriam noſtramque Provinciam apud nonnullos feuda Imperij audiiſſe.*

VII. *De maritorum poteſtate Gallis, Germanis, Romaniſque priſcis ſemet inter ferè examuſſim conveniſſe.*

VIII. *A Germanorum potius quàm à Gallorum moribus profluxiſſe videri apud nos jus conjugale.*

IX. *Apud Germanos non apud Gallos in perpetua poteſtate innuptæ fuerunt.*

X. *Quid apud Geldros.*

XI. *Quid apud Hollandos ac Vltrajectinos.*

XII. *Burgundicum jus quis, quando apud Vltrajectinos invexerit.*

XIII. *A judicio civitatis patriæ non receptas olim appellationes narrat* Heda.

XIV. *Ad patriæ civitatis normam tamquam diœceſeos metropolis componenda Provinciæ oppida, agerque deficiente loci lege aut conſuetudine.*

XV. *Carolus V. tracta in ſe Reipub. ordinatione hodiernum patriarum legum corpus compoſuit multis è Mechlinienſium jure depromptis articulis.*

XVI. *Idem*

Digitized by Google

XVI. *Idem hodiernam Provinciæ Curiam erexit.*

XVII. *Quæ unamini poſtmodum Ordinum decreto, Philippo 2. abjurato, comprobata ac inſtructione egregia donata eſt.*

XVIII. *Immenſa maritorum poteſtas ut apud Romanos ita apud nos progreſſu temporis magnam paſſa eſt diminutionem.*

XIX. *Quæ Romano jure de tutela ac adminiſtratoris officio prodita ſunt, ad hodiernam maritorum poteſtatem non tuto trahi in argumentum.*

MAritorum in uxoria capita imperium à Deo ac naturali jure, quod apud alios jus Gentium primævum audit, profectum eſſe ſatis demonſtraſſe videor, vt appareat ab hominibus id excogitatum non eſſe, cujus Deus inventor, diſceptator, lator eſt, ut alibi Tullius loquitur. Eò tamen hæc dicta non ſunto, ut quæcunque apud quaſcunque gentes marito tribuatur poteſtas, juris protinus naturalis ſit: ſpectat enim ea iſtoc jure ad conjugij ſtatum, & familiæ Ordinationem. Cæterùm ultrà familiæ & conjugij res ſicubi quid juris marito concedatur, non à natura ſed ab inſtituto hominum eſt. Vt apud Hebręos jus reſcindendi uxoris vota, apud Hollandos vendendi bona; quæ tractatio Grotij eſt *de jure belli & pacis. lib. 2. cap. 5. n.* 8. Quare priuſquam hodierna conjugum jura expediam, haud abs re erit, quomodo olim apud Belgarum veteres ſe habuerit hæc poteſtas conjugumque ſtatus paulò altiùs repetere, quoad cognoſcendum ea quæ de hodierno eorum jure atque conditione dicentur, illoque ex fonte promanarunt illuſtria magis magiſque in aperto ſint.

I. *Maritale jus num in totum ex jure naturali.*

II. *Trajectini Friſiacis olim legibus uſi.*

Belgium Germaniæ Galliæque contermi-num alioquoque atque alio jure uſum fuiſſe demonſtratu facile eſt. De Belgis jam olim ſcripſit Cæſar (*lib.* 1. *& lib.* 6.) inſtitutis ac legibus eos inter ſe diſtuliſſe, ut planè veriſimile ſit quo populorum alterutri vicini Magis ac contermini eſſent, eo proprius ad horum illorumve jura acceſſiſſe, adeoque in Septentrionem ſpectantibus Belgis jus fuiſſe Saxonum juri perquam conveniens. Hinc author eſt Heda in vitâ Davidis Trajectenſis Epiſcopi quinti & quinquageſimi, *ſol. mihi* 292. *in fine.* Populum olim Trajectinum Friſiacis legibus (quæ ferè Saxonicę erant, demonſtrante Siccama ad leges antiquas Friſiæ) uti conſueviſſe; quemadmodum & nuperrimè ſcripſit jus litteraſque ſummè doctus D. Antonius Matthæus *in tractatu de Criminibus tit. de Sicar. Veneſic. & Incend. cap.* 7. *in fin.* libenter ſe de Ultrajectino tractantem jure Saxonicum in partes vocare, quod utriuſque iuris magnam inter ſeſe cognationem eſſe à peritioribus accepiſſet.

III. *Communio bonorum an à Germanis.*

Apud Germanos veteres ipſis incipientis matrimonii auſpicijs monebatur mulier, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prę-lio paſſuram auſuramque. Hinc Batavis in hunc diem pro lege ſervata bonorum omnium communio. Obſervatio eſt Grotij *de Antiquitat. reip. Batav. cap.* 2.

IV. *Apud nos & apud Germanos ſerò inducta repreſentatio.*

Apud Germanos ſerò demum repræſentationis jus innotuit, videatur idem Grotius *cum laudatis ab eodem in annotat. ad lib.* 2. *de jure belli & pacis. cap.* 7. § 30. Inde & apud noſtrates ad Caroli quinti uſque tempora in bonis avitis paternum gradum non expreſsère nepotes, quos ille tandem inducta in locum ſubitione unà cum filiis ad hę-

redi-

Digitized by Google

reditatem admiſit. *Rub.* 23. §.24. *Patriæ ordinationis.* Poſſem per plura ire, ne ea res nos longius ab incepto traheret, ut nec neceſſe ſit pertrahere huc in argumentum terminatas apud nos cauſas, quæ Carolo quinto imperante Mechliniam tranſmitterentur, Spiras antè in Germaniam avectas fuiſſe, juxtà ea quæ prefantur apud nos Ordines in inſtructione data iis qui ſua vice judicant: nec lubeat diſquirere recténe in lite Radelantio noſtro memorata *Deciſ.* 13. Ditio Ultrajectina feudum ſacri imperii audiverit, ut propterea apud nos conſimiles illius imperii conſuetudines vigerent, haud ſecus atque Geldriam tanquam membrum olim ac feudum Romani imperij etiamnum ejuſdem legibus, deficientibus civicis, non illibenter uti ſcribit Goris *in Adverſar. tract.* 3. *c.* 12. *n.*17. Illud operæ pretium eſt inveſtigaſſe à Germanis, an à Gallis jus noſtrum conjugale profluxerit. Si in anteceſſum obſervavero Gallis hic Germaniſque priſcis cum veteribus Romanis ferè ex amuſſim conveniſſe, iiſdem de illo jure utrinque memoratis. Antiquo Latiali jure fœminas in perpetua tutela fuiſſe ex Livio, Cicerone, aliiſque jam multi notarunt. Conſimili tutelæ & apud Germanos veteres ſubditas fuiſſe probat Siccama in libro modò laudato, & poſt eum nullo tamen allato teſtimonio tradit Sand. *Deciſ. Friſic. lib.*2. *tit.*4. *Defin.*1. Antiquo Romanorum jure tutela iſta liberabantur mulieres, ubi in manum viri conveniſſent, cujus poteſtati deinceps vivebant ſuppoſitæ, tractat Cujac. *obſ. lib.*7. *cap.* 11. Virorum poteſtas itidem antiquo Germanorum jure tutelę nexum diſſolvebat, eamque tanquam profuſior abſorbebat, ut à morte demum viri

V. *Qua olim apud nos provocatio.*

VI. *Geldriam ac Ultrajectum audiiſſe feuda Imperij.*

VII. *Qualis apud Gallos olim, Germanos ac Romanos maritalis poteſtas.*

Digitized by Google

alterius tutelę daretur locus. Colligere licet ex allatis ab eodem Siccama. Poſtremò apud priſcos Romanos virilis in uxorem poteſtatis & hic acerbior effectus erat, vt de capite conjugis cognoſcendi, in eamque animadvertendi jus maritis eſſet, idque ex priſco inſtituto fluxiſſe ac in Pomponia quadam Grę cina exercitum fuiſſe comprobat Tacitus Annalium ſecundo: videat, cui vacat, quæ plura in hanc rem ex Livio, Dionyſio, Valerio ſtudiosè, ut ſolet omnia, collegit Tiraquellus *ad Leges Connub. gl.* 1. *part.* 1. *n.* 13. cujus ſingula tacito auctoris nomine recenſuit Lipſius *ad d. lib.* 2. Eandem hanc vitæ neciſque poteſtatem maritos, & apud Germanos veteres habuiſſe argumento ſunt tradita apud Tacitum, & quæ ibidem annotavit Lipſius. Atqui & veteri Gallorum more uxores reſque earum virorum poteſtati ſubjectas fuiſſe, ac idem vitæ neciſque jus maritis competiiſſe in illas, author eſt Cæſar: unde non immeritò addubitaverit quiſpiam, rectiuſne à Germanis quàm à Gallis Virile apud noſtrates arceſſatur imperium. Verùm accuratiùs paulò ſtatum ac conditionem mulierum in univerſum ad mores utrorumque exigens facilè labetur in eam ſententiam, ut Germanis potius quàm Gallis jus noſtrum acceptum tulerit. Nam omiſſo à locorum vicinitate aliundeque ducto jam antè argumento, illud mihi inprimis fidem facere videtur quod apud Germanorum veteres fœminæ in perpetua conſtitutæ eſſent tutela, quâ eaſdem apud Gallos adſtrictas fuiſſe nullibi proditum memini, quin contra innuptas ſui juris ætatem exegiſſe teſtis eſt Duarenus *de Nupt. cap.* I. Apud Geldros autem hodieque obtinet, vt nullos

VIII. *Ius conjule à Germanis.*

IX. *Apud quos & innupta in poteſtate.*

X. *Quid apud Geldros,*

nullos maximè judiciales actus celebret mulier ſoluta abſque interventu tutoris ad hoc ſpecialiter electi. Teſtatur doctum par fratrum Frederic. *ad Conſuetud. feudal. Geldr. tract.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. & Ioannes à Sand. *Deciſ. Friſicar lib.* 2. *tit.* 4. *Defin.* 1. & 3. qui & in Transiſulania idem in uſu eſſe aſſerit, ut & Siccama *d. loco.* Sanè apud Hollandos, noſtroſque Ultrajectinos non ita pridem id juris ab aula receſſit, ut amplius jam neceſſitatis eſſe negetur, quamvis etiamnum formularij in conſcribendis inſtrumentis fœminis curatores aſſcribere conſueverint. De Hollandis atteſtatur Grotius *in ſuâ manuduct. lib.* 1. *part.* 4. *verſic.* (*Staet te letten.*) Et apud nos id palam eſt, ut & Montani noſtri ævo eadem adhuc neceſſitas ſubfuerit. *In tract. de Tutel. cap.* 7. *n.*53. Vnde cum mulierum ſtatus in univerſum ſpectatus cum Germanis, non cum Gallis, nobis conſentiens ſit, vero proprius eſt, & id juris quod ſpeciatim circa maritatas obtinet, partem eſſe Germanici illius juris ſuperſtitem, adeoque à Germanis potius profluxiſſe quàm à Gallis, apud quos non eadem jura in univerſum circa ſtatum mulierum obtinuerint. Atque in hanc ſententiam & proclivior viſus eſt Grot. *lib.* 1. *part.* 5. *verſic.* (*Over des Vrouws goederen.*) Verùm ut ad patriæ civitatis jura proprius accedam, non imperturbata ſemper ſtetêre veterum Germanorum, majorumque noſtrorum jura, vt integra ad nos transmiſſa fuerint: poſtquam enim in Davidis Burgundi manus Epiſcopalis conceſſit mitra, multum Burgundici juris, deleto populi avito, invectum fuit; nec jura duntaxat immutata, ſed & ipſa enervata judicia. Erectus novus judicum conſeſſus (non

XI. *Quid apud Hollandos ac Ultrajectinos.*

XII. *Burgundici juris inductio,*

XIII. *An à judi-*

eio civitatis olim appellatum.

leve oppreſſæ civitatis argumentum) qui ab invitiſſimo civitatis magiſtratu, omnis tum provocationis immuni, deinceps appellaretur. Heda *in vita Davidis fol. mihi.* 294. *lit. ll. & ibi Buchel.* Sed mox, ab obitu Davidis, ſua populo reſtituta jura, quęque mutari, aut noviter figi ex re eſſet, per comitia condi, ut in civitate ingenua, quæ tum quaſi togata Romana (cum Hortenſio loquor) uſa libertate ſuis legibus vixerat. Authores ſunt Heda & in primis Hortenſius ſeceſſionum Ultraiectinarum(mallem indigitâſſet rerum) ſcriptor nobilis. Quam dulcem mihi patriam

XIV. *Civitatis leges ſequuntur oppida ac ager.*

caput omnium Provinciæ oppidorum jure meritò prædicaverim. Ad cuius civitates leges ac normam, non tantum ut univerſus Provinciæ ager, pauculis duntaxat aliter conſtitutis, ſe componat, jam pridem expreſsò Ordinum decreto ſancitum, ſed & ipſa exigantur oppida, ſi de alia loci lege non conſtet aliquoties à Curia judicatum eſt, & nuperrimè adhuc in lite agitata inter *Niclaes ende Iohan vander Meer cum ſociis contra Gerrit Beerntſz Meyer den* 22. *Martij* 1617. Illa autem

XV. *Carolus V. lator patriæ ordinationis.*

populi libertas cuſtodita religiosè uſque ad Caroli quinti tempora, qui verſo civitatis ſtatu. A° 1550. legum tum politicarum, tum civilium corpus quoddam compoſitum auctoritate ſuâ roboravit. Politicis quidem illis prima aſſignata rubrica, quibus magiſtratuum munia totam denique reipublicæ ordinationem in ſe traxit. Hiſce autem reliqua codicis tributa parte: quarum etſi pleræque ex vetuſtioribus urbis ſtatutis redactæ fuerint, non parum tamen Gallo-Belgici juris iiſdem admixtum comparet, depromptis ex Mechlinienſium legibus articulis compluſculis,

Digitized by Google

lis, uſque adeò ut nonnunquam verbum de verbo expreſſerit. Cui quoque Carolo haud multò antè litigantium utilitas proferendæ adhuc probationis allegationis in prima inſtantia prętermiſſæ facultatem efflagitans, hodiernam noſtram Curiam expreſſit, vt illa toti Provinciæ in commune provocandi auxilium cederet, prudenter exiſtimanti non tam diſtrictè agendum eſſe in foro atque in acie, ubi commiſſus error inemendabilis eſſe ſolet. Quæ deinde curia excuſſo Hiſpanorum jugo, unanimi Ordinum decreto, robur ac leges accepit. Verùm hæc urbis noſtræ vetera fusè ſe enarraturum ſpem fecit Ampliſſimus D. Collega CORNELIUS BOOTHIUS patriæ antiquitatis callentiſſimus, ac veterum originum vindex. Ut autem exorſa pertexam: Hæc tam immenſa ac quodammodò deſpotica maritorum poteſtas apud Romanos, labaſcentibus imperii moribus; fœmineæ impudentiæ in totum ſuccubuit; apud nos verò laxato vetuſtæ poteſtatis rigore benigniori ſubſequentis ætatis obſervatione, multum quidem ei detritum eſt, verum ita tamen, ut etiamnum conſpicua adhuc veſtigia, tanquam ultima ejuſdem lineamenta, in eo exhibeantur, quod longè illa tutoris aut alterius cujusdam adminiſtratoris poteſtatem ſupergreſſa, nec legibus ejusdem dijudicetur, nec circumſcribatur regulis. Quæ in initio hic animadverſa in progreſſu uſui futura ſunt, eoque imprimis facient, ut nec à tutela, nec ab adminiſtratoris officio, ad hodiernam maritorum poteſtatem facilè trahatur argumentum, moribuſque noſtris, quoties per ſe obſcuri ſunt, aut hiantes, non aliundè locum rectius fœneremur, quam ex illis Gallo-Belgicis

XVI. *Erector Curiæ Provincialis.*

XVII. *Ordinum decreto poſtmodum comprobata.*

XVIII. *Antiqua maritorum poteſtas valdè diminuta.*

XIX. *A tutore aut adminiſtratore non argumentandum ad maritorum poteſtatem.*

Digitized by Google

gicis legibus adſcitis præſidiis, ac conſequenter appareat, quam inconcinnè nonnulli Romanorum jura, ſuper tutoribus, aut rerum adminiſtratoribus conſtituta, transferant ad hanc maritorum poteſtatem, alio prorſus principio, aliâ origine ſubnixam. Unde eos quoque abripi videas in ſententias à moribus noſtris quàm alieniſſimas.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATUS
De Jure quod oritur ex diverſitate Statutorum.

In quo agitur

Primum de Statutorum differentia ——— Tit. I
ubi conſideranda veniunt
- I. *Veterum de Statutis opinio.* ——— *cap.* 1.
- II. *Statutorum diviſio in realia & perſonalia* — *cap.* 2.
- III. *Natura Statutorum in certos actus conceptorũ.* *cap.* 3.

Dein de Jure ipſo quod oritur ex diverſitate ſtatutorum ——— Tit. II.
Et quidem vel
- *immoto perſonarum domicilio,* ——— Part. I.
  - *circa perſonalia,* ——— *cap.* 1.
  - *circa merè realia.* ——— *cap.* 2.
  - *circa actus à perſonâ peragendos, tum*
    - *circa formam.* *cap.* 3. & 4.
    - *circa materiam.* — *cap.* 5.
- *mutato domicilio* ——— Part. II.
  - *circa perſonalia,* ——— *cap.* 1.
  - *circa merè realia.* ——— *cap.* 2.
  - *circa actus à perſonâ peragendos, tum*
    - *circa formam.* ——— *cap.* 3.
    - *circa materiam.* — *cap.* 4.

Poſtremo de pactis, quibus iſti Iuris diverſitati obviam itur ——— Tit. III.
Et quidem vel
- *immoto perſonarum domicilio,* ——— Part. I.
  - *circa perſonalia,* ——— *cap.* 1.
  - *circa merè realia.* ——— *cap.* 2.
  - *circa actus à perſonâ peragendos, tum*
    - *circa formam.* — *cap.* 3.
    - *circa materiam.* — *cap* 4.
- *mutato domicilio,* ——— Part. II.
  - *circa perſonalia* ——— *cap* 1.
  - *circa merè realia.* ——— *cap.* 2.
  - *circa actus à perſonâ peragendos, tum*
    - *circa formam.* ——— *cap.* 3.
    - *circa materiam.* — *cap.* 4.

Digitized by Google

De jure quod oritur ex Statutorum vel Conſuetudinum diverſitate.

SEU

Quod jus, cujuſque loci, conjuges inter ſit ſpectandum.

TITULUS PRIMUS

De Statutis perſonalibus ac realibus.

CAPUT PRIMUM.

Veterum Scriptorum de Statutis excutitur opinio.

QUoniam apud nos civitates ferè ſingulæ, nedum Provinciæ, ſuas eaſdemque inter ſe diverſas leges ac inſtituta tulêre, fit ut huius loci quæſtiones occurrant multiplices, per totum hunc tractatum ſe diffundentes. Proinde rectè atque ordine facturum me puto, ſi in ipſo ſtatim limine, ne ſequentium ſeries ſępius interrumpatur, continenti ſcriptione materiam in univerſum excuſſero. Cęterùm cum perpaucæ exſtent Regiones, quæ jure ſcripto regantur, quo per matrimonium in viri poteſtatem non tranſit uxor, de maritali in univerſum poteſtate uſus hæc tractatio rarioris eſt; crebrioris illa, quæ ſuper effectibus ejuſdem inſtituitur, prout per cujuſque regionis mores laxior ea viget,

aut

aut reſtrictior. Alibi enim, ut apud Hollandos, poteſtate præfulget maritus longè ampliſſima, quorumlibet propriorum, uxoriorumque bonorum liberrima diſpoſitione gaudens, adempta uxori, utrorumque adminiſtrandorum poteſtate. Alibi (ut apud nos civicâ lege cautum eſt) in immobilibus alienandis uxorio conſenſui alligata poteſtas eſt, ſi communem ex ea prolem non ſuſtulerit maritus, quod apud Amersfurtienſes indiſtinctè obtinet, liberis ad hoc nihil proficientibus. Eſt, ubi conjuges eâ lege tenentur, vt ne vel tantillum ſibi invicem queant gratificari citra mutui uſusfructus cauſam, quod & lege civitatis noſtræ expreſſum eſt. Apud Hollandos contra liberrimam ſibi invicem gratificandi poteſtatem conjuges habent. Sua porrò cuique regioni peculiaria jura multa ſunt, longiſſimè inter ſe diſſidentia. Proinde ſummoperè ſcire attinet, ad quod jus cujuſque loci, ſuper conjugum jure, oporteat reſpicere. Quod haud rectè expediveris, niſi in univerſum illa explicueris jura, quæ à ſtatutorum vel conſuetudinum excitantur diverſitate. Tractandus itaque locus venit in foro nobilitatus, utqui maximè: quo dignior quoque materia eſt, in qua ſtudioſè à nobis ponatur opera, præſertim quod in univerſum ac certo ordine, quod ſciam, qui tractaverit hoc argumentum, habeamus neminem. Controverſias tamen quaſdam huc ſpectantes omnium copioſiſſimè, & quod caput rei eſt, feliciſſimè perſecuti ſunt, duo præſtantiſſima JCtorum ingenia Argentreus in opere illo erudito quod ſcripſit ad Conſuetudines Britanniæ & Burgundus in perpolito illo libello, quem concinnavit ad Conſuetudines Flandriæ,

Digitized by Google

driæ, cujus notæ utinam publico edolâſſet plura. Fecêre id ita, ut huic cum illo conveniat in multis, plura tamen ſint in quibus diſcrepent. Et quidem ut ipſam rem aggrediar, alia veterum, alia recentiorum hujus materiæ tractatio fuit. Bartholus *ad l. 1 Cunctos populos. C. de Sacroſ. Trinit.* penes quem ferè ſuperiori ęvo fori regnum fuiſſe videtur, in ea opinione eſt, ut exiſtimet intereſſe qua orationis ſtructura ſtatuta concinnentur, ex verborum inverſione aliud atque aliud de eorundem conditione judicans; ut ſi ſic habeat ſtatutum: Primogenitus capiat beſſem, ſtatutum tanquam à perſona oratione incipiens perſonale ſit: Ita autem conceptum: Bes capiatur à primogenito, à rebus ſumpto orationis initio ſtatutum reale evadat, haud aliter; ac ſi verba potius, quàm mentem Legiſlatoris oporteat inſpicere, quaſique referat quo ordine ſcribatur ſtatutum, cum mens ſtatuentis ſit in aperto. Quare rectè jam pridem exploſa eſt illa Bartholi ſententia, aliorumque qui eundem velut anteſignanum ex veterum cohorte ſequi amant, quorumque ſeriem exhibet Theſaurus *quæſt. Forenſium lib. 2. quæſt. 4. n. 4.* Igitur & nos valere juſſo tam futuli verborum aucupio ad Recentiorum deſcendamus placita, quæ eò ferè conſonanter vergunt, vt inſpici velint, utrùm ſtatuta realia an perſonalia, aut etiam (quæ adjectio Argentrei eſt) an mixta ſint, verùm quæ pro perſonalibus, quæ pro realibus habenda ſint, in eo eſt ut videas ipſis hærere aquam, in eoque explicando tantoperè deſudant Argentreus, Burgunduſque, ut hoc ſibi argumentum tanquam in theatrum elegiſſe videantur, in quo vires ingenii oſten-

oſtentarent. Ego rem omnem hoc ordine conabor evolvere, ut primò ſtatutorum inſtiturus ſim diviſionem, tum quæ eorum perſonalia, quæ realia dicenda ſint; deinde quæ juris diverſitas utraque inter obtineat, quaque ea nitatur ratione, ac poſtremò agitatas in foro quæſtiones, eo ſervato ordine, quem ſtatutorum illa diviſione induxero, ſingulatim excuſſurus ſim.

CAPUT II.

De diviſione Statutorum, ac prætereà quæ perſonalia, quæ realia ſint, & num dentur mixta?

Enimverò ad varias mihi Statutorum ac Conſuetudinum diſpoſitiones diligentius aſpicienti, commodiſſimè quælibet eorundem genera ad tria capita vel claſſes redigiſſe videor.

Aut enim ſtatutum ſimpliciter diſponit de perſonis;
Aut ſolummodò de rebus;
Aut conjunctim de utriſque,

Quæ ita conſtrictim dicta ſic habentor explicatius;

Aut univerſus perſonæ ſtatus, aut conditio in diſpoſitione ſtatuti vertitur, citra ullam rerum adjectionem, adeoque de perſonis agitur in abſtracto, abſque ulla conſideratione rerum, ut, verbi gratia, quoto quis ætatis anno ſui juris ſit, quando exeat parentum poteſtate, de quibus & conſimilibus exemplis mox fuſiùs.

Aut in ſolas nudaſque res ſtatuti diſpoſitio dirigitur, ut nullum intervenire neceſſe ſit

 actum

actum hominis, aut aliquam concurrere perſonæ operam; cujuſmodi ſunt, quibus rerum ſucceſſionibus ab inteſtato jus ponitur, ut bona materna cedant maternis, paterna paternis. Nothi ſuccedant matribus, non ſuccedant patribus. Quando ſuccedatur in ſtirpes, quando in capita, quæ jura ſucceſſionum ab inteſtato appellaveris.

Aut permittit denique, vetat, aut ordinat actum à perſonis circa res peragendum, ex utriuſque complexu conſtructum Statutum, contra quod, ut queat committi quippiam, perſonæ actum intervenire neceſſe eſt. Quò pertinent. Sine indulto Principis de rebus ſuis nemo teſtator. Conjuges ſibi invicem non leganto. Vir citra conſenſum uxorium res ſoli non alienato.

Facta Statutorum diviſione, illud inquiri conſequens eſt, unde dignoſci oporteat, reale dicendum ſtatutum ſit, an perſonale: à qua nota diſcriminis quæſtionum ferè ſingularum pendet definitio. Et quidem, ſi benè calculum pono, ſpectanda mihi videtur ſubjecta Statuti materia, adeoque non cui quid vetatur, aut permittitur, aut quâ ratione cujuſve perſonæ intuitu id fiat: Verum illud ipſum duntaxat, quid qualéve ſit, quod in prohibitionem, permiſſionem, aut diſpoſitionem Statuti ceciderit; ut ſi perſonæ ſtatus, qualitas, aut conditio, cui lex in univerſum ponitur, ſola ſit in Statuti diſpoſitione, citra ullius actûs à perſona exercendi mentionem, Statutum haud dubiè perſonale ſit habendum, ejuſque notæ ſunt illa, quæ in primo diviſionem membro collocavimus. In rerum verò ſucceſſiones ſcripta Statuta

merè

merè realia ſint. Certò denique actui, à perſona gerendo, ſi præfigatur lex, interſit utrùm ad perſonarum pertineat ſtatum, aut turbet earum conditionem, an non: ut illo caſu ad perſonalia ſtatuta ſpectet lex, de qua capite ſequenti: hoc vero caſu, natura actus, ac qualitas veniat in conſiderationem, ut ſi realis ſit actus, quales ſunt rerum alienationes, realium numero: ſin perſonalis, qualis eſt contrahendi poteſtas, perſonalium claſſe ſtatuta veniant; adeoque tum non ſpectandam perſonam, de cujus actu ſtatuto diſponitur, aut rationem, quæ à qualitate perſonali forſan ducta ſtatuto cauſam dederit, ſed denominationem deſumendam eſſe ab objecto vel actu, ad quem applicatur perſonæ vel inhibita vel permiſſa agendi facultas. Argumentum præbente Imperatore *in §. final. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Ubi cùm omne jus pertinere tradidiſſet ad perſonas, res & actiones, perſonalia jura vocat, quæ perſonale, realia, quæ reale ſubjectum vel materiam, circa quæ verſantur, habent, realium numero ac claſſe reponens ea, quæ circa rerum acquiſitiones, tum inter vivos, tum ex teſtamento, & ab inteſtato occupata ſunt. Quibus nec abludit actionum perſonalium & realium appellandarum ratio, prout namque objectum earundem eſt, vel perſonæ obligatio vel jus in rem ſortiuntur nomen, ac prætereà rationis eſſe videtur, ut potiùs à re, quam vetant, aut prohibent, aut perſonæ ſtatu quem afficiunt, æſtimentur ſtatuta, quàm ab eo quod non perinde, aut æquè principaliter, in diſpoſitione fuit. Quare ubi ſecundùm hanc notam de ſingulis ſpeciebus ferre

libuerit judicium, licebit animadvertere (ſi quid hoc quoque ad rem facit) ut omnium propè definitio crebrioribus Doctorum calculis ſit evaſura conſentiens. Verùm antequam excutiatur à nobis, quid juris, cujuſve loci in utroque ſtatuti genere ſpectari conveniat, tertium, quod Argentreus, acerrimi vir judicii, duobus ſuperaddit, mixtum nempe, primum expendamus. Et ille quidem mixtum ſtatutum eſſe exiſtimat, cum perſonarum qualitas aut conditio, jus aut ſtatuti conditionem alterat; ut ſi paganos ex æquo feuda dividere, Nobiles ad primogenitum tranſmittere conſtitutum ſit. Verùm rectè eo nomine reprehenſus à Burgundo, *d. tract.* 1. *n.* 1. quod illud demum mixtum dici queat, quod tam de perſonali, quàm de reali participet, adeoque ex complexu utriuſque conſtructum ſit. In perſonæ autem ſtatum, aut perſonales actiones, ſtatutum hujuſmodi diſpoſitionem non dirigit, circa rerum ſucceſſionem vim conſumit omnem: quæ quamvis aliter atque aliter pro perſonarum qualitate aut conditione dividantur, jura tamen de his lata ſucceſſiones dirigere non deſinunt reales; cùm non à ratione vel cauſa, quæ rerum ſucceſſiones ordinat, ſed ab ipſo objecto, ipſaque re in diſpoſitionem deducta, ſtatuta perſonalium aut realium nomen induere antè oſtenſum ſit. Sed haud felicius illo aliud mixti genus Burgundus ſubſtituiſſe videtur, dum mixtum rectius haberi putat ſtatutum, quo minori vetatur bona ne alienet, eique orationi hoc ſubeſſe perſonale, quod & ſcripta ſit in mobilia, quæ conſtat ex perſonæ domicilio legem accipere, ut tum perſonæ

ſonæ rebuſque juxtà poſitum jus eſſe dixeris, *d. tract. n.2.* verùm contra reale ejuſmodi ſtatutum eſſe, non eſt quod dubitemus: res mobiles enim æquè atque immobiles rerum appellatione venire quis negaverit, ac perſonalium quidem ſtatutorum munus in eo poſitum eſſe, ut de ſtatu perſonæ tractent, aut actus dirigant perſonales, ipſemet paulò antè tradidit Burgundus, quorum tamen neutrum in allatum à ſe exemplum cadit. Nec aliud Statuti genus comminiſci nos illud cogit, quod mobilia extra territorium exiſtentia Statuti diſpoſitione contineantur, realia autem Statuta non ſoleant excurrere ulteriùs, quàm ſeſe territorii limites protendant, quæ dubitandi ratio tranſverſum egit Burgundum. Mobilia quippe illa non ideò ſubjacent Statuto, quod perſonale illud ſit, ſed quod mobilia certo ac fixo ſitu carentia, ibi quemque ſitum velle habere, ac exiſtere intelligimus, ubi larem ac fortunarum fixit ſummam. Quare quodcunque domicilii judex de mobilibus ſtatuerit, non ideò in alibi exiſtentibus obtinere dixeris, quod vires extra territorium porrigat Statutum, nedum quod perſonale ſit, ſed quod in domicilii loco mobilia intelligantur exiſtere. Unde nec ſatis demirari queo Argentreum Statutum mobilibus indictum vocantem perſonale, haud benè memorem datæ à ſe paulò antè deſcriptionis, qua perſonalia ea eſſe docuit Statuta, quibus de perſonarum univerſali jure, ac conditione, ab omni materia reali ſeparata diſponitur. Quæ utique definitio Statuto, de mobilibus concepto, neutiquam congruit. Ut evidenter appareat ſum-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

mam Statutorum diviſionem in duo genera deduci, ut alia perſonalia; alia realia, nulla mixta ſint.

CAPUT III.

De effectu Statuti perſonalis & realis, ac ratione ejuſdem, ac prætereà quid juris iis in legibus, quæ non in abſtracto de perſonarum conditione latæ, ſed in actus certos conceptæ ſtatum tamen perſonarum turbant.

SUMMARIUM.

I. *Nullum Statutum alterius territorij prædia afficere.*

II. *Prohiberi poteſt ſubditus, ne quid faciat extra locum ſtatuentis.*

III. *Speciatim, ne potet propè territorii limites.*

IV. *Quare Statuta perſonalia vim exerant extra territorium.*

V. *Indirectè lex ponitur rebus conſtitutis alibi.*

VI. *Statutum; quod vetat contrahere; perſonam comitatur ubique.*

VII. *Statutum, quo vidua minoremi alienare vetitum eſt ſine curatore, pertinet ad ſtatum perſonæ.*

VIII. *Statutum Trajectinum, quo mares, qui octodecim, necdum tamen viginti annos habent, contrahunt, non alienant, perſonale eſt; ac territorium egreditur.*

IX. *Venia ætatis, in loco domicilii pleniſſimè impetrata, ſe porrigit ad contractus ac alienationes, ubicunque locorum peragendas.*

X. *Qui poteſt alienare, poteſt & contrahere, non contra.*

STatuta realia inter & perſonalia hoc intereſt, quod illa in res ſcripta territorii ſui

ſui concludantur metis, hæc extra eas vim & effectum protendant. Quod poſteriùs, quoniam in tractatu illo ſæpè jam laudato, ſæpè laudando de effectibus duntaxat perſonalibus exaudiat Burgundus, oſtendemus, ubi ad ſingulas pervenerimus quæſtiones, quam parum rectè à communi ſcribentium placito, in eo diverſus, abierit. Nunc illud videtur aperiendum, quâ ratione innitatur juris hæc diverſitas; ne ſi illam prætermiſerimus reddere, ut contigit plæriſque aliis, ſubtilitate magis quadam, quàm ſolidâ veritate, diſputaſſe arguamur. Conſtat igitur extra territorium legem dicere licere nemini, idque ſi fecerit quis, impunè ei non pareri: quippe ubi ceſſet Statutorum fundamentum, robur ac juriſdictio, *l. final. ff. de iuriſdict.*. Nullum igitur Statutum, nullam loci conſuetudinem directo res alieno ſolo inhærentes afficere, quin nec perſonas ſibi ſubditas aliò loci contrahentes ſuis poſſe legibus adſtringere, uti nimirum ea res fraudi ſit alii, qui ad loci mores, ubi ſecum contractum eſt, reſpexerit, judexve alterius loci domeſticas contrahentium leges ſequi habeat neceſſe, aut pati ut ſuo territorio leges ponantur aliunde. Illud quidem placitum eſt, poſſe judicem ſubditis vetare, ne quid faciant alieno in territorio, ob plenam forſan, quàm in eos habet puniendi poteſtatem, vel ex tacito ſubditorum conſenſu, qui eo ipſo, quod ibi domicilium foveant, ſtatuentium juriſdictionem quodammodò videantur prorogaſſe, ut vult Peck. *de Teſtament. coniug. lib. 4. cap. 28. num. 8. in med.* & in eam ſententiam & nos aliquando reſpondimus. Amersfurtii puta, Rectoribus licuiſſe

I. *Extra territorium quãdo jus dicatur.*

II. *Subdito prohibetur, ne quid faciat alterius in territorio.*

III. *Item ne pr-*

tet propè limites. cuiſſe prohibere ſubditis, ne propè territorii limites eant potatum, eóve pacto vectigalia oppidi imminuant: cujuſmodi ſpeciei meminit Burgundus *tract.* 5 *.nu.* 8. Cęterùm ſolas ſubditorum perſonas, ne potent eò loci, illa concernit prohibitio, ad cōtractus alibi ineundos, extraneorum adſpectu, non pertinet, nec legibus circumſcribit actum extra territorium geſtum, ut iiſdem judicentur & exteri. Proinde ſit hæc regula, perdere omninò officium in alterius juriſdictione alterius legiſlatoris ſtatutum.

IV. *Quare perſonalia Statuta ubique vim exerunt* Quid igitur rei in cauſa eſt, quod perſonalia ſtatuta territorium egrediantur? unicum hoc ipſa rei natura ac neceſſitas invexit, ut, cum de ſtatu ac conditione hominum quæritur, uni ſolummodò judici, & quidem domicilii, univerſum in illa ius ſit attributum: cùm enim ab uno certoque loco ſtatum hominis legem accipere neceſſe eſſet, quod abſurdum, earumq; rerum naturaliter inter ſe pugna foret, ut in quot loca quis iter faciens aut navigans delatus fuerit, totidem ille ſtatum mutaret aut conditionem; ut uno eodemque tempore hic ſui juris, illic alieni futurus ſit, uxor ſimul in poteſtate viri, & extra eandem ſit, alio loco habeatur quis prodigus, alio frugi; ac præterea quod perſona certo loco non affigeretur, cùm res ſoli loco fixæ citra incommodum ejuſdem legibus ſubjaceant, ſumma providentia conſtitutum eſt, ut à loco domicilij, cui quis larem fovendo ſe ſubdiderit, ſtatum ac conditionem induat; illis legiſlatoribus, pro ſoli ſui genio, optimè omnium compertum habentibus, quâ judicii maturitate polleant ſubditi, ut poſſint conſtituere, qui eorum, ac quando ad ſua tuenda negotia indi-

indigeant auctoritate. Hæc igitur perſonarum qualitas ac conditio ubi venerit applicanda ad res aut actus alterius territorii, jam indirectè, ac per conſequentiam vis illius perſonalis ſtatuti extra ſtatuentis pertinget locum: cùm & aliàs non inſolitum ſit multa indirectè permitti & per conſequentiam, quæ directè & expreſſim non valerent. Nec eſt quod quemquam turbet, quod & illa Statuta extra territorii limites diximus excurrere, quibus nominatim ſtatus hominum in univerſum non diſcutitur, quæ ſed in certos perſonales actus à perſona exercendos, prohibendo eos aut permittendo, concepta ſunt. Quippe rem penitius introſpicienti palam fiet & ea Statuta pertinere ad hominum ſtatum, eundemque planè diſcutere: quoties enim ad actus perſonales dirigitur Statutum, ut cum contrahere vetamur (quæ enim contractuum materiam aut formam, non contrahentium habilitatem concernunt, huc non pertinent, de quo perpulchra ſunt quæ habet Burgundus *tract.4.*) nulla dubitatio eſt perſonæ ſtatum ac conditionem affligi, quod interdicto per hoc rerum commercio perſona alterius tutelæ ſupponatur, alio rebus ſuis interveniente, ac conſequenter nullibi non hujuſmodi obtineat Statutum. Nec ſtatuendum aliud de caſu converſo, quo per Statutum non vetatur alicui, ſed permittitur contrahere, vt cum viduæ minorenni contrahere licitum eſt, alienare ſine curatore non eſt, vel cum annos ſuprà octodecim, infra tamen viginti habentibus maribus contrahendi facultas conceditur, alienandi ſine curatore non conceditur, vt patriâ lege expreſſum eſt. Quantum enim ad alie-

V. *Indirectè ad res alterius loci Statutum pertingit.*

VI. *Statutum, quod probibet alicui contrahere, cujuſmodi.*

VII. *Quod alienare?*

alienationis prohibitionem attinet, eam ubique perſonam ſecum circumferre putaverim, quod & hæc res pertineat ad perſonæ ſtatum, eundemque omninò turbet, cum eo ipſo quod quis curatorem habeat, ſine quo non alienet, ſui necdum juris necdumque perfectæ ætatis dicendus ſit, ſed planè in eadem conſtitutus cauſa, quâ minores apud Romanos erant, qui non alienabant: & utcunque contrahendi facultatem haberent, læſi tamen ætatis auxilio juvabantur, quo perfectæ ætatis apud illos gaudet nemo. Idem de contrahendi illa licentia juris eſto, quâ apud nos appropinquanti legitimæ ætati paulò antè præluditur, vt ſecundum ſpecimina, quæ de ſua minores ediderint induſtria, videatur poſtmodum num rerum adminiſtratio tuto ipſis ſit committenda, ejuſque opinionis eſt Burgund. *d. tract.* 1. Quare & data à domicilii Majeſtate ætatis venia ubique vim exerit, non tantum ſi ad contrahendum impetrata ſit vt Burgundus putat *d. tract.* 1. *n.* 12. *& ſeqq.* verum etſi eo amplius alienandi fuerit obtenta facultas; ejuſque rei rationem habemus hanc manifeſtam, quod pleniore hac veniæ datione perſona tutela omninò exeat, adeoque ejus perficiatur ſtatus, cujus perfectionis virtute ubivis locorum & contrahit & alienat efficaciter, ob poteſtatem plenam, quam judici domicilii in perſonarum ſtatum indultam eſſe ex communi ſcribentium placito ſuprà adſtruximus. Tandem his addatur & illud: mancipare qui poſſit, eundem & contrahere poſſe: cui enim plus licet, ei utique licere debet quid minus eſt: ut maximè mirandum foret, quod mirum videri non debere putat Burg.

VIII. *Quale Vltrajectinum.*

IX. *Venia ætatis ubique locorum effectum producit.*

X. *Qui alienat, contrahit, non è contra.*

d. tract.

d. tract. 1.*n.* 2. perſonas mancipare quidem poſſe, contrahere non poſſe, nec mores Aloſtenſium, quos advocat in probationem, hunc adſtruunt caſum, ſed è diametro converſum, viduam nimirum minorennem contrahere quidem poſſe, alienare vero aliter quàm adjuncto ſibi tutore non poſſe: cùm contra ipſi probandum foret alienandi facultatem habere, qui non habeat contrahendi. His intellectis expeditas putaverim difficultates, quæ multos Interpretes implicitos habuerunt.

TITU-

TITULUS II.

De Iure quod oritur ex Statutorum diverſitate immoto manente perſonarum domicilio.

CAPUT PRIMUM.

De Iuris illa diverſitate circa Statuta perſonalia.

SUMMARIUM.

I. *Minor apud Hollandos utrùm validè contrahat Vltrajecti, ſi ea ſit ætate quæ ibidem perfecta eſt?*

II. *Idem num alienet bona Trajectino in ſolo poſitá, aut Vltrajectinus domi major, infrà verò legitimam Hollandorum ætatem, bona apud nos ſita? excuſſa latè Burgundi opinione.*

III. *Vtrùm mulieri, quæ per leges domicilii clam virum non contrahit aut alienat, fas ſit idem peragere in territorio contrariis legibus obnoxio?*

IV. *Num prodigus, cui bonis apud noſtrates interdictum eſt, rectè contrahat aut alienet alibi?*

STatuta duorum generum eſſe diximus, alia perſonalia, alia realia. Nunc, ad utrum eorum controverſiæ referendæ ſint ut excuſſum eamus, ordinis ratio poſtulare videtur. Perſonalium Statutorum claſſe (nam de iis dicendum eſt primò) reponimus ea jura, quæ perſonarum ſtatum aut conditionem afficiunt: cujuſmodi ſunt:

Major

Digitized by Google

Major eſto qui vigeſimum impleverit annum.
Patria poteſtate exeunto, qui uxorem duxerit.
Vxores ſub poteſtate virorum ſunto.
Prodigi, quibus propalam bonorum adminiſtratione interdictum eſt, ſemet obligandi, aut cum alio contrahendi, poteſtatem non habento.

De quibus & conſimilibus id juris eſt, vt quocunque ſe tranſtulerit perſona, ſtatuto loci domicilii ita affecta, habilitatem aut inhabilitatem ademptam domi; circumferat ubique, ut in univerſa territoria ſuum Statutum exerceat effectum. Apertius rem intuebimur in exemplis. Ultrajecti ſui juris efficiuntur qui vigeſimum ætatis annum impleverint, apud Hollandos contrà, antè vigeſimum quintum rebus ſuis nemo intervenit. Apud utrumque populorum nupta citra viri conſenſum à rebus gerendis arcetur. In Regionibus, quæ jure Romanorum hic utuntur, commercijs gaudet uxor liberrimè, poteſtati virili non ſuppoſita. Fac autem Ultrajectinum, qui vigeſimum quintum ætatis annum necdum habuerit, contrahere in Hollandia: aut è contra Hollandiæ incolam vigeſimum jam annum egreſſum, Ultrajecti: aut nuptam noſtratem contrahere in regione juris Scripti, aut è contra. Quocunque modo ſe caſus habuerit, contrahentium erit reſpicere ad ſuum cujuſque domicilii locum, impreſſamque ibidem perſonæ qualitatem, aut adeptam domi conditionem, cujus ignarus non ſit oportet, qui cum alio volet contrahere. Quare Hollandiæ incola major Ultrajecti, minor apud ſuos, contrahit apud noſtrates invalidè. Contra, Ultrajectinus lege domicilii major; contrahit

I. *Minor apud Hollandosnum contrahit efficaciter apud alios ubi major eſt?*

trahit in Hollandia efficaciter, ut maximè ex more regionis iſtius rerum ſuarum necdum haberetur compos. Uxores domi ſub maritorum poteſtate ita conſtitutæ, ut ſine iis nec alienent nec contrahant, nullibi locorum hanc incapacitatem exuunt. Cum mulieris contra juri Scripto obnoxiæ contractus, apud nos celebratus, conſiſtat omnimodò. Et quidem ſi ad perſonales actus, contractus puta, perſonæ applicetur habilitas Argentrei, Burgundique, (quos jure præcipui hîc ſemper nomino,) cęterorumque ſcribentium placita ſat conſentiunt. Cæterùm ſi realis à perſona peragendus ſit actus, ut ſi de rei quæratur alienatione aut mancipatione, aliud à reliquis traditum ivit Burgundus, negans ad immobilium alibi ſitorum mancipationes Statuta perſonalia vim ſuam exerere, vt ubicunque ſuffecerit ipſi, ſi mancipans in ea fuerit conditione, quam bonorum ſitus requiſiverit, allatiſque in eam rem exemplis intrepidè affirmat civem Gandavenſem ætate minorem, vigeſimum tamen egreſſum annum feuda Hannonica rectè mancipare, quando hæc ætas legitima ſit & competens, quæ in Hannonicorum feudorum alienatione requiritur *d. Tract. n. 7. & ſeqq.* Mulierem itidem quæ ſine auctoritate mariti domi obligari nequit, foris tamen alienare poſſe bona contrariis legibus obnoxia, adeoque contendit mixta hujuſmodi eſſe ſtatuta ex realibus & perſonalibus conflata: perſonalia, qua ad contractus; realia, qua ad alienationes perſonæ ſtatus & conditio, quæ in diſpoſitione ſtatuti eſt, ſit applicanda. Verum-enimverò, operosè quamquam, & elegánter diſputet in iſtam

iſtam ſententiam vir apprimè doctus, vereor tamen, vt nequicquam vires ingenii intenderit. Perſonę enim ſtatus aut conditio, cum tota ſit in manu judicis, cui ratione domicilii perſona ſubjicitur, ut ille de ejuſdem ad actus civiles ſtatuat habilitate, fruſtrà erit qui ad perſonales dũtaxat actus id reſtrictum iverit, adeoq́ue potiſſima ſui parte ſuſtulerit, quod antè poſuiſſet: reales quippe habilitatis effectus cęteris longè ſint illuſtriores. Quid? Minor Hollandus in Trajectinarum rerum alienatione major, in Hollandarum habebitur minor, eodem tempore ejuſdemque rei adſpectu & ſui juris, & nec ſui juris futurus, ut vel invitiſſimo curatore in vicinam ſe transferat Provinciam, quò ſe bonis ibidem ſitis evertat. Quid? de rebus Ultrajecti poſitis ſubſiſtet alienatio, de iiſdem irritabitur contractus? Cum jure noſtro contra ſe res habeat, ut de quo conceſſa eſt alienatio, de eo utique & liceat contrahere, cui verò contrahendi denegata facultas eſt, ei ut alienandi permiſſa ſit poteſtas, nec juris, nec rationis eſt. Quęſo quis rationis eſſe dixerit ut uxor mea (altero utar exemplo) cujus in perſonam patrio more nulla cadit obligatio, alibi ubi jure Scripto vivitur, conſtituta bona alienet: Atqui ſatis eſt (inquit Burgundus) ad rerum ſitum ſe componere quicunque alienare intendit, quod alienæ rei legem impoſuerit nemo. Rectè id quidem ſi de alienationis agamus ſolennibus, aut rebus ſpeciatim impreſſis legibus. Cæterùm perſonæ habilitas, quam à ſtatu ejus metimur, quæque imprimis ad actus cujuſcunque deſideratur validitatem, perſonale negotium eſt; ſuper quo, ut domicilii

II. *Minor Hollandus an validè alienet bona noſtratia. Major Trajectinus alienat res ſitas apud Hollandos, per quorum mores eſſet minor.*

III. *Vxor Trajectina non alienat bona ſita alibi.*

micilii judici ſtatuendi jus ſit neceſſe eſt. Unde cum aliud hic ab Ultrajectinis legibus Hollandorum conſtituant ſtatuta, palam eſt ſuas cujuſque domicilij leges inſpici oportere.

IV. *Prodigus Traject. declaratus nũ contrahat aut bona alienet apud Batavos?*

Quare nec prodigo, cui à judice domicilii bonis interdictum eſt, integrum erit in vicinam ſe transferre Hollandiam & bonis ibidem ſitis ſemet exuere. Vulgatum ſic à tutore deſumptum argumentum, cujus datio ſe protendit ad bona ubicunque ſita, fruſtrà Burgundus hoc pacto conatur eludere, quaſi permultum intereſſet adminiſtrationem inter & ipſa bona, quod adminiſtratio munus ſit perſonale, quæ bonorum conditioni non miſcetur, ſed ad fructus duntaxat pertinet, quæ mobilium reponuntur loco. Ne enim ille intra fines nimis anguſtos tutoris coërcuerit officium, cum & ipſam rerum pupillarium diſtractionem conſtet ſpectare ad tutorem, nec tradere alienare pupilli, ſed tutoris ſit, qui alienandi partes omnes nomine ejus expleat, cauſa duntaxat antè judici probata. Quare cùm tutelæ adminiſtratio complectatur & ipſas bonorum alibi ſitorum alienationes, & illud ſequi neceſſe eſt etiam ad eaſdem porrigi leges perſonæ ſtatui aut conditioni indictas. Tandem ne nimius ſim eo ipſo quod adimat Burgundus minori ubicunque locorum contrahendi aut ſemet obligandi poteſtatem, evincitur & nullibi alienationes ejuſdem conſiſtere, quod conſtet nudam ſimplicemque rei alienationem operari omninò nihil, niſi contracta quoque cauſa ad alienationem aut traditionem habili *l. numquam 31. in princip. ff. de acquirend. dominio.* Proinde cùm contrahendi potentiæ lex reſiſtat, nec titulus tribui poterit

terit aut cauſa contrahi ad alienationem idonea, non hactenùs tantum quod perſonaliter non afficiat alienatio, ut evictione factâ ad id quod intereſt nulla teneat obligatio ut Burgundus putat, ſed quod ex nuda illa mancipatione deſtituta cauſa, quam minor non poterit contrahere, nec ipſum abdicetur dominium. Quin & illud addatur ex Burgundi effici ſententia, Hollandum, ſi ſe contulerit Ultrajectum, rectè ſua bona alienare, procuratori verò ſi mandaverit (en diverſitatem juris in re non diverſa) ut ſuo nomine mancipet, alienationem eſſe inutilem: eo quod perſonalis ſit obligatio, quæ ex mandato contrahitur, ex invalido autem mandato non ſubſiſtat alienatio: adeoque ſequeretur ab ipſo minore rectè peractam iri alienationem, quæ per alium ejus nomine nequiret expediri. Sit igitur horum omnium ſumma concluſio, mulierem, minorem, prodigum in loco domilii in poteſtate aut cura conſtitutos caput eidem nullibi poſſe ſubducere, ne quidem in fundorum alibi ſitorum mancipatione. Atque huic ſententiæ calculum videtur adjicere Argentreus *ad art.218.gl.6.n.46. verſic.ſequitur conſideratio.* accuratè quanquam reales habilitatis effectus, à perſonalibus haud diſcriminet, & poſt viſus *Loüet en ſes Arreſts lit. C.num.42.* prolato in ſententiæ confirmationem arreſto, & quoad prodigū noſtras Montan. *de Tutel.cap.28.n.40.* Ac conſequenter dicendum eſt Hollandorum, noſtratium & aliorum quorumcumque alieno in territorio, tam mancipantium, quàm contrahentium conditionem metiendam eſſe à loco domicilii, legem inde capientium quocunque locorum id egerint.

C GA-

CAPUT II.

De Juris diverſitate circa Statuta merè realia.

SUMMARIUM.

I. *Bona dividuntur ex lege loci ubi vel ſita ſunt vel exiſtere intelliguntur, & quid ſi pluribus quis locis habeat domicilium.*

II. *Reditus Hypothecæ innixi perpetui temporaleſque iuxtà immobilibus annumerantur.*

III. *Annumerantur iiſdem & reditus qui debentur à provinciis, civitatibus, aut municipiis hactenus; ut in ſucceſſionibus dijudicentur à lege loci ubi debentur.*

IV. *Exterus uxori relinquens reditus à Provincia noſtra debitos fruſtra eſt.*

V. *Eoſdem reditus conſtringi conſtitutione Carolina, quâ vetatur minor immobilia relinquere curatori.*

VI. *Singulare ius Hollandiæ refertur.*

VEnio ad ſecundam Statutorum claſſem, quæ de ejus notæ Statutis eſt, quibus jus ponitur rebus citra illum actus à perſona peragendi interventum, quæ quidem jure præcipui ac merè realia ſunt: cujuſmodi appellamus ea, quæ de modo dividendarum ab inteſtato hæreditatum tractant, territorium non egredientia: conſpirant enim eò vota ferè omnium bona ut dijudicentur ſua lege loci, in quo ſita ſunt, vel eſſe intelliguntur: videantur Ioannes à Sand. *Deciſ. Friſic. lib.* 4. *defin.* 7. *tit.* 8. Freder. à Sand. *ad Conſuet. Feudales Gelriæ.* §. 4. *de veris hæreditar. ac non hæreditar. ſucceſſ. differ. n.* 9. *& multis ſeqq.* Burgund. *d. tract.*

I. *Bona dividantur de lege loci ubi ſita vel exiſtere intelliguntur.*

tract. 1. *n.* 35. aliique quos in unum congerere labor foret inutilis. Nec alia hac in parte mobilium rerum cauſa, alia immobilium eſt: quod enim mobilia dividantur ex more loci, ubi dominus fovet domicilium, fit ideo, quod ibidem ſita eſſe exiſtimentur, non quod Statutum evadat perſonale, ut fuſiùs diſſeruimus ſuprà. Itaque ut exemplis illuſtrioribus apud nos rem adſtruam. Bona Ultrajecti ſita ex lege loci parentibus, in Hollandiæ locis compluribus conſtituta, fratribus & ſororibus, aſcendentibus excluſis, obvenient; bona emphiteutica, tam eccleſiaſtica, quàm ſecularia in agro Trajectenſi ſita, ex conſuetudine quæ ibidem tenet, jure feudorum tranſmittuntur, nec linea abeunt, quod ipſum nuperrimè in reviſione judicata comprobatum eſt, *inder ſake van Portengen, contra Floris Vtteneng Schoudt van Ooſtveen, nomine uxoris.* Diximus mobilia ſitum habere intelligi, ubi dominus inſtruxerit domicilium, nec aliter mutare eundem, quàm una cum domicilio. Et ſubeſt ratio: mobilia quippe, cum perpetuum ac fixum, ut res ſoli, locum non habeant, totum illud dependeat neceſſe eſt à deſtinatione ejus, cujus ea res eſt, ut ibi habeantur mobilia exiſtere, ubi eſſe ea voluerit dominus: haud aliter ac ipſamet perſona, ibi eſſe, vel domicilium habere accipitur, ubi ſemet eſſe voluerit. Igitur ibi mobilia ſua quemque velle ut exiſtant credimus, ubi degit ipſe, laremque fovet ac fortunarum habet ſummam. Quo jure & nomina non immeritò cenſueris, ut ea in ſucceſſionibus & ſimilibus mobilium rerum ſortiantur naturam. Quæ definitio cùm ſit expedita, ac apud

Scriptores recentiores ſatis obvia, non eſt ut à me confirmetur ulteriùs, ſi unum hoc addidero, pluribus locis ſi quis inſtruxerit domicilium, ſua cujuſque lege loci tractari mobilia ubi ex deſtinatione domini reperiuntur. Choppin. *ad Leges Pariſienſ. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 11. *in fin.* Burgund. *tract.* 2. *n.* 22.

II. *Reditus temporales an immobilia?*

De reditibus peculiaris eſto conſideratio. Et illi quidem, qui à re præſtantur, vel cujus nomine conſtituta Hypotheca eſt, collocantur à Doctoribus in immobilium numero, ita tamen, ſi perpetui ſunt, ſecus ſi temporales, quâ diſtinctione & Burgundus utitur *d. loc. n.* 30. *&* 32. Sed vix eſt ut non utrobique idem ſit dicendum: cum enim ob id ipſum annumerentur immobilibus, quod rei immobili per hypothecæ conſtitutionem innitantur, ponendi alioquin, vel ſi perpetui ſint, in mobilium claſſe; nec hypothecæ immutetur natura temporis aliqua ad redimendum præſtitutione, nihilque ad ſummam rei interſit, certum an incertum luitionis ſit tempus, conſequens eſt dicere conſtitutos ad tempus reditus, æquè atque perpetuos immobilium nomine venire, maximè cum per hypothecæ conſtitutionem res ad ſummam debiti habeatur quaſi alienata *arg. l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* quæ per ſolutionem redimitur.

III. *Reditus legitimè profeſſi ab Ordinibus dividuntur ex more loci ubi debentur.*

De illis autem reditibus ex facto quæſitum eſt, qui debentur à provinciis, civitatibus, aut municipiis. Non quæro an per omnia ad inſtar rerum ſoli cenſeantur: Illud quæro, ubi ſitum habere, aut exiſtere exiſtimandi ſunt, à quove territorio in ſucceſſionibus accipiant leges. Communis DD. regula moribus conſen-

ſentanea eſt reditus ſuper mobilibus rebus conſtitutos, mobilium numero, ſuper immobilibus immobilium venire. Provinciæ autem corpora mobilia non ſunt, ſed ſtabilia & perpetua, quâ ratione reditus ab iiſdem legitimè conſtitutos pro immobilibus habendos eſſe moribus civitatis ſuæ meritò cautum eſſe tradit Burgund. *d. Tract.* 2. *n.* 31. Quinimò reditus ejuſmodi ut plurimum hodie nullam perſonalem obligationem annexam habent, directi ſolummodò in vectigalia, tributa, aut Reipublicæ patrimonium, ut non debeantur à perſonis quæ Reipublicæ præſint. Unde apparet ex obligationis inſtrumento, quo reditus ferè hodie conſtituunt apud nos Provinciæ Ordines, bona & vectigalia Reipublicæ obligari, perſonas Ordinum non obligari: atqui quando penſitandis reditibus certa vectigalia, domania aut Reipublicæ bona atribuuntur à Principe, ut fit apud nos (*in renten op de Domeynen oft comptoiren vande generale middelen beleyt*) cenſeri eundem pignoris nexu bona illa devinxiſſe traditum eſt apud Chriſtin. *vol.* 1. *deciſ.* 137. *n.* 13. & rectè. Princeps quippe coram magiſtratu loci profiteri aut conſtituere hypothecam neceſſe non habet, tanquam ſolennitatum ferè omnium ſolutus. Arg. *l. Princeps, ff. de legib. l.* 1. *ff. de conſtit. Principum.* Maſcard. *de Statutor. interpretat. concl.* 9. *n.* 66. Teſſaur. *Deciſ.* 15. *n.* 6. *& deciſ.* 87. *n.* 7. Chopin. *ad Conſuet. Andegav. l.* 1. *tit.* 1. *n.* 6. *Mornac. ad. d. l.* 1. Chriſtin. *in præludiis ad conſuetudines Mechlin. n.* 8. Proinde aliam in eo privatorum debitorum rationem, aliam Provinciæ eſſe apparet: quod illi locum ſubinde mutent, ac ſucceſſores eorum varia etiam in loca di-

ſtrictos ſequi neceſſe habeant ii, qui in illos agere voluerint: cum Provinciæ corpora, certo, ſuoque circumſcripta loco, planè ad inſtar rerum ſoli perpetuo ibidem ſint. Quare, ſi verum amamus, plus rationis eſſe videtur reditus hujuſmodi aggregari immobilibus, quàm eos, quorum nomine data eſt à privatis hypotheca, utpote quæ tanquam acceſſorium accedat actioni perſonali, vel ſaltem eandem habeat adjunctam, cum reditus ſuper provincijs, civitatibus, aut earundem vectigalibus hodie conſtituti, vernaculè *obligatien*, perſonali actione omninò careant; & hanc privatos inter & corpora provinciæ diſtinctionem & Doctores tuentur vid. Gratian. *diſcept. forenſ. Cap.* 885. *numer.* 4. Kinſchot. *Reſponſ.* 47. *num.* 15. & in eandem ſententiam judicatum profert Loüet *en ſon Receuil des Arreſts lit. R. num.* 31. *circa finem.* adde Chopin. *de morib. Pariſ. Lib.* 1. *Tit.* 1. *num.* 23. qui eruditus morum Gallicorum interpres, compluſcula recenſet arreſta, quibus deciſum eſt annuos reditus, quos de plebeis nummorum indictionibus ſolvendum aſſignaſſet Rex debitor, vel quibus penſitandis attributus eſſet Principis canon Dominicus, vel qui de Principe empti eſſent, dividi ea lege, quæ obtinet ubi fiſcales iſti nummi, de quibus reditus præſtari convenerat, à Regiis coactoribus exiguntur. Eaque ſententia & apud nos duplici judicio probata fuit. Primò à reviſoribus in cauſa ſatis momentoſa, *van Carel Conſtant, als ghetrouwt hebbende de Weduwe vanden Ghenerael van Diemen, ende Peter de Gruyter cum ſociis Anno* 1649. intellectumque, profeſſos à Provinciæ noſtræ Ordinibus reditus, quoad ſucce-

IV. *An vir eos leget uxori?*

ſuccedendi cauſam, dijudicandos eſſe à more noſtrate. Dein altero Curiæ noſtræ nuperrimo judicato, *huius anni* 1651. *die* 22. *Martij in cauſa van Ian Iacobſz van Ienvelt appellant, ende Beernt Hendrickſz Munſter geappelleerde*, quo placitum eſt rerum immobilium nomine, de quibus in commodum curatorum minoribus interdicta eſſet teſtatio, venire & nomina provincialia: (*obligatien op de Generale middelen.*) Eo magis exiſtimante Curia hac rerum tempeſtate ſententiam illam ſequendam eſſe, quod plurimorum hominum ſummæ divitiæ in his reditibus conſiſtat, qui eoſdem in Provincia debitrice perinde eſſe voluiſſe videntur, atque ſi res ſoli ibidem comparaſſent. Cùm contra mobilium jure, ſi per omnia nomina illa cenſerentur, multa ſalubriter pro utilitate hominum lata ſtatuta contingerent prorſus iri illuſa. Mari apud nos minori vigeſimo, majori decimo octavo anno prohibita immobilium alienatio eſt, eademque & virum, qui ex uxore prolem non ſuſtulerit, prohibitio tenet. Minori in curatorem teſtatione ultima tranſcribendorum immobilium jus non eſt. Quid igitur? num minori, mari, fas erit ejuſmodi provincialia nomina, in quibus apud nos vicinaſque regiones fortunarum ferè ſumma conſiſtit, ſalvâ prohibitoriæ Legis oratione, alienare, legare, & minori quidem legitimos hæredes luculentiſſimis illis facultatibus intervertere? Operæ pretium eſt quæſtionem perſequi paulò fuſiùs. Prodiit nuperrimè noviſſima editio Adverſariorum Lamberti Goris, qui in Annotationibus ſuis, quibus ea paulò antè obitum locupletavit *tract.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. hanc ipſam tractans ſpeciem,

V.
An minor curatori?

 duas

duas ſuper ea profert ſibi invicem adverſantes ſententias: quas tamen ita componi poſſe arbitratur; ut altera de reditu accipiatur conſtituto ſuper domanio civitatis, altera ſuper communibus Provinciæ vectigalibus aut impoſitionibus, ut loquitur; ut prior reditus immobilium nomine, poſterior mobilium veniret: additâ diſtinctionis ratione, quod domania vectigalibus ſint ſtabiliora. Verum, præterquam quod rebus apud nos judicatis adeò non adverſetur hæc diſtinctio, vt easdem potiùs confirmet: quippe cautionibus iſtis Provincialibus apud nos pariter atque apud Hollandos obligantur non tantùm vectigalia, ſed & bona Provinciæ omnia. Vernaculè (*alle de Lands incomſten ende goederen.*) Non eſt præthereà, ut traditis ejus conſentiam. Ipſa namque Provinciæ corpora, quæ debent reditus, utrobique ſtabilia ac perpetua ſunt, uno eodemque in loco ſemper exiſtentia, nihilque adeò hic ad ſummam rei intereſſe videtur, ex vectigalibus, an è domanio reditus quotannis pendi voluerint Provinciæ Ordines, ut propterea ab eadem Provincia debitrice leges vel acciperent vel non acciperent. Adhæc in cauſa ſuccedendi non tam diſtrictè attenditur an res ſua natura ſit mobilis, ſed potiùs domini deſtinatio; quod vel hoc exemplo adſtruitur, ut ſi rem ſua natura mobilem in alio quàm domicili loco perpetuo manere voluerit dominus, ex deſtinatione illa ibidem quoque res intelligatur exiſtere. Burgund. *tract.* 2. *n.* 15. *in. fin* & *n.* 26. Argentr. *ad. art.* 48. *gl.* 2. *n.* 5. & legibus loci ejuſdem regatur. *vid. laudatos à Mev. ad jus Lubecenſ. quaſtione ſexta præliminar. n.* 20. & *ſeqq.* Unde & dixe-

dixerit aliquis reditus à Provinciis ſibi comparantes utique illos ibidem ad inſtar rerum ſoli perpetuo eſſe voluiſſe exiſtimandi ſunt, donec vel repoſcant ſortem vel recipiant. Nec in eo audiendus Goris, quod alios ad immobilia reditus pertinere non putet, quam quorum ſortem nunquam liceat exigere, quodque eos reditus, quorum nomine conſtituta eſt hypotheca generalis, expungat è claſſe immobilium, ductus auctoritate Charondæ. Quippe vel expreſſim ſtipulato apud nos ad certum diem ſortis repoſcendæ jure, reditus tamen hypothecæ innixus non deſinit ſortiri naturam rerum immobilium: quemadmodum quoque apud noſtrates æquè atque Romano jure generalis ſpecialiſque hypotheca bona juxtà afficiunt, ut pro immobilibus utræque habeantur. Nec turbet quemquam quod Trajectino more, illorum redituum nomine, trigeſima hæreditariis bonis immobilibus à latere obvenientibus indicta, non pendatur. Quippe nec infrequens nec abſonum eſt immobilium jure cenſeri aliquid in cauſa ſuccedendi, quod pari tamen cum immobilibus ſolennitate non diſtrahatur, ut eleganter explicat Loiſeau *des Offices venaux lib.3.cap.4. n.34.& ſeqq.* & vel inde videre eſt, quod mobilia deſtinata à domino ut certo in loco perpetuo ſint, leges ab eodem accipiant loco, quæ tamen à domino eadem quâ res mobiles ſolennitate transferuntur. Quin & Britannorum conſuetudines expreſſim tenent in ſucceſſionum diviſionibus, mobilium donationibus reditus hujuſmodi aggregari immobilibus, cætera mobilium jure cenſeri. *Art. 425. des Couſtumes reformées, quæ poſt commen-*

taria Argentrei *ſeparato libro comparent*. Nec procedit quoque argumentatio, eo quod Princeps reditus, à ſemet-ipſo præſtandos, à tributo voluit eſſe immunes, illos & individenda inter privatos hæreditate pro mobilibus habendos eſſe, cum diverſa utriuſque ratio, diverſus reſpectus ſit. Sanè cum Reipublicæ neceſſitas horum nominum contractionem exegerit, quid mirum de reditibus illis nihil abradi hominibus, quo magis ii ad credendum ac ſubveniendum Reipublicæ allicerentur? Accedit odium fiſci, unde haud tutò argumentum aliò traxeris. Quamvis (nam & hoc fateri fas eſt) minimè grave aut odioſum hoc tributum appellaveris, quod cum gaudio fructuque ſemper ſit conjunctum, præſertim ubi ex inopinato amplæ facultates obvenerint. Quin & ea ſeculi perverſitas eſt, ut nec domeſtici deſint hæredes, qui à parentum hæreditate, cui jam dudum inhiant, diſtringi aliquid à fiſco neutiquam ægrè laturi eſſent. Eos appello, quibus inviſa eſt paternæ ætatis longinquitas, quique hæreditatem, tanquam vultures cadaver exſpectantes, mortem exoptant eorum, qui ſibi vitæ authores exſtiterint. Sed non eſt nobis hic declamandum.

VI. *Ius ſingulare Hollandiæ circa ſucceſſiones mobilium.*

Mantiſſæ loco attexam ſingulare eſſe, quod notat Grotius ex articulo 9. juris Aſdomici, mobilium ſucceſſiones exigi ad jura loci, ubi defunctus diem obierit, non ubi habuerit domicilium; adeoque ſi in juri ſcabinico obnoxiam regionem ſe luſum contulerit puer, ibique repentinâ morte tollatur, bonis ejus ſucceſſum iri ex jure Scabinico vid. Grot. *in ſyn Inleydinge lib. 2. parte 26. in fin. & ibi Groenewege.*

CAPUT

CAPUT III.

De Statutis quibus certo actui à perſona peragendo lex imponitur & quidem circa ſolennitatem.

SUMMARIUM.

I. *In teſtamenti ſolennitatibus ſpectari jus loci ubi ordinatur, quove jure aut ratione id innitatur, contra Burgundum.*

II. *De eo qui extrà territorium rei ſitæ teſtetur juxtà formam ejuſdem.*

III. *An jure Romano coram ſeptem teſtibus teſtari liceat eo loci, ubi coram Notario & duobus teſtibus teſtamenta conduntur & ſpeciatim de Hollandorum moribus?*

IV. *An apud nos citra licentiæ literas coram ſeptem teſtibus teſtemur ritè?*

EXplicatis duobus Statutorum generibus, & eorum quæ ſtatum turbant perſonarum citra rerum mentionem, & quæ ſunt impoſita rebus, ut nullus perſonæ actus veniat in partem, cumque hæc in realium, illa perſonalium Statutorum cauſam venire, allatis de utroque genere exemplis demonſtraverimus, ſubſequitur tertium & ultimum genus eorum nimirum Statutorum, quibus lex præfigitur actui, qui à perſona ſit peragendus, eundem actum vel vetando vel certo etiam modo circumſcribendo, adeò ut nihil queat committi contra illa Statuta, niſi actus intervenerit perſonæ, & quidem ea Statuta intelligo, quibus ſtatus aut conditio hominum non turbatur. Locus hic quo per plures ſe pro-

protenditſpecies, quas forum quotidie deproperat edere, eo plus quoque habet confragoſi, compluraque illuſtria exercuit ingenia. Ejuſque duplex poteſt eſſe inſpectio; aut quæritur de actus forma ſeu ſolennitate: aut de materia ipſa, ſeu rei ſubſtantia quæ in diſpoſitionem venit deducenda. De teſtamentariis diſpoſitionibus loquor, de contractibus inter vivos non loquor. Quod apud nos inter conjuges (de quorum jure inſtituta hæc tractatio) inutilis quævis ferè ſit ſtipulatio, ac noſtris vicinarumque regionum moribus juxtà prohibita inter vivos donatio. Si de ſolennibus quæratur, ea jampridem in foro ac pulpito prævaluit opinio, vt ſpectandæ ſint loci cujuſque leges, ubi actus conficitur. Quare ſicubi ex more loci ſolenniter ordinatum fuerit teſtamentum, valiturum illud, ubicunque oportuerit exequi. Unde & ſolenni Lutetianæ Curiæ arreſto pronuntiatum fuit ſecundum teſtamentum, quod viator ac præteriens aliquis confeciſſet ſuo more pagi, in quo decubuerat, ut maximè longè alia teſtamenti ſolennia lex domicilii ſituſque bonorum poſtulaſſent, teſte Choppin. *lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 2. *de morib. Pariſ.* Conſentiunt & aliorum judicatæ res Expyll. *en ſes Arreſts cap.* 78. Minſing. *cent.* 5. *obſerv* 20. Gail. *lib* 2. *obſerv.* 123. Guid. Pap. *quæſt.* 262. Mainard. *lib.* 5. *Arreſt. deciſ.* 92. *& lib.* 8. *cap.* 51. noviſſimè Joan. à Sand. *Deciſ. Friſic. lib.* 4. *tit.* 1. *defin.* 14. nec aliud dicendum tradunt, vt maximè major in loco domicilii, quam ubi actus confectus eſſet, deſideraretur ſolennitas Expyl. *d. art.* 78. Minſing. Guid. Pap. *dd. ll.* & noviſſimè Barry *de Succeſſ. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 46. Atque hæc opinio diu

I. *In teſtamenti ſolennitatibus ſpectari jus loci ubi ordinatur.*

diu ſcholas in tranquillitate tenuit, donec tandem perpaucis ire libuit in alia omnia. Fecêre id Cujac. *obſerv. lib.* 14. *c.* 12 & Burgundus *tract.* 6. qui ſuæ opinionis animoſior cæteris aſſertor, teſtatores aſtringit ad formam locorum ſingulorum, ubi bona ſita ſunt. Verum tanti rationes eorum non ſunt, vt à ſententia communi, tot rerum judicatarum & calculorum autoritate ſuffulta, cogamur facere divortium. Quamquam, ut verum fatear, nihil juris eſt ſtatuenti in bona contrariis legibus ſubjecta, vt tranſcribendis illis in alium certam ſuamque formam ſuſtineat legiſlator præfigere. Idque ſi contingat fieri, quis negaverit vires hoc pacto explicari, adeoque jus dici extra territorium? Nec puto effugium eorum tutum fore, qui ipſum actum diſpoſitionis, de cuius forma agitur, pertinere dicant ad juriſdictionem loci, in quo celebratur: contractibus quippe hoc quadrat, negotiiſque ejuſmodi, quibus id agitur, ut obligetur perſona, cujus oſſibus ubique inhæret ſemel ex forma loci contractæ obligationis nexus. De re verò alibi conſtituta diſponendi, aut ejus in alium tranſcribendæ formam hæc non concernunt. Realium namque jurium eorúmve actuum, quibus fit mancipatio, aut dominium transfertur, aliam eſſe rationem vel quotidiana praxis edocet, recteque diſputet Burgundus *Tract.* 6. *n.* 3. malè eo nomine reprehenſus à Joanne à Sande loco ſuprà citato, jus in re vt naſcatur, quod hic ex cauſa teſtamenti contingit, non poſſe id præſtare alterius regionis conſuetudinem, ut forma illa ac ſolennibus circumdaret alienorum fundorum alterationes, adeoque omninò

ninò jus diceret extra territorium. Quid igitur rei in cauſa eſt, cur Doctores æquè atque tribunalia ordinatum ſecundùm formam loci, ubi conditur teſtamentum, effectum ſortiri ubique voluerit? quod abſurdum viſum fuerit de ſingularum regionum poſſeſſionibus ſingula exaranda eſſe teſtamenta, vel unum idemque teſtamentum alio atque alio ſolennitatum jure inſtruere, planeque repugnans liberæ ad extremum vitæ ſpiritum voluntati, ut qui alio loci negotiorum cauſa delatus, ſubitoque morbo correptus fuerit, ei vel invitiſſimo neceſſe eſſet decedere inteſtato, vel ordinata antè ſuprema mutare eum non poſſe jam fato propinquum, nec hæredes habere, quos optaverit, non ſuppetente tum ad territorii cujuſque ſolennia teſtandi facultate. Quare ut ſubſiſtat ordinatum ſecundùm regionis leges, in quam teſtator delatus fuerit, ultimum elogium, omnium quoruncunque locorum hominum, qui diverſis in locis prædia poſſident, ex æquo intereſt: adeoque ſecundùm eos dicendum eſt, qui neceſſitate quadam, hominumque communi utilitate ſententiam hanc ſuſtentant. Quo pertinere videntur tradita Peckii *de teſtament. conjug. lib.* 4. *cap.* 28. *in fine.* Mæv. *ad jus Lubecenſ. part.* 2. *tit.* 1. *art.* 16. *n.* 10. Alii verò qui jure ordinario tutari eandem ſuſtinent, an non fruſtrà ſint, ipſi viderint. Hæc de eo qui ſolennitates obſervat loci, ubi actus celebratur. Verùm num idem juris ſit in caſu converſo, ut ſi quis juxtà formam requiſitam in loco rei ſitæ, non ſui domicilii, de qua ſpecie poſteriori eſt, (quod tractant Minſing. *cent.* 5. *deciſ.* 20. *n.*5. & Mævius *ad jus Lubecenſ.*

II. *De eo qui teſtatur ſecundùm ſolennitates rei ſitæ.*

part.

part. 2. tit. 1. art. 16. n. 8.) teſtetur alibi, ubi diverſa deſideratur ſolennitas, non æquè expeditum eſt. Sunt qui aſſerant valere teſtamentum ejus, qui ſubditus ſit territorii, in quo bona conſtituta ſunt, peregrini verò negent. Ita Barry. *de Succeſſ. lib.* 1. *num.* 46. *adducto* Joannis Philippi *reſponſo.* 13. & in eandem ſententiam ſcribit Mævius *quæſt. 6. præliminar. n.* 8. Ego potiùs utrobique pro teſtamento reſpondendum duxerim: quippe perſonæ qualitas ad ſummam rei non facit, tum factura, ſi Statuta illa in ſolennitates ſcripta perſonalia forent, ut ſubditus iis gauderet, non gauderet exterus: ſed contra conſtat ea merè realia eſſe. Quicunque enim fuerit ſive incola ſive exterus, qui rem alienare intendit, neceſſe habet reſpicere ad ſolennitatem territorii, cui bona ſunt obnoxia. Quare dicendum eſt decidendæ quæſtionis rationem in modo prolatis poſitam eſſe: neceſſitatis nimirum rationem, ſummumque favorem qui pro teſtamentis facit, impetraſſe, ut, quamvis illa mancipent æquè atque alienationes inter vivos, ideoque conſimiliter componenda forent ad normam loci ubi res ſitæ ſunt, ſuffecerit tamen ordinaſſe, ſecundùm leges loci ea ubi actus conficitur. Proinde ſi quis eo, quod ad teſtandum expeditius ſua cauſa comparatum eſt, noluerit uti, quod ei fortè promptius ſit componere ſuprema ad loci leges cui bona ſubjaceant, quo minus teſtamentum ejus valiturum ſit, non video: nulla enim juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeve-

Digitized by Google

ſeveritatem *l. 25. ff. ad legib.* nec cum ſuper addatur alia teſtandi forma, adimitur prior, quod novæ ſolennitatis adjectionem potius dediſſe DD. quàm priorem ac ordinariam permutaſſe videantur *arg. l. 11. ff. de Senatorib.* Unde conſequens eſt dicere, ne diſputem ſine ſpeciei appoſitione, Amersfurti, ubi coram trinis teſtibus una cum Notario ultima conduntur elogia, viribus ſubſiſtere celebrata coram binis teſtibus ſuprà Notarium, de bonis in Hollandia aut in alia Provinciæ noſtræ parte ſitis.

III. *De eo qui coram ſeptem teſtibus teſtatur.* Quid autem ſi quis ſecundùm formam juris Romani coram ſeptem teſtibus teſtatus fuerit eo in loco, ubi coram Notario binoque teſte teſtamenta condi conſueverint, vt apud Hollandos alioſque obtinet, dicemúsne teſtamentum valere? affirmat Grot. (*in ſyn Inleydinge*) *lib. 2. part. 17. verſ. by ons is niet verboden.* Et innuere videtur Radelant. *deciſ. 125. n. 13. juncta. n. 4.* Ut & Tuld. *ad tit. inſtit. lib. 2. tit. 10. cap 11.* Et expreſſius Baldo probatur teſtamentum, quod more Romano ſepteno teſte præſente factum fuiſſet, cum ex more civico foret faciendum auctore Sacerdote gemino cum teſte *vol. 5. juris reponſor. 355.* Quem citat Chopin. *ad. ll Pariſ. lib. 2. tit. 4. n. 3.* Quæ ſententia vix eſt, vt deflectat à vero. Patriam quippe teſtandi formam non contra, ſed præter jus commune introductam dixeris, cum non abrogato Romanorum teſtandi more eidem adhuc locus eſſe videatur. *arg. l. ſancimus. 27. C. de Teſtamen.* Ut rectè dici poſſe videatur per hodiernam teſtandi formam, utpote planiorem, remiſſam eſſe operoſam illam ac oneroſam ſeptem teſtium adhibendorum

rum neceſſitatem, cui tamen ſi quis etiamnum alligare ſe voluerit, nihil ei ſit impedimento. Hinc cum aliquando in foro Lubecenſi, ubi alia ſuaque teſtandi forma præſcripta uſu invaluerat, in litem veniſſet, utrùm ſecundùm juris Romani ſolennia ordinatum teſtamentum ſubſiſteret, pro eo pronunciatum eſt Teſte Mævio *ad jus Lubecenſ. lib. 1. quæſt. 9. prælimin. n. 44. juncta part. 2. tit. 1. art. 2. n. 162. & ſeqq.*

IV. *Citra litteras licentiæ.*

Verùm apud noſtrates illud injecerit hæſitationem, quod inibi teſtari fas non ſit citra impetratas in hoc licentiæ literas, quibus conceditur teſtari de rebus omnibus in ditione Ultrajectina ſitis, allodialibus juxtà ac feudalibus, iis nimirum feudis, quæ ab Ordinibus eorumque vaſallis & ſubditis recognoſcuntur, idque coram Notario ac teſtibus duobus, aut apud judicem loci cui prædia obnoxia ſunt, vel coram paribus curiæ feudalis, ſi ejus naturæ bona fuerint, hac comprehenſa literis iſtis clauſula, valitura coram Notario ac teſtibus ita condita teſtamenta, perinde atque ſi coram Curia feudali aut judice loci rei ſitæ, celebrata fuiſſent. Harum igitur litterarum defectus aut prætermiſſio vitiatne voluntatem ex more Romano ordinatam. Quæſtio, quod petat ipſam licentiæ naturam, digna eſt quæ in gratiam noſtratium excutiatur paulò fuſiùs. Judicatio in eo vertitur, pertineatne ad ſolennitatem diſpoſitionis conſenſus illius impetratio, ut præbeatur eo licentia quædam, prætermiſsâ vetere teſtandi forma, diſponendi ſecundùm faciliorem illam literis comprehenſam, an verò ſpectet ad habilitatem vel legitimatio-

nem perſonæ, quaſi apud nos omninò teſtamenti factionem haberet nemo, qui ejuſmodi licentiam non obtinuerit. Et quidem ad ſolennitatem duntaxat actus conſenſum reſpicere hæc argumento ſunt, quod hodieque apud nos integrum ſit abſque ulla licentia teſtari apud civitatis cujuſque judicem, in cujus latifundio bona ſita ſunt: cujuſmodi teſtationum exempla complura exhibent regeſta civitatis Ultrajectinæ. Unde dicendum videtur conceſſionis beneficio nos ſolvi, qua Romani, qua municipalis juris ſolennitatibus, ut tum nec apud judicem rei ſitæ, quæ patrii juris ſolennitas eſt, nec coram ſeptem teſtibus, quæ Romani, teſtandi amplius ſit neceſſitas. Itaque quod citra ullius conceſſionis opem licet in Hollandia, apud nos impetrata demum agitur licentia; quæ cùm citra notionem ullam nulli non detur, ferè tributi aut vectigalis cujuſdam vicem ſuſtinet. Ad hæc ipſa antè allata harum literarum clauſula, quâ dicitur valiturum teſtamentum, haud aliter ac ſi apud judicem rei ſitæ confectum eſſet, evincitur induci remiſſionem quandam ſolennitatis, non habilitatem perſonæ: quemadmodum & ex eadem clauſula idem adſtruxit Wameſ. *centur. civil. cent. 6. conſil. 2. nu. 4. verſic. præterea & nu. 5.* Maximè omnium fidem faciunt tradita Radelantii idem planè aſſerentis *deciſ. 125. numer. 13.* qui, cum quinquaginta circiter abhinc annis Conſiliarii, poſt Præſidis munere in Curia noſtra ſit functus, quin probè perſpectam habuerit licentiæ naturam, nullus dubitaverim: cujus viri poſthumas deciſiones, vel potiùs privatum in uſum effuſas annotatiunculas, vernaculè

naculè forſan ab ipſo chartis illitas, in publicum qui emiſerit, næ ille quàm peſſimè conſuluit viri juxtà ac Curiæ noſtræ dignationi, cui quidem Curiæ ita cum laude vir ille præfuit, ut & à Neoſtadio laudato viro laudari meruerit *in Præfatione antè obſervationes feudales*. Juvat & illud ſententiam, quod apud eundem Radelantium deciſum exſtet in teſtamento inter liberos, aut ad pias cauſas non deſiderari Principis licentiam, deſiderandam omninò, ſi citra illam prorſus incapax aut inhabilis ad teſtandum perſona foret. Quomodò enim favore liberorum ſuſtineretur teſtamentum ejus, qui omninò teſtamenti factionem non habuerit.

De eo qui teſtatur in pia cauſa favorem aut inter liberos.

Hæc autem quanquam à vero remota non videantur, ſcrupulo tamen nequaquam carent. Facit licentiæ tenor; quo teſtamentum coram Notario binoque teſte ordinatum perinde valere conſtituitur, atque ſi apud loci judicem celebratum fuiſſet, nullâ factâ Lacialis ſolennitatis mentione, ut extra duas priores teſtamenti condendi formas, aliam licentiæ literæ non videantur agnoſcere. Facit & patriæ civitatis ordinatio, quâ cavetur in rebus relinquendis aut legandis, vernaculè *maecken*, adeundum eſſe civitatis judicem: ut per hoc dici poſſet, abolitam eſſe teſtandi more Romano facultatem. Facit denique quod apud nos tabellionis munus capeſſat nemo, niſi qui prævio examine fuerit approbatus, ac prætereà juramento antè aſſeveraverit ſe leges ſervaturum latas, obviandis fraudibus, quibus teſtamenta ſubjacent, ut coram promiſcuo prorſus ac injurato vulgo, id negotii tranſigi legiſlatores noſtrates

ſtrates videantur noluiſſe. Verùm hæc ut non moverunt Radelantium, ita forſan plures non moverint, qui cogitaturi ſint operoſæ Romanorum formæ vel ideo licentiam non potuiſſe meminiſſe, quod cum planior teſtandi forma in medio eſſet, qui adhiberet ſcrupuloſiorem illam, putaverit legiſlator fore neminem; ut non viſus ſit veterem teſtandi formam ſuſtuliſſe, ſed novam potius illi ſuperaddidiſſe, priori longè faciliorem. Ad hæc, ſi res dubia habeatur, non deerunt forſan, qui pro teſtamentis reſpondere tutiùs arbitrarentur, quorum conſervatio publicam utilitatem concernit *l. 5. ff. teſtament. quemadmod. aperian.*

CAPUT IV.

De licentia teſtandi frequentata Trajectinis.

SUMMARIUM.

I. *Quouſque ſe porrigat teſtatio facta apud judicem civitatis aut pagi ſine vel cum licentia literis? & an teſtari liceat coram Curia Provinciali.*

II. *An qui in agro Trajectino apud judicem ſui pagi ſibi invicem reliquerunt uſumfructum, jure teſtati ſint conjuges quoad bona ſita extra diſtrictũ pagi?*

III. *Quo jure ac in parte utatur patria civitas;*

IV. *De bonis extra Provinciam ſitis, citra conſenſum teſtatur apud nos rectè ſive exterus, ſive indigena.*

V. *An citra teſtandi licentiam apud nos validè teſtemur in judicio de bonis ſitis extra provinciam?*

VI *Valeatne teſtamentum oppidani, qui cum æger eſſet, domi teſtatus fuit coram Prætore ac duobus Scabinis?*

VII. *An*

VII. *An qui in agro?*

VIII. *An de bonis in noſtra Provincia ſitis citra licentiam rectè teſtetur alibi Vltrajectinus?*

IX. *An de agro emphiteuticario ſine licentia literis teſtari ſit liberum, & quando ſit opus conſenſu dominico?*

X. *An in pia cauſa favorem ſubſiſtat ſine conſenſu facta teſtatio?*

XI. *An teſtamentum inter liberos?*

XII. *An ſine conſenſu domini vel Curia teſtetur Emphiteuta?*

XIII. *An vaſſalus, & quid inter liberos?*

XIV. *De feudo citra conſenſum Curia teſtatur nemo, ſi dominus alterutrum, vel vaſſallus vel ſubditus, Ordinum Provincia fuerit.*

Verum naturam noſtratis licentiæ, necdum quod ſciam ab alijs explicatam, cum præcedenti capite eruere occeperimus, age, diſputemus de iis paulò uberiùs. Primò illud quæri contingit. Utrùm teſtari volens apud judicem civitatis aut pagi hujus Provinciæ, licentiæ literis indigeam ego Ultrajectinus? Illud hic monendi ſumus, apud nos judicia ſui finibus territorii, ac imperii ita eſſe conſtricta, ut in illis judiciis condita teſtamenta ſe ad bona iisdem non ſubjecta non porrigant: idq́ue palam fit ipſis licentiæ literis, quibus apud judicem teſtandi facultas ulteriùs non conceditur, quàm de bonis in ejuſdem diſtrictu conſtitutis; ut fruſtrà citra licentiæ opem valere intendas, quod vel adjutus conceſſionis literis (ſi tenorem earundem reſpicias) ratum non effeceris: Idemq́ue ſtatuto Amersfurtenſi nominatim compre-

I. *De eo qui teſtatur apud judicem civitatis aut pagi.*

henſum eſt. Itaque ut ad quæſtionem reſponſo defungar. Dicendum videtur valituram diſpoſitionem de bonis in iſtius judicii territorio ſitis, de ſitis alibi in noſtra Provincia non item, ut hoc caſu nec licentiæ literis teſtamentum ſuſtentari videatur, cum iis non alia coram judicio teſtandi concedatur facultas, quam de bonis ſub eodem judicio conſtitutis, adeoque quoad teſtationes judiciales novi nihil conferant literæ conſenſus, teſtationum earum propterea duntaxat memores, ne per noviter introductam coram Notario ac teſtibus teſtandi formam, veterem illam judicialem viderentur ſuſtuliſſe, quod & nuperrimè in Curia tractatum memini: Ut hæc documento ſint laxiorem hac in parte poteſtatem eſſe tabellionum, qui ab Ordinibus noſtratibus citra certæ ſtationis aſſignationem, toti Provinciæ creantur, quam judiciorum, quorum Ordines ſuam cuique ſeparatam juriſdictionem, intraque oleas ſuas (quod ajunt) coërcitam eſſe voluerunt, nec alterius territorii res alienari, aut dominia mancipari coram alterius judicio. Quamvis eo jure, ut mihi quidem videtur, in agris, ob infrequentiam Notariorum, non tam diſtrictè ſit utendum, obtenta nimirum teſtandi venia.

I. *Quid ſi teſtetur quis coram Curia.*

Cum licentiæ literæ duas duntaxat teſtandi formas indulgeant, vel in judicio de bonis eidem ſubjectis, vel coram Notario binoque teſte, quæſitum eſt, an non ſubſiſtat teſtatio facta coram hac ipſa noſtra Curia, quæ literas impertitur? Quod negandum eſſe vel illud argumento eſt, quod immobilia nunquam transferre vel alienare licuerit coram Curia

Pro-

Provinciali, ſed ſuo duntaxat judicio, in quo ſunt conſtituta, teſte Radelant. *deciſ*..88.*n*. 3. De mobilibus major forſan, ſit dubitatio, quod alienari ea etiam coram Curia conſueverint, juxtà eundem Radelant. *d.loc.* verum nec illud affirmandum videtur: cum licentiæ literæ in mobilia ac immobilia juxtà ſint ſcriptæ, nec ab alienatione inter vivos ad ultimas voluntates affirmativè rectè deduxeris argumentum. Quemadmodum & jure Romano, facillima quamvis inter vivos mobilium transferendorum eſſet ratio, teſtari tamen de iiſdem minori cum ſolennitate, quàm de immobilibus, non licuit.

II. *Aut conjugi reliquit uſumfructū.*

De eo accepi aliquando acriter in Curia noſtra diſceptatum fuiſſe: valeatne conjugum diſpoſitio, qua ſibi invicem apud pagi ſui judicem uſumfructum reliquiſſent, quoad bona extra judicis illius diſtrictum ſita? Affirmativa ſententia an perinde vera ſit, ac tum pluritate votorum prævaluit, equidem addubito. Impugnatur enim ſæpè adductis licentiæ verbis, quibus uſusfructus conſtituendi in judicio licentia datur de bonis eidem ſubjectis, ac conſequenter non concernant literæ bona aliis municipiis obnoxia: Nec movet me, quod movit tum alios, noſtratem mutui uſusfructus ſpeciem, quod ab alterutro nequeat revocari, naturam ſortiri contractus. Primò enim, cum licentiæ literæ in hujus uſusfructus conſtitutionem expreſſim ſint ſcriptæ, argumento eſt ultimæ potiùs voluntatis jure eaſdem cenſeri. Quod è patria ordinatione clariùs eluceſcit *art. ult. Rub. de pact.ant.* quo prohibentur quidem conjuges ſibi invicem bona donare, vel legare,

Digitized by Google

Vernacule *geven noch maeken* citra mutui uſusfructus cauſam, ſed eo adjecto, ut eundem ſibi invicem legent, in verbis, *Welcke lijftocht ſy malkanderen ſullen maecken.* Quibus verbis *geven* pro donare, *maecken* pro legare, ordinatio noſtra paſſim uti conſuevit. *vid. Rub.* 28. *art.* 1. *&* *art.* 4. Ut exceptio ſubjiciatur prohibitæ illi legandi, non donandi facultati: propterea forſan, quòd nonnulli putent maritum inter & uxorem, utpote in poteſtate ſua conſtitutam, inter vivos contractum non poſſe ſubſiſtere. Ex eo autem quod non ſubjaceat hæc voluntas alterutrius revocationi, ne alioquin ſe invicem circumveniendi præberetur facultas, non tranſit protinus in nomen contractus, de quo videbimus aliàs. Deinde ut maximè detur per contractum inter vivos conſtitui conjugalem uſumfructum, propterea tamen non evincitur voluntatem ſubſiſtere reſpectu bonorum alibi ſitorum: conſtat quippe, nec inter vivos hodie alienari immobilia, vel tranſcribi in alium, niſi coram ſuo quæque Magiſtratu: Uſusfructus autem connumeratur adeò immobilibus, ut nonnunquam pars habeatur proprietatis *l.* 4. *ff. de uſusfr.* Utique quoad alienandi cauſam; ut rei alienatione prohibita, & uſusfructus dationem, tanquam ſpeciem alienationis vel partem, prohibitam eſſe expreſſim, ſit definitum *l. ult. C. de reb. alien non alienand.* Unde & paſſim reponitur à Doctoribus inter immobilia. Burgund. *tract.* 1. *num.* 51. Argentr. *ad art.* 433 *gl.* 3. *n.* 3. *&* 4. Choppin. *de moribus Pariſ. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 22. Caſtillo *de uſufr. cap.* 52. *num.* 10. Barboſ. *in C. tit. de uſufr. ad l.* 16. *num.* 16. *& plures ibidem alleg.* Quemadmodum

& Or-

& Ordinibus noſtratibus placuit quadrageſimum nummum, rerum immobilium alienationibus indictum, perſolvi & uſusfructus earundem conſtituti nomine, *het Placcaet op den xl. penninck*. Unde conductorem inter & uſumfructuarium hoc intereſt, quod uſusfructus res ita afficiat ut mutatione dominii non amittatur *l. neque ff. quibus mod. uſusfr. amittitur*, cum re conducta alterius facta, novus dominus locationi non teneatur ſtare *l. 9. C. locat*. Sententia Curiæ, cujus ſuprà memini, lata eſt *den 19. December 1648. tuſſchen Gijsbert Aertſz cum ſociis, ende Willem Cornelìſz Ruyter.* In manuſcriptis tamen annotatiunculis ad leges patrias, quæ teruntur manibus omnium ferè eorum, qui apud nos juriſprudentiæ ſacris in foro operantur, ac authorem habere putantur Everardum vander Schuer, patronum quondam in cauſis apud nos multum verſatum, notatum reperi, ſententia Curiæ noſtræ, lata menſe Iunio Anno 1566. ac in ſuprema Mechlinienſium Curia confirmata, intellectum fuiſſe uſumfructum omnium bonorum, quem conjuges apud acta civitatis publica ſibi invicem erant elargiti, porrigi etiam ad bona aliundè extra civitatis territorium ſita, ſcholiiſque iſtis expreſſum eſt ſpeciali civitatis conſuetudine judicatum niti, non communi Provinciæ lege aut more; idque & mihi veriſimile ſit, quod ex ſententia, quâ præſcripta ſunt acta proceſſus; id ipſum controverſiæ compererim inter partes fuiſſe agitatum, ac prætereà interlocutione, diffinitivam illam antecedente, edixiſſe judicem in nonnulla eſſe inquirendum: haud dubiè quo ſibi de ſpeciali illa civitatis prærogativa

III. Quo jure hac in parte utatur patria civitas

ac conſuetudine plenior fieret fides. Eoque magis adducor, ut hoc credam, quod indiſtinctè patria ordinatione *art. ult. Rub. de pactis antenuptialibus* ſcriptum exſtet, licere conjugibus coram civitatis judicio legare ſibi invicem bonorum ſuorum uſumfructum: ut hæc ordinatio, quæ Carolum V. auctorem habet, tanquam poſterior & ad ſpeciem directa, dicenda ſit obrogaſſe anterioribus ac generalibus licentiæ literis, jam tum antè per totam Provinciam frequentatis, ut apparet ex traditis Radelantii *d. deciſ.* 125. *fol.* 249. Conſimiliter in iiſdem annotatiunculis legere eſt, pronuntiaſſe Curiam in bonis ubicunque conſtitutis, vires obtinere teſtamentum apud judicem pagi de Hageſteyn conditum: verùm ambigere ſe ſcribit Annotator, utrùm ſpeciali loci conſuetudine innixa ſit ſententia, an eo ductus fuerit judex, quod petitione legati teſtamentum approbaſſet adverſarius. Ut vel hinc liqueat, quam non ſit ſtandum gregariis iſtis arreſtographis, qui res nobis enarrant judicatas à Senatu, cui non interfuerunt, quoſque ſæpenumerò in proferenda decidendi ratione non parum videas hallucinari. Qua nota, utinam apud Belgas non laboraret Chriſtinæus Deciſionum ſcriptor Mechlinienſium, apud Gallos Papon, ambo alioquin non indiligentes Practicarum Obſervationum corrogatores, plurimæque lectionis.

IV. *De bonis extra Provinciam ſitis citra conſenſum an fiat teſtatio?*

Atque hæc de bonis in ditione noſtra ſitis. Idemne dicendum erit, ſi quis vel indigena, vel exterus teſtetur hic de bonis ſitis alibi. Diſpar bonorum, par perſonarum ratio eſt. De bonis namque alterius regionis qui apud nos teſtetur, quicunque is tandem fuerit, à

con-

conſenſus impetratione immunis eſt: quod licentiæ literæ intra bona in Diœceſi noſtra conſtituta, expreſſis verbis concluſæ ſint: quare cum de bonis alterius juriſdictionis nihil tribuatur licentiæ, nec forſan fas eſſet, ut tribueretur, palam eſt eorundem bonorum adſpectu nullas literis iſtis partes eſſe, nihilque licentiæ impetrationem operari.

Diximus ad bona alibi ſita teſtandi licentiam non pertinere. Quid igitur, de iiſdem bonis, ſi apud nos in judicio teſtatio fiat, eritne ea valida? Valere eam ſi dixerimus, vero erit proprius, inſuper habita quoque ſubditum inter & exterum diſtinctione, ut oſtendimus ſuprà: ac licet Provinciæ noſtræ peculiare ſit, ut apud alterius judicis acta celebratum teſtamentum ad alterius judicis territorium aut bona eidem ſubjecta non pertingat, de bonis tamen ejuſdem noſtræ Provinciæ id exaudiendum eſt, alioquin antè diximus ſufficere, ſi teſtamentum ſolennitates habeat, quas locus rei ſitæ exegerit. Unde & ad bona in ſolo Hollandorum ſita haud dubiè vires teſtamentum explicabit, quod & ibi mos ſit teſtandi in judicio, teſte Grotio *in ſijn Inleyd. lib. 2. part. 17. verſ. op twee wijſen.* Quæ teſtandi forma jure quoque Romanorum comprobata eſt. *l. 19. C. de teſtam.* V. *Quid in judicio?*

His annectere lubet, quod nuperrimè in Curia noſtra in diſceptationem cecidit: Valeatne teſtamentum Montfortienſis, qui illud æger impetrata teſtandi licentia coram Prætore biniſque Scabinis domi ordinaſſet? & in negativam ſententiam conſonantibus votis itum eſt *hoc Anno 1651. ſub feſtum Paſchatis, in cauſa van Nicolaes vander Meer ende Gerrit Beerntſz.* VI. *Domi noſtra ab teſtemur coram Prætore ac duobus Scabinis?*

Quod

Quod Trajectina civica lege, quam deficiente patria, ſequi amant Provinciæ oppida, cautum ſit domi cuique ſuæ non aliter teſtari apud judicem fas eſſe quam convocatis ſuprà Prætorem quatuor Scabinis, duobus pluribus, quam ſi in jure vel in loco juri dicundo diſtinato ſuprema conderentur: nimirum quod extra judicii locum major occaſio & ſuſpicio fraudis ſit, ut propterea etiam major deſideretur cautio, ex doctrina eorum quos citat Mævius *ad ius Lubecenſ. Part. 2. tit. 1. art. 2. n.* 128 Quemadmodum & alias ſeptem requiri teſtes in teſtamento ejus, qui illud extra acta judicialia, vel in alio quam judicii loco, licet coram judice ordinaverit, Doctorib. probatum eſt. Vid. Barry *de Succeſſ. lib. 1. tit. 2. n.* 4. quam in jure teſtandi viam cum elegerit hic teſtator, & ſolennitatibus ejuſdem ſit adſtrictus neceſſe eſt, præſertim cum licentiæ literæ formam teſtandi in judicio non immutent, ut propterea aptare huc poſſit vulgata ſcriptorum regula, conceſſam teſtandi facultatem datam intelligi ſecundùm ſolitam loci conſuetudinem, ubi teſtamentum conficitur. Vid. Maſcard. *de Statutor. interpretat. concl. 7. num. 27. alleg. Afflict. & alios.*

VII. *An in agro?* Idem quod diximus de Provinciæ oppidis num obtinebit, & in agro? Variatum Sententiis eſt, affirmativa modò Curiæ probata, modò negativa, vid. Radelant. *deciſ.* 117. Noviſſima pro negativa deciſio, ut tempore poſterior, ita & jure mihi potior eſt: ob infrequentiam namque hominum remitti aliquid de numeroſo illo Scabinorum numero à ratione alienum non videtur. Ne, cum quinque forſan de judicio haberi nequeant, quod in pagis

Digitized by Google

pagis Scabinorum numerus minor, quam in oppidis eſſe ſoleat, nec ſit copia adhibendi Notarii, ultimo ſolatio priventur miſelli homines. Quemadmodum & Romano jure agreſtium ſuprema ſolennitatis laxamenti aliquid ſuper hoc ipſo teſtium numero promeruerunt. Judicatum habes inter *Ian Rutgerſſz contra d'Weduwe van Adriaen Rutgerſſz*, Menſe Octobri 1617. quo plurali, id eſt, duorum Scabinorum numero Curia contenta fuit.

VIII. *An alibi citra licentiam teſtetur Ultrajectinus de bonis hic ſitis?*

Illud nos ſiſtat forſan, an Ultrajectini teſtatio abſque licentiæ literis alibi facta, viribus ſubſiſtat ratione bonorum quæ intra Provinciæ noſtræ fines ſunt? ſubſiſtere dixeris ex eo, quod ad ſolennitatem pertineat hæc licentia, ac conſequenter non producenda ad teſtamenta alio in loco ordinata. Verùm contra forſan ſe res habeat, quod licentiæ hujus impetrandæ neceſſitas non concernat actum teſtandi in genere, nec quoſvis teneat teſtantes Ultrajecti, quæ natura eſt ſolennitatis actui generatim præſtitutæ: ſed ad ſpeciem directa eas duntaxat reſpiciat teſtationes, quæ de bonis interponuntur ſitis in hac Provincia, adeoque inſtar ſtatuti realis certa afficiat bona. Unde & Chriſtinæus *ad leg. Mechlin. tit.* 17. *artic.* 3. *in addit. in princip.* tradit forma bonis Mechlinienſibus ad teſtandum præſcripta etiam opus eſſe ei, qui alio in loco teſtamentum condiderit, aſſerens ſecundùm eam ſententiam ſæpius eſſe judicatum, quam & confirmat Wameſ. *cent.* 6. *conſ.* 7. *n.*2. *& ſeq.* Ex quibus & illud efficitur nec ab Hollando ſuo in domicilio jure condi teſtamentum de bonis hic ſitis citra licentiæ opem:

opem: quippe cum illa expreſſim reſtricta ſit ad bona Trajectino in ſolo poſita, ſatis conſtat non reſpicere licentiam ſubditos ſolummodò aut noſtrates, ſed in rem ſcriptam merè realem eſſe, ac proinde ratione bonorum hic ſitorum, forenſes ſubditoſque ligare ex æquo, ut pluribus explicat Wameſius *d. loc. num.*4. Hanc tamen ſententiam ſi diligentiùs excuſſeris, erit quod de veritate ejus addubites. Antè oſtendimus licentiæ vim apud nos in eo eſſe, ut beneficio ejus liberemur ab eo jure, quo apud judicem cujuſque loci, ubi bona ſita ſunt, teſtari adſtringimur: ac præterea id favoris datum eſſe ultimis voluntatibus ex communi Doctorum placito adſtruximus, ut non neceſſe ſit adhibere loci cujuſque ſolennitates, ubi res ſoli habueris, ſed ſufficere, ut teſteris pro more regionis, ubi tibi ſuprema contigerit ordinare. Unde & quondam Curia noſtra intellexit valere teſtamentum Trajectini, conditum in Hollandia, citra licentiæ illius literas, de rebus quæ noſtræ ditioni inhærerent, *tuſſchen Cornelis Elbertſz cum ſociis, appellanten van die vanden Gerechte van Mijdrecht, contra Gebbeken Albers geappelleerde den* 8. *Iannuarii* 1593. Quod ſi quis ſequi maluerit, ita demum ſequatur, cùm non apparet, aut evidens conjectura eſt teſtatorem eo ſe animo alio loci teſtatum contuliſſe, quo Statutum domicilii fraudaret, aut illud æris, quod impetrandæ licentiæ nomine apud nos penditur, ſubterfugeret, quo caſu fraudem committi Doctores ajunt de loco ad locum, de qua Peck. *de Teſtam. conjug. lib.*4. *cap.* 29. *n.*3. Maſcard. *de ſtatut. concl.* 6. *n.* 134. *& ſequentib.* quæ fraus ſi abfuerit, dici poſſit

poſſit nec ex eo infirmatum iri teſtamentum, quod teſtator poſteà non impetratis licentiæ literis moriatur domi, argumento eorum, quæ luculenter tradita ſunt apud eundem Peck. *lib.* 3. *cap.* 9. Quamvis pro contraria opinione quædam adducat Mæv. *ad ius Lubecenſ. part.* 2. *tit.* 1. *art.* 16. *circa finem.*

Licentiæ literis comprehenſum eſt ad bona emphiteuticaria eas non pertinere. Unde mirum poſſit videri, cum illa apud nos pari cum feudis ſuccedendi jure utantur; licet in reliquis ferè diſcrepent, cur non & hic ſibi idem juris in utraque legiſlatores eſſe voluerint. Apparet ſanè majorem apud illos emphiteuſeos quàm feudi aut aliarum rerum favorem fuiſſe, quod de his citra conſenſum teſtetur nemo, cum ſuper illa inſpici velint verba ſcripturæ, quibus res in emphiteuſin data eſt, ut, quidquid ea comprehenſum ſit, cuſtodiatur *inſtr. Curiæ rub.* 1. *art.* 32. adeoque ſi ſcriptura contineatur citra conſenſum domini de emphiteuſi non iri teſtatum, jus domino ſalvum manſurum eſſe atque illibatum. Sin verò de eo non ſit conventum, loco conſenſus dominici adhiberi licentiam Curiæ, ut in rebus fit cæteris; quamvis hodieque paſſim conſenſum domini implorari non ignorem. Quod argumento eſt ob frequentiam terrarum ſterilium, quarum etiamnum apud nos magna copia eſt, emphiteuſes potiùs, quàm feuda, majores noſtros voluiſſe multiplicare, adeoque excitare dominos, ut darent terras in emphiteuſin, quo diuturnioris uſus ac fructus invitamento ad impenſiorem earum culturam emphiteutas obligarent.

IX. *De agro emphiteuticario quomodo teſtemur.*

Tra-

opem: quippe cum illa expreſſim reſtricta ſit ad bona Trajectino in ſolo poſita, ſatis conſtat non reſpicere licentiam ſubditos ſolummodò aut noſtrates, ſed in rem ſcriptam merè realem eſſe, ac proinde ratione bonorum hic ſitorum, forenſes ſubditoſque ligare ex æquo, ut pluribus explicat Wameſius *d. loc. num.* 4. Hanc tamen ſententiam ſi diligentiùs excuſſeris, erit quod de veritate ejus addubites. Antè oſtendimus licentiæ vim apud nos in eo eſſe, ut beneficio ejus liberemur ab eo jure, quo apud judicem cujuſque loci, ubi bona ſita ſunt, teſtari adſtringimur: ac præterea id favoris datum eſſe ultimis voluntatibus ex communi Doctorum placito adſtruximus, ut non neceſſe ſit adhibere loci cujuſque ſolennitates, ubi res ſoli habueris, ſed ſufficere, ut teſteris pro more regionis, ubi tibi ſuprema contigerit ordinare. Unde & quondam Curia noſtra intellexit valere teſtamentum Trajectini, conditum in Hollandia, citra licentiæ illius literas, de rebus quæ noſtræ ditioni inhærerent, *tuſſchen Cornelis Elbertſz. cum ſociis, appellanten van die vanden Gerechte van Mijdrecht, contra Gebbeken Albers geappelleerde den* 8. *Iannuarii* 1593. Quod ſi quis ſequi maluerit, ita demum ſequatur, cùm non apparet, aut evidens conjectura eſt teſtatorem eo ſe animo alio loci teſtatum contuliſſe, quo Statutum domicilii fraudaret, aut illud æris, quod impetrandæ licentiæ nomine apud nos penditur, ſubterfugeret, quo caſu fraudem committi Doctores ajunt de loco ad locum, de qua Peck. *de Teſtam. conjug. lib.* 4. *cap.* 29. *n.* 3. Maſcard. *de ſtatut. concl.* 6. *n.* 134. *& ſequentib.* quæ fraus ſi abſuerit, dici

poſſit

poſſit nec ex eo infirmatum iri teſtamentum, quod teſtator poſteà non impetratis licentiæ literis moriatur domi, argumento eorum, quæ luculenter tradita ſunt apud eundem Peck. *lib.* 3. *cap.* 9. Quamvis pro contraria opinione quædam adducat Mæv. *ad ius Lubecenſ. part.* 2. *tit.* 1. *art.* 16. *circa finem.*

IX.
De agro emphiteuticario quomodo teſtemur.

Licentiæ literis comprehenſum eſt ad bona emphiteuticaria eas non pertinere. Unde mirum poſſit videri, cum illa apud nos pari cum feudis ſuccedendi jure utantur; licet in reliquis ferè diſcrepent, cur non & hic ſibi idem juris in utraque legiſlatores eſſe voluerint. Apparet ſanè majorem apud illos emphiteuſeos quàm feudi aut aliarum rerum favorem fuiſſe, quod de his citra conſenſum teſtetur nemo, cum ſuper illa inſpici velint verba ſcripturæ, quibus res in emphiteuſin data eſt, ut, quidquid ea comprehenſum ſit, cuſtodiatur *inſtr. Curia rub.* 1. *art.* 32. adeoque ſi ſcriptura contineatur citra conſenſum domini de emphiteuſi non iri teſtatum, jus domino ſalvum manſurum eſſe atque illibatum. Sin verò de eo non ſit conventum, loco conſenſus dominici adhiberi licentiam Curiæ, ut in rebus fit cæteris; quamvis hodieque paſſim conſenſum domini implorari non ignorem. Quod argumento eſt ob frequentiam terrarum ſterilium, quarum etiamnum apud nos magna copia eſt, emphiteuſes potiùs, quàm feuda, majores noſtros voluiſſe multiplicare, adeoque excitare dominos, ut darent terras in emphiteuſin, quo diuturnioris uſus ac fructus invitamento ad impenſiorem earum culturam emphiteutas obligarent.

Tra-

X. *Quomodo in pia cauſa favorem?* Tractatum nuper eſt in Curia, utrùm in cauſam pauperum ſubſiſtat ſine licentia facta teſtatio? lite ſuper agro hæredem inter & legatarium orta, qui utrimque fiduciariam poſtulaverant adjudicationem, Curia vindicias ſecundùm pauperes dedit, Anno 1650. circa feſtum Nativitatis Domini. In quam ſententiam & olim video conſuluiſſe Sercerium. Exſtat famoſi apud nos, dum viveret, patroni conſilium *in het derde Deel vande Conſultatien conſ.* 125. *fol.* 391. eoque faciunt Radelantii *deciſ.* 125. *num.* 34. quod hanc habet rationem, cum licentiæ in hoc ſint comparatæ, ut earundem beneficio condita teſtamenta perinde valeant, atque ſi juris municipalis ſolennitates fuiſſent obſervatæ, conſequens eſſe privilegiata teſtamenta, quæ ſolennitatibus iſtis relaxata ſunt, ad cauſam literarum licentiæ non pertinere: quorum in numero reponi

XI. *Quomodo inter liberos.* conſtat, Romana lege, teſtamentum inter liberos, ob id ipſum licentiæ illis literis non obnoxium, ex Curiæ noſtræ placito apud Radelant. *deciſ.* 44. Pontificia lege teſtationes in uſum pauperum factas *cap. relatum de teſtam.* Vid. Joan. à Sand. *Deciſ. Friſ. lib.* 4. *tit.* 1. *defin.* 13. Cujus piæ cauſæ nomine venire relictum famulis aut ſimilibus perſonis, qui ægrè vitam tolerant, etiamſi expreſsè non ſit adjectum, ad pias cauſas, Curiam noſtram cenſuiſſe accepi *op den* 19. *Decemb.* 1648. *in cauſa van Cornelia Porſes requirante, contra Cornelis van Rijnevelt qualitate qua, gerequireerde.* Firmatur ſententia traditis Corenii. *Deciſion.* 31. *n.* 28. Rebuff. *de ſentent. proviſ: art.* 3. *gl. ult. verſic. ult. legata. &c.* Quamvis, ſi verum amamus, juris civilis rectior auctoritas, quo communi juris ratione

munien-

Digitized by Google

muniendum eſſe ejuſmodi teſtamentum ſatis apparet *ex l. 13. C. de ſacroſ. Eccleſ.* tanti apud nos eſſe debuerat, ut negaremus eam antiquari poſſe ullo flaminis decreto, paupertatem profitentibus ſæpè plus ſatis amico, cùm & videam Senatum Pariſienſiem dubitaſſe, an pro teſtamento oporteat obſervare, quod morientem locutum eſſe teſtes aſſeruiſſent, proptereà quod hodie planior teſtandi formâ ſucceſſerit in locum Romanorum rituum, ac proindè ea ſaltem ſervanda veniat ſolennitas, cui municipalis cujuſque lex teſtamenta ſubdiderit. Habent Chopin. *de privilegiis ruſticor. lib. 3. cap. 7. num. 9.* Charond. *lib. 11. reſp. 47. circa finem.* Chriſtinæus *ad leg. Mechlin. tit. 17. art. 1. n. 42.* de viribus diſpoſitionis addubitat Grot. *in manuduct. lib. 2. part. 17. in fine.* Sanè pietati Evangelicæ haud conſentaneum eſſe, civiles bonorum acquiſitiones, legum nexibus, piæ cauſæ favore, eximi purior religio jam pridem animadvertit, idque ipſum nuperrimè *diſput. de teſtam. privileg. theſ.* 10. non inconcinnè complexus eſt lectiſſimi ingenii, ac ſingularis facundiæ juris Anteceſſor, Henricus Moreelſe, qui mihi præ cæteris auctor fuit, ut animum ad ſcribendum appellerem, nec inſtare, monere, ut incepta peragerem, unquam deſtitit: uſque adeò donec perpulit.

Eadem in cauſa & hoc dubii motum fuit. XII.
Utrùm ſine domini directi conſenſu de agro vectigali teſtandi ad pias cauſas facultatem habeat emphiteuta, ſi expreſſim pactis ſit cautum, ne ſine illo conſenſu teſtari ſit liberum. Nihil mihi periturum veritati videtur, ſi habere negaverim. Remiſſio quippe ſolennitatum nihil operatur in præjudicium domi-

Quomodo teſtetur emphiteuta?

nici conſenſus, cujus impetratio non ſolennitatis eſt, ſed juris, domino in agro ex ſtipulatione competentis.

XIII. *Quomodo vaſallus, & quid inter liberos?*

Quare & de feudis, ad pias cauſas, teſtans ſine domini conſenſu teſtamentum labefactat, cum & hic conſenſus impetrandi neceſſitas cauſam trahat à jure domini, cui inconſultò vaſallus non obtruditur: privilegiata autem cauſa nunquam trahitur in alieni juris immunitionem. In quam ſententiam propendere videtur. Chriſtin. *Vol.* 1. *deciſ.* 304. *n.* 26. hinc & rectè traditum eſt apud Fred. à Sand. *ad Conſuet. feudales Geldriæ tit* 2. *cap.* 1. eo conſenſu illi quoque opus eſſe, qui inter liberos condat teſtamentum, quamvis & hoc privilegiati ſpecies ſit.

XIV. *Quid ſi dominus ſubditus, non vaſallus Ordinum fuerit?*

Tandem & illud monendi ſumus, cum *art.* 32. *Rub.* 1. *inſtructionis noſtræ* ſcriptum ſit dari licentiam teſtandi de feudis quibuſcunque, quorum domini directi vaſalli ſunt, & ſubditi Ordinum Trajectenſium, judicaſſe Curiam *die ultima Iulii* 1596. ſufficere alterutrum, ut vel vaſallus ſit dominus, vel ſubditus, atque ita ſubſtitiſſe teſtamentum vi conceſſionis Provincialis conditum, citra conſenſum Præpoſiti Eccleſiæ Trajectenſis majoris, unde recognoſcebatur feudum. Idem à Curia intellectum contra Abbatem Sancti Pauli: quorum dominorum uterque ſubditi erant Ordinum Trajectenſium, vaſalli non erant, quod ſuam ſibi peculiaremque Curiam feudalem haberent. De utroque teſtatur & Radelantius *deciſ.* 115.

CA-

CAPUT V.

De Statutis realibus quæ circa actus ſeu diſpoſitionis verſantur ſubſtantiam.

SUMMARIUM.

I. *Statutum ne conjux conjugi donet, leget, reale eſſe, adeoque non licere conjugibus Hollandis ſibi invicem relinquere bona ſita Vltrajecti.*

II. *Contra Vltrajectinos ſibi invicem efficaciter relicturos bona conſtituta in Hollandia.*

III. *In Geldria ſita bona, teſtationem de allodialibus inhibente, non item.*

IV. *Geldrorum contra de bonis apud nos ſitis teſtationes tenere.*

V. *Statutum, in res ubicunque ſitas ſcriptum expreſſim, forenſibus bonis legem non ponere, ſed actionem generare perſonalem; quâ conſequatur rei æſtimationem is cujus intereſt eam legatam non eſſe.*

VI. *Quid tamen ſi ſtatutum loci rei ſitæ reſiſtat diſpoſitioni conjugali?*

VII. *Si quis apud nos decimo quarto ætatis anno teſtetur, fruſtráne is erit quo ad bona ſita Mechliniæ vel alibi, ubi ætas ad teſtandum deſideratur major?*

VIII. *Num locus ubi teſtatio peragitur inducat Iuris diverſitatem, ut ſi noſtras de ſui territorii rebus teſtetur in Geldria, de Geldricis contra apud nos Geldrus. Vel noſtras rerum Vltrajectinarum liberalitatem in conjugem conferat in Hollandia, vel contra?*

IX. *Vltrajectinus ex uxore prolem non habens, vel Amerſfurtienſis, cui liberi ſunt communes, an jus habeant alienandi res ſitas in Hollandia, ubi citra conſenſum uxorium alienatio licita eſt.*

X. *Vbi de poteſtate mariti noſtratis circa venditionem*

ac alienationem immobilium ac diſperditionem.

XI. *Ac prætereà de effectu hypothecæ à marito illiberi ſine conſenſu uxoris conſtitutæ.*

XII. *De effectu communionis coniugalis quoad bona extra locum domicilii contrahentium conſtituta.*

XIII. *Pactitia coniugum communio an protendatur ad eius territorii bona ubi illa communio non frequentatatur.*

XIV. *conſuetudinaria ſeu ſtatutaria bonorum inter coniuges communio cuius natura ac effectus?*

XV. *Communione non obtinente eo loci, ubi contrahitur matrimonium, nec communicantur bona alterius loci, ubi frequentatur communio. Quid tamen ſi tum nominatim pacta ſit communio?*

XVI. *Quod ius cuiuſve loci ſpectari conveniat, in dirimenda creditorum de prioritate contentione.*

XVII. *Quod in feudis, loci ſervientis, an Curiæ dominantis.*

SEd de ſolennitate tantum eſt, imò plus nimio forſan quam patiebatur Commentarioli noſtri ratio. Verùm quæ de noſtrate teſtandi licentia, indicta alijs, in gratiam popularium diſſerui paulò uberiùs, condonent exteri. Tandem ergo eæ percunctandæ ſunt quæſtiones, quæ ipſam actus ſubſtantiam concernunt, vel res de quibus diſpoſitum fuit. Exempla ſunto.

Coniux coniugi nil donato, nil relinquito, ut apud nos Vltraiectinos.

De rebus ſoli allodialibus nemo teſtator, ut apud Geldros.

Vir illiberis immobilia ſine uxorio conſenſu non alienato, ut noſtrorum civica lege comprehenſum eſt.

Vir idem ne vel exiſtentibus liberis facito, ut apud Amersfurtios municipalis lex tenet.

Vir

Digitized by Google

Vir decimo octavo anno maior, antè vigeſimum tamen, immobilia non alienato, ut patria habet ordinatio.

Perſequar ſingula: & quidem de primo quæſito multa apud multos ſcriptio eſt, affirmantibus aliis reale eſſe nec territorium egredi Statutum*, quo conjugibus inhibetur ſibi invicem gratificandi facultas, aliis perſonale eſſe contendentibus. Quæſtionis diligentiùs excutiendæ cauſam mihi præbuit nuperrima litis illuſtris apud nos terminatio. Diemenus, Indiæ Orientalis, quæ Belgis unitis paret, Præfectus, cum in arce Batavia diem obiiſſet, ſcriptâ uxore ex aſſe hærede, ac conſequenter etiam eorum bonorum, quæ in ditione Trajectina ſita eſſent. Quæſitum eſt, cum per loci noſtri leges inhibita ſit omnis inter conjuges gratificatio, citra mutui uſusfructus cauſam, noſtratia bona propinquis cederent ab inteſtato, an ſcriptæ hæredi? Cauſa ad Ordines per modum reviſionis, ut loquimur, perducta, ac compluribus in ſententiæ diſquiſitionem vice ſacra venire juſſis, affatim ſuper eo diſceptatum fuit: perſonale nimirum, an reale habendum ſit noſtrum Statutum. Videamus quid in utramque partem poſſit afferri. Sui cuique ſententiæ non deſunt aſſertores. En complures eorum, qui perſonale eſſe Statutum, adeoque exteros non conſtringere propugnant. Teſſaur. *quæſt. forenſ. lib. 2. quæſt. 4. num. 5.* Merlin. *de legitim. lib. 3. tit. 1. quæſt. 19. n. 14. verſic. Iaſon tamen.* Coraſ. *de art. iuris parte 3. cap. 13. circa.* Noſtras Radelant. *deciſ. 126. n. 12.* Carpan. *ad Statut. Mediolanenſ. cap. 295. n. 16. 17. 18.* Piſ. *var. reſolut. lib. 1. cap. 1. n. 17.* Pingizer. *quæſt. 29. n. 46.*

I. *Statutum ne conjux conjugi leget reale.*

Digitized by Google

n. 49. 51. 52. 55. Et ii quidem hiſce argumentis juvari videntur. Quod Statutum vel Conſuetudo normam præſcribens certo actui à perſona peragendo, ſine cujus actus interventu contra Statutum nil queat committi, in perſonam, non in rem ſcripta eſſe videatur. Quod lex certo poſita perſonarum generi, fundataque in ratione ſtatus conjugalis adeoque qualitas perſonalis, perſonis non rebus data eſſe videatur. Quod Statuti ratio eadem apud nos ſit, quæ apud Romanos prohibendæ donationis inter vivos fuit, ne conjugalis amor pretio ſit venalis, adeo ut ea ſubditorum duntaxat commodo ac tranquillitati proſpectum dixeris. Quid autem ad Ultrajectinos Hollandorum conjugum diſcordiæ? Atque hæc quidem in propoſito Statutum perſonale eſſe, adeoque ad exteros non pertinere arguunt. Contraria tamen ſententia rationibus ſuſtentatur fortioribus, ac longè plurimorum, & quidem nobiliſſimorum Scriptorum tulit ſuffragia. Argentr. *ad conſuet. Britan. ad art.* 218. *gl.* 6. *num.* 29. Burgund. *ad conſuet. Flandriæ tract.* 1. *numer.* 36. *&* 41. Molin. *ad l.* 1. *C. de ſumma Trinitat.* Daſſel. *ad conſuet. Luneburgenſ. cap.* 8. *numer.* 20. 21. *&* 22. Peck. *de teſtament. conjug. lib.* 4. *cap.* 28. *numer.* 6. *&* 7. Cuyck *ad conſil. Craveitæ* 844. Chæval. *quæſt.* 724. Bouvot *quæſt. notabil. in verſic. inſtitution d'Herediter quæſt.* 3. Chriſtin. *ad Leg. Mechlinienſ. tit.* 17. *art.* 3. *num.* 4. *Conſilium apud diſſentientem.* Chaſſan. *ad conſuet. Burgund. Rub.* §. 7. *verb. per teſtament. numer.* 12 Eamque ſententiam hoc argumentum tuetur, quod, ut perſonale dicatur Statutum, non oporteat inſpicere rationem, quæ moverit forſan Legiſlatores

Hollandis conjugibus integrum nõ eſſe legare ſibi invicem bona apud nos ſita.

Digitized by Google

latores, nec non quibus perſonis, aut quorum intüitu jus ejusmodi ſit comparatum, verùm quid qualéve illud ipſum ſit quod prohibeatur: ut ſi reale ſit prohibitum, qualis eſt rerum inter conjuges alienatio, reale audiat Statutum, adeoque denominatio Statuti deſumenda ſit ab objecto, ſeu re ad quam applicatur perſonæ, vel inhibita vel permiſſa agendi facultas. Unde certiſſima uſu ac obſervatione regula eſt, cum de rebus ſoli agitur, & diverſa ſunt diverſarum poſſeſſionum loca & ſitus, ſpectari ſemper cujusque loci leges ac jura ubi bona ſita eſſe proponuntur, ſic ut de talibus nulla cujuſquam poteſtas ſit, præter territorii leges. Exornat hunc locum Argentr. *ad d. art.* 218. *gl.* 6. *num.* 2. probant Frederic. à Sand. *tract.* 1. *tit.* 3. *c.* 2. §. 4. *num.* 9. *fol. mihi* 245. Goris *in Adverſar. tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 12. Perſonæ autem viri & uxoris fit mentio, non ut perſonale evadat Statutum, ſed ut appareat de quo hominum genere loquatur, Arg. *l.* 7. §. 8. *ff. de pactis.* Porrò quod jus hoc inductum diximus ne turbentur matrimonia, turbaverit hoc neminem. Fac enim conjugalem qualitatem cauſam dediſſe legi, ne dixeris tamen inde legem ipſam perſonalem eſſe: ſeparanda quippe ratio diſpoſitionis ab ipſa diſpoſitione eſt: ea namque in rem ſcripta realis eſſe non deſinit perſonæ licet lata intuitu. Verùm nec tam perſonalis illa qualitas in conſideratione noſtri Statuti eſt, quàm favor legitimorum hæredum, ne iis profusâ conjugum erga ſe invicem liberalitate hæreditas intervertatur, idque ipſum probant Chaſſan. *d.* §. 7. *verb. donationis. numer.* 3. Peck. *de Teſtament. conjug. lib.* 4. *cap.* 1. *numer.* 5.

Argentr. *ad conſuet. Britann. d. loc. n.* 29. Burgund. *d. Tract.* §. 44. *& in proloquio n.* 8. Idque ipſum ſi noſtratem legem adſpicias indubium eſt: tenet enim apud nos reciproca uſusfructus donatio, etiam eorum conjugum, qui fortunis, ætate diſpares ſunt, valetque collata in valentem ab altero qui fato propinquus ſit, ut tum mera omninò compendii ſit captatio: cum Romanæ prohibitionis ratio donationibus inhærens inter vivos omnem inæqualem inter conjuges gratificandi materiam excludat. Atqui & omnia jura ſuccedendi ab inteſtato ſcripta ſunt in favorem hæredum legitimorum, quæ tamen propterea nemo dixerit eſſe perſonalia. Adhæc ſumma ratio eſt quæ pro hac ſententia facit. Quid? Ultrajectinarum rerum in conjuges tranſcribendarum jus ſubditus non habebit, habebit exterus? eorundem bonorum ratione melioris conditionis futurus quàm indigena. Atque hæc ſententia in cauſa modo memorata omnium calculos tulit.

II. *Contra Ultrajectinos efficaciter relicturos bona conſtituta in Hollandia.*

Ex ſuperioribus & illa definita quæſtio eſt quæ per contrarium movetur. Ultrajectinum res ſoli Hollandicas efficaciter relicturum conjugi. In rem quippe ſcripta prohibitio fines territorii non egredietur, adeoque nec legem ponet bonis ſitis in Hollandia. Illud ſumma providentia receptum eſſe antè docuimus, ſtatus aut conditio perſonæ ſi afficiatur, per conſequentiam res quaſlibet adſtringi, ut ab ejuſmodi conditionis perſona eæ nequeant alienari, cæterùm directè res afficere, aut in ea cauſa conſtituere fundum ſibi non obnoxium ne in certas perſonas alienetur, omninò jus eſſet dicere extra territorium

torium, quæ nullius Statuti directò vis eſt atque efficacia. Et certè cum ad noſtri territorii fundos, qui ad Hollandos pertinent, effectum porrigant Statuta noſtratia, ut judicatum ſuprà: nonne viciſſim ſua lege loci teneri æquum eſt Hollandici ſoli res ad Ultrajectinos pertinentes? Et in hanc ſententiam ſuper bonis noſtratibus reſpondiſſe video *R. van Amſterdam*, apud Hollandos, ut accepi, patronum quondam celeberrimum. Legitur conſilium *in het tweede deel vande Conſultatien conſil.* 37. Conſentiunt Brodeau *ſur Loüet tit. C. n.* 42. *circa finem.* Burgundus *ad ll. Flandriæ tract.* 1. *n.* 40. 41. Charond. *lib.* 3. *reſp.* 26. *idem aux Couſtumes de Paris tit. des Donat. & Dons mutuels art.* 281. *in fin folio mihi* 203. Barry *de Succeſſ. lib.* 1. *tit.* 1. *n.* 46. *in fine.* Peck. *de teſtament. conjug. lib.* 4 *cap.* 28. Chopin. *ad ll. Pariſ. lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 15. *& de privileg. ruſticor. lib.* 2. *cap.* 2 *n.* 4. Wameſ. *cent. civil* 6. *conſ.* 6. *n.* 1. *verſic. Cæterum.* Quæ ſententia juvatur & *art.* 32. patriarum conſuetudinum juſſu Ducis Albani collectarum, quo bona noſtratium extra ditionem conſtituta, in donationibus, legatis, uſusfructus dationibus & ſucceſſionibus dijudicanda eſſe memorantur ex loci cujuſque lege ubi ſita ſunt.

III. *In Geldria ſita bona, teſtationem de allodialibus inhibente non item.*

Eodem ex fonte promanat alterius controverſiæ decidendæ ratio, quâ quæritur, an quæ apud Geldros tenet conſuetudo, ne cui de rebus allodialibus teſtari liceat, conſtringat, & forenſes de bonis in Geldria ſitis ètiam alio loci teſtantes. Cujus quoque affirmativam adſtruxit optimus patrii ſui juris interpres Frederic. à Sande *ad Conſuet. Feud. Geldriæ Tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. §. 4. *num.* 9. *fol. mihi.* 245.

Digitized by Google

vel eo veriorem, quod hæc alienandi prohibitio nec rerum quarumcunque ſit, ſed allodialium nec quocunque teneat modo, ſed per ultimam duntaxat voluntatem, adeoque non omnis generis omniumque rerum vetita ſit alienatio: nedum ut ageretur de perſonæ ſtatu, quando demum perſonale dici Statutum antè demonſtratum eſt. Unde rectè traditum eſt apud Præſid. Everard. *conſil.* 71. *n.* 9. reale eſſe Statutum de uno genere bonorum teſtari prohibens, de altero permittens.

IV. *Gelrorum contra de bonis apud nos ſitis teſtationes tenere.*

Caſui, qui è converſo eſt, idem jus, eademque quæ ſuperioribus conſtat ratio: nimirum integrum eſſe Geldro de bonis extra Geldriæ limites conſtitutis teſtamentum condere: eoque magis quod teſtamenti factio Geldris in univerſum non ſit adempta, nec ita quaſi perſona ipſa teſtamenti faciendi foret incapax: allodialium namque ac immobilium finibus incluſa prohibita, alterius generis aut loci prædia non afficit.

V. *De Statuto ſcripto in res ubicunque ſitas.*

Diximus rerum alienationibus impoſita Statuta ad alibi ſita non produci, neque ea quoque in dubio capienda præſumptio eſt, ut alieno territorio leges imponere voluiſſe cenſeantur Legiſlatores, ut rectè obſervat Burgund. *d. tract.* 1. *n.* 45. *circa finem.* Quid autem, ſi in bona ubicunque ſita expreſſim concepta ſit conſuetudo, ut ne vel ea legare aut mortis cauſa donare ſibi invicem fas ſit conjugibus? Dicendum eſt donationem propterea non labefactari: non enim potuerunt juriſdictionem, ut maximè voluerint ſtatuentes, ad alibi ſita bona directè porrigere: cæterùm tamen jus in re licet non tribuat Statutum, perſonas tamen conjugum aſtringere nulla dubita-

Digitized by Google

dubitatio eſt, adeoque actionem gignere perſonalem, ut qui citra Statuti prohibitionem rem nactus fuerit, alterius hæredibus perſonali actione teneatur ad id quod eorum interſit donationem celebratam non eſſe. Huc faciunt tradita à Burgund. *nu.* 45. *&* 46. non tamen ut ex eo, quod ſciverit prohibitionem Statuti, irritari dixeris ex doli clauſula donationem: cui tamen ſimile quiddam ratiocinatur Burgund. *d. tract.* 1. *num.* 31. *circa finem*, cùm enim ipſa donatio ſeu mancipatio teneat, nequicquam repugnante domicilii prohibitione; utique pœnam aliquam non meretur, quod lege ſitus permittente me, vel ſcientiſſimo factum eſt: in tantum verò prohibitorium Statutum poterit imperare, ut perſona ei ſubdita obtemperare habeat neceſſe, aut quod alteri eo nomine abfuerit reſarcire; commune enim DD. effatum eſt, Statutum afficere poſſe perſonam ſubditi, etiam quod bona extra territorium ſita, quando nominatim ſtatuentes hoc edixerint. Vid. laudatos à Grivell. *deciſ.* 104. *num.* 44. *&* 45.

VI. *Quid ſi repugnet ei ſtatutum loci res ſita,*

Hoc ita ſi Statuta locorum ubi bona ſita ſunt non repugnent, aut reſiſtant iſti, quod eſt in loco domicilii, qui caſus à præcedenti converſus eſt, ut obſervatum eſt ab Argentreo *ad* 218. *gl.* 6. *n.* 38. Fac enim Hollando Patriam legem expreſſim dediſſe facultatem conjugi gratificandi de bonis ubicunque ſitis. Reſpectu rerum noſtræ Provinciæ fruſtrà erit Legiſlator Hollandus, & ne quidem perſonalis naſcetur actio, quâ petatur æſtimatio. Quia Statutum loci, cui feudi obnoxii ſunt, repugnat diſpoſitione prohibitivâ aut annullativâ: Aliter enim ſi dixerimus, per-

luſorium redderetur Statutum Trajectinum, & nulla poteſtas ſtatuenti foret in prædia ſibi obnoxia, quæ ad Hollandos aut exteros pertinerent, reſque effectu eodem recideret, ac ſi rei contra prohibitionem Statuti legatæ deberetur æſtimatio, contra quam communiter traditum eſt vid. Sand. *lib.4. tit.4. defin.4.*

VII. *Ætatē teſtandi metimur à loco ubi bona conſtituta ſint.*

Valdè affine erit diſquirere, utrùm ætatis qua teſtari liceat definitiva lex, vim ſuam proferat in externa alterius regionis prædia. Utar exemplo. Ultrajectina in Provincia, cùm nullum ſit tempus teſtamenti factioni præſtitutum, frequentatur jus commune, quo uti mares quatuordecim, fœminæ duodecim annorum de rebus ſuis legaverint, ita jus eſt, vid. *'t Placcaet op het onnut ſchult maken der ionge Luyden in fine.* Ad exemplum Meldenſis Provinciæ, in qua cum itidem ætas nulla teſtationibus ultimis aſſignata eſſet, judicavit Curia Pariſienſis ſupplendam omiſſionem ex lege Romana, referente Chopin. *de morib. Pariſ. lib.2. tit.4. n.6* Eadem quæ apud nos eſt, tenet apud Hollandos & Antuerpienſes conſuetudo. Quanquam, ſi non ex auctoritate, ſed ex veritate res æſtimanda foret, quotuſquiſque erit, qui non dixerit præmaturius eſſe hoc tempus, quo de bonis in alium conferendis cum fraude hæredum legitimorum decernant adoleſcentuli; cum tenella illa ætas inſidiosè obſequioſum ab amico vero internoſcendi facultatem non habeat; compertumque ſæpè ſit ſcriptos ab ea hæredes, quos captator aliquis juſſerit, vel cruſtulis fuerit eblanditus. Quare ſi vel Pariſienſem legem, qua infrà vigeſimum quintum annum de feudis teſtari licet nemini: Vel, ſi hoc paulò al-

lò altiùs videatur excurrere, Mechlinienſem, quâ duodevigeſimo maribus, ſextodecimo fœminis teſtamenti factio eſt, vel Pictonum, quâ idem licet maribus viceno, fœminis decimo octavo anno, ratione ac æquitate patrio mori an teſtare dixerim, libera magis vox quàm erronea eſſet. Sed, ut id quod inſtat agamus: quid ſi noſtras teſtetur anno ætatis decimo quarto, ſortieturne effectum diſpoſitio in rebus, quæ alterius regionis ſolo inhæreant, in qua maior ad teſtandum deſideratur ætas? Sit dubitandi ratio, quod de perſonarum ætate ac capacitate lata lex in perſonam concepta eſſe videatur, adeoque ad quæcunque producenda territoria. Verùm contra reale Statutum eſſe inde dixeris, quod in ſtatum ac conditionem perſonæ non ſit ſcriptum, ſed expreſſim directum in rerum alienationes aut alterationes, & quidem per ſolam teſtamenti ſpeciem, adeoque circumſcriptivè ad iſtum alienationis actum, cujuſmodi ſtatuta realia eſſe traditum ſæpiùs: & vel inde in propoſito conſpicere eſt, quod immoto perſonæ ſtatu, quæ nulla ex parte tutelæ ſubducitur, auctoritate tutoris non ſpectante minoris teſtationes, tribuatur noſtratibus hæc teſtamenti factio, adeoque cum ſtatus non turbetur, lex perſonalis dici nequeat. Unde nec Iuſtiniano noſtro repoſita hæc de teſtandi poteſtate materia inter perſonalia jura, quæ primo Inſtitutionum libro profitetur ſe pertractare, ſed inſequente demum libro tradita, ubi de rebus ſe acturum edixerat, & in hanc ſententiam conceſſit Mechlinienſe Concilium memorante Chriſti. *vol. 1. deciſ. 282. n. 12.* ubi ſpeciatim meminit teſtatoris

ſtatoris noſtratis. In eandem & Curiæ Pariſienſis Senatores coierunt præjudiciis compluſculis. Chopin. *de moribus Pariſ. d. num. 6.*

VIII. *Num locus ubi teſtatio peragitur inducat juris diverſitatem?* Locus autem, ubi actus conficitur, juriſne diverſitatem inducat videamus. Fac Hollandum teſtamentariam in uxorem largitatem celebraſſe Ultrajecti, Ultrajectinum de rebus ſuis, non repugnante ſoli lege teſtatum eſſe in Geldria, aut utrobique per contrarium Ultrajectinum in Hollandia, aut Ultrajecti Geldrum ſua ordinaſſe ſuprema. Suſtinebitúrne, aut irritabitur ordinatio, prout habebit ſe regionis mos ubi ſcriptio peracta fuerit? nequaquam: formam enim actus ſpectantia diriguntur quidem ab iſto loco: materiam autem diſpoſitionis quæ concernunt Statuta attendenda ſunt, ubicunque alicui de bonis iſtis teſtari contigerit. Unde cum ejuſmodi Statutis rerum duntaxat vetita ſit alienatio, & quidem certo tantum modo, adeoque ſtatus perſonæ non diſcutiatur aut turbetur conditio; conſequens eſt dicere Statutis iis tanquam merè realibus, omni caſu locoque res affici, ad bona alibi ſita non pertingentibus.

IX. *Maritus noſtras illiberis an alienet res Hollandicas ſine conſenſu uxoris?* De prohibita conjugum donatione diximus, ſuccedat illa prohibitio, quâ per Statutum Trajectinum Vir liberis communibus carens, immobilia citra conſenſum uxorium non alienat, & ſuo more Amersfurtienſis ne quidem liberos habens. Eritne & illa juriſdictionis ſuæ limitibus ita circumſcripta, ut vis ejus nulla ſit in prædia extera? Ego hic aliud à præcedentibus haud facilè dixerim. Directè enim in rerum alienationem ſcripta hæc lex realis omninò dicenda eſt: nec enim Statu-

tum

Digitized by Google

tum reale ſit, an perſonale metiri oportet à ratione quæ à conjugali forſan qualitate fuerit ducta, ſed ab ipſa re, quæ in prohibitionem Statuti ceciderit, de quo fuſiùs egi ſuprà. Atqui videri poſſet prohibitorio hoc Statuto maritalem circumſcribi poteſtatem, adeoque illud eſſe perſonale, ut vires obtineat ubique locorum: haud alter atque uxorem, quæ in tutela ac poteſtate viri eſt, citra auctoritatem ejus nullibi nec contrahere nec alienari poſſe ſuprà adſtruximus: verùm Statuti noſtri verba proprius expendenti diſparitas rationis in aperto erit. Illic quippe mulieri poſita lex ſtatum ejuſdem turbat, ut mariti in ſe tutelam, quam in loco induit domicilii, circumferat mulier ubique. Cum prohibitoria noſtra lex in maritum ſit ſcripta, cujus ſtatus non turbatur, aut alteratur conditio, ſed tam ſuas res quàm uxorias, vel potiùs ſibi cum uxore communes (communionem enim bonorum reſpici dixeris à Legiſlatore quam induxerat inter conjuges articulo præcedenti) mancipare volenti marito eà lex ponitur, ut iſti fini comparere neceſſe habeat conjugum uterque. Ex eo autem quod apud nos prohibeat Legiſlator marito mancipere immobilia coram judicio (*voor't Gerecht*) haud dubiè ſcripſiſſe eum duntaxat apparet Statutum in bona judicio illo ſuo ſubjecta, adeoque ad alterius juriſdictionis prædia non voluiſſe illud excurrere. Non ita tamen ut ad formam actus ſpectet prohibitoria Statuti oratio: quando in hoc requiratur conſenſus uxorius, ne hærediis ſuis vel rebus ſoli temerè à marito privetur mulier: cùm ita demum formam reſpicere conſtet conſenſus alterius

adhi-

adhibendi neceſſitatem, ſi de nullo conſentientis agatur incommodo, Tiraquell. *ad leges connub. gl. 6. n. 5. & 7.* ut ſi noſtras innupta apud Geldros iret litigatum, ubi pro more ibidem recepto curatoris aſſumendi ſolennitate adſtringeretur. Verùm, ut apud nos ſe mores

De poteſtate mariti improlis in vendendis ac transferendis immobilibus.

habent, non adeo magni momenti, effectum ſi reſpicias, hanc prohibitionem eſſe vel illud argumento eſt, quod ipſa licet mancipatio vel tranſlatio, ſeu ut Statutum habet *overgevinge voor het gerecht* non teneat, teneat tamen exemptionis contractu actio perſonalis, cujus beneficio ad ſolennem rei traditionem in maritum emptor agit, ut ſi ille judicata detrectet facere, carcere eo adigatur, vel contumacia perſeverante, aut marito non efficiente, ut conſenſum mancipationi accommodet uxor, æſtimetur à judice, quanti emptoris interſit rem ſibi mancipatam non eſſe, illudque ipſum in uxoris juxtà ac mariti bona mandetur executioni. Quod & Burgundo probatum vidi *in tractatu de Evictionib. cap. 35. num. 6.* Mariti nimirum uxoris fundum contra conſuetudinarii, juris prohibitionem vendentis alienatio licet non ſubſiſtat, teneri tamen uxorem quoque perſonali actione ad id quod intereſt propter evictionem, id eſt ad

X.

Maritus illiberis pignori dans rē immobilem citra conſenſum uxoris, an perſonali ſaltem actione conſtringat uxorem?

refuſionem pretii, & præſtationem ejus quod intereſt? quia, inquit, debitum illud incidit in communionem. Hinc rectè traditum eſt apud Charond. *lib. 2. reſponſ. 29.* Ejuſmodi maritum in eadem cauſa eſſe cum quovis venditore rei alienæ. Cui conſequitur uxorem teneri hoc debito, æquè atque aliis omnibus, ſe neſcio à marito contractis. Ita apud nos ex maritali ejuſmodi traditione rei vindicatione

tione agens emptor repulſam tulit, ex empto poſteà agens, ut ritè res ſibi mancipetur, non tulit: de quo tamen quoad mores Geldrorum dubitat Goris *in Not. ad* Sand. *de Effeſtucat. cap.* 4. *n.* 13. *in fin. & in Adverſariis noviſſ. edit. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 13. Quemadmodum & hypothecam conſtituens apud nos ejusmodi maritus, quanquam nihil agat realis actionis adſpectu, perſonalem tamen contraxit obligationem, utrumque conjugum æquo onere preſſuram. Quin & ex eo eluceſcit non adeò præjudicium uxoris in conſideratione Legiſlatoris noſtratis eſſe, quod vel invitiſſimâ uxore quomodo libet contrahere, vel æs alienum conflare, unaque uxorem adſtringere valeat maritus, unde poſtmodum æris illius diſtrahendi cauſa neceſſaria rerum ſequatur alienatio. Hinc crebram memini vocem Everardi vander Schuer, celebris quondam apud nos Advocati, dicentis mores ſe noſtros in eo demirari, quod viro prolem ex uxore non habenti alienare res ſoli prohibitum ſit, rem omnem vel in lupanari prodigere non ſit. Quare Hollandica prædia non conſultâ uxore validè alienat conjux Ultrajectinus, nec minus Ultrajectenſia prole donatus Amersfortenſis: cui ſententiæ faciunt quæ diſputat Burgund. *tract.* 1. *n.* 9.

Illa quæſtio prætermittenda non eſt. Communio conjugum an & illa pertineat ad realium Statutorum claſſem, vel an ea comprehendantur bona ſita alibi, ubi eadem conſuetudo non obtinet. Exemplum eſto. Ultrajectinis aut Hollandis conjugibus res ſoli ſunt in Friſia, non niſi quæſtuum agnoſcente communionem. Quæritur an & illæ res incidant XII. *Communio bonorum inter conjuges cujus effectus?*

 in

in univerſalem bonorum communionem, quæ apud Ultrajectinos Hollandoſque juxtà frequentatur. Torſit hæc quæſtio præclariſſima ingenia, adeoque diſtraxit in partes diverſas, ut nonnulli alterius territorii bona communioni includi aſſererent, negarent alii. Acriter cauſam priorem agit Molinæus *conſ.* 53. in cujus ſententia refellenda deſudat admodum vir præſtantiſſimus Argentreus *ad art.* 218. *gl.* 6. longiuſque ardore contentionis (ut fieri aſſolet) abreptus Molinæum exagitat quod cogitationibus & ingenii confidentia fretus, ſuum illud ſcripſerit conſilium, ut ſuſceptam cauſam, non ut meliorem tueretur. Mediam quodammodò viam ingreſſus Burgundus *Tract.* 1. *n.* 15. litem ita componit, ut perſonale quidem eſſe Statutum aſſerat, cæterùm tamen ad alterius territorii bona vim ſuam neget exerere. Tractat non pertractat hanc quæſtionem Goris *Adverſ. tract.* 1. *cap.* 6. neutram in partem interpoſito judicio. Operæ prætium eſt excutere eam accuratius. Tres facti ſpecies diſpeſcit Argentreus. Aut nullo habito tractatu coitur matrimonium, lege ſolummodò trahente ſecum communionem, aut tabulis antenuptialibus pacta eſt, ſed ſimpliciter bonorum communio, aut denique eo expreſſim adjecto, ut in bonis ubicunque ſitis obtentura ſit communio. Ego ſpecies poſteriores duas coincidere putaverim. Nam quod Argentreus autumat inductam pacto ſimpliciter bonorum communionem accipiendam eſſe de iis ſolummodò bonis, quæ domicilii finibus includuntur, vix eſt ut admiſerim, niſi conſuetudo aut Statutum communionem intra cancellos territorii

coar-

coarceat expreſſim, ut tum in ambiguo ſecundum jus patrium contracta videatur communio. Verùm indefinitè ſi conceptum ſit Statutum, res coëuntium in commune redactas dixeris univerſas, ubicunque ſint ſitæ: generaliter enim vel ideo locutum eſſe Legiſlatorem veroſimile eſt, ne bonorum inter ſuos conſortia nimia contingat laborare inæqualitate; vel prorſus etiam claudicare, ſi res alterius intra territorium, alterius extra ſint; ac conſequenter & pacta tum indefinitè communionem accipiendam eſſe univerſaliter nullus dubitaverim. Quare potius bimembris eſto præſens quæſtio, adeoque primum dubium. Utrùm Pactitia Trajectinorum, Hollandorumve conjugum communio coarctetur intra ejus territorii bona ubi eadem communio frequentatur. Conſtat jure noſtro omnium bonorum contractâ ſocietate tacitè intelligi interveniſſe traditionem *l. 2. ff. pro ſocio.* Per mores autem pactitiæ huic bonorum inter conjuges communicationi is effectus mancipandi attribuitur, ut perinde habeatur ea valitura, ac ſi ritè communicationem illam aut mancipationem profeſſi eſſent conjuges, apud acta cujuſque loci publica, ubi bona ſita ſunt Vid. Goris *in Adverſar. ad conſuet. Geldriæ tract. 4. §. 21. num. 3.* Ut appareat quæſtionis judicationem in eo eſſe, utrùm in loco rei ſitæ idem, qui in loco contracti matrimonii, quoad vim mancipandi, pacti antenuptialis ſit effectus, an non ſit: ut illo caſu ipſa rerum ſeu corporum mutua facta ſit mancipatio ſeu communicatio, hoc non item. Quare dicendum eſt bona Friſiaci territorii in matrimonium allata redacta videri in commune, cum

XIII. *Pactitia conjugum communio, an protendatur ad alterius territori bona.*

& inibi (ni fallor) id moris ſit, quod in pleriſque Belgii Regionibus obtinet, ut donatio contemplatione matrimonii celebrata ipſo jure factoque mancipet, nec opus ſit actis loci publicis eandem inſinuari. Quare per contrarium feuda (unde duxit argumentum Burgundus) niſi coram judice loci dominantis facta ſit inſinuatio, in contractam hanc communionem non incidunt: quanquam, ſi rectè calculum pono, parum convenienter feuda in confirmationem adducuntur, quod ſpectetur in illis jus tertii, domini directi, non manſurum illæſum, ſi citra ejus conſenſum feuda dividerentur, aut alius adoptaretur vaſallus; favore autem matrimonii nulli hominum jus ſuum detrahitur. Tum tamen cum ipſa corpora, vi pactorum antenuptialium, in commune non ſunt redacta, refragante nimirum loci lege, quæ hujuſmodi mancipationem ex cauſa nuptiarum non admiſerit, ſocietatis tamen judicio, ad conſequendam eorum communicationem, agetur contra ſocium, qui bona illa in matrimonium contulerit. *arg. l. 74. ff. pro ſocio.* quorum communicandorum facultatem ſi non habeat ſocius, tenebitur ad id quod intereſt pacta conventa adimpleri, quod & in feudis eadem ratione obtinet teſte Frederic. à Sande *ad Conſuet. Feud. Geldriæ. tract. 2. tit. 2. cap. 3. num. 6.* Goris *tract. 1. in Adverſ. cap. 3. num. 8.*

Corpora ipſa ſi communionem effugiant, agitur ad eorum communicationem, vel ad id quod intereſt pacta conventa adimpleri.

Quamvis de feudis id tum demum reſpondent DD. ſi ſpeciatim eorundem pacta ſit communio: haud dubiè, quod contra tertii jus non præſumantur contrahentes quippiam voluiſſe committere extra ſpeciatim expreſſam voluntatem; contra quam dicendum eſt

Quid de feudis, expreſſim ſtipulata communione comprehenſis.

in

in communis naturæ bonis, in quibus alii jus nullum competit quæque ſitus tantùm ſeparantur diverſitate. Hæc ita de bonis quæ jam antè ſocietatis auſpicia ad conjugum quemque pertinebant. Alia ratio eorum eſt, quæ ab alterutro conjugum durante ſocietate acquiruntur: licet enim contractu antenuptiali transferantur rerum dominia, quod per traditionem tacitam utrimque bona intelligantur communicata *d.l.2.* poſteà tamen, ſi qua bona coëmerit alteruter aut comparaverit, protinùs communia non ſunt, ſed ſocietatis illius judicio contra ſocium agitur ad conſequendam eorundem communicationem *l.74. pro ſocio & ibi gloſſ.* In locis igitur qui ſcripto illo jure reguntur conſtituta conſtanteque matrimonio acquiſita bona in communionem non incidunt, ſed eorum ratione diſſoluto matrimonio uxor agit in partem. Vid. Goris *in Adverſ. tit.* 1. *cap.* 5. Uſum hæc noviſſima in allodialibus habent per-exiguum, quod apud pleraſque ferè gentes ab uno quæſitum acquiritur utriſque, in feudis tamen etiamnum obtinent: quæ quamvis redigantur in commune, ſi tabulis antenuptialibus acceſſerit domini conſenſus, poſt quæſita tamen ei ſolum conjugi cedunt, qui per ſolennem conceſſionem ad dominium admiſſus eſt, intendente tantum altero ſtipulatæ communionis auxilio admitti in pretia eorundem, quæ latiùs explicata habes apud Frederic. à Sand. *ad Conſuet. Feudal. Geldriæ tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 3. *n.* 7. *& ſeq. &* Goris *tract.* 1. *cap.* 3. qui ibidem in fine exiſtimat feudis illis jam acquiſitis de iiſdem in caſum ſoluti matrimonii dividendis conſenſum domini impetrari ex re

De bonis cõſtante matrimonio quæſitis.

 fore.

fore. Quæ ita tamen apud nos acceperis, ſi nominatim feudorum ſit pacta communio: alioquin quæſitorum eorum nomine dimidium duntaxat pretii recipitur, quod in comparationem feudi impenſum eſt *art.* 25. *Rub.* 23. *patriæ ordinationis.*

XIV. *Conſuetudinaria bonorum communio ſpecies alienationis tacitæ eſt inducta per contractum matrimonii.*

Diximus de communione inter conjuges ſtipulata. Supereſt conſuetudinaria ſeu Statutaria, quam ipſa matrimonii celebratio ſecum trahit. Quæſtionis ſtatum in eo conſtituunt DD. Utrùm à reali Statuto procedat hæc communio, an à perſonali. In priorem ſententiam concedunt Chaſſan. *ad Conſuet. Burgund. Rub. des Droicts & Appart. à gens mariez* §. 2. *in verb. ſelon la generale Couſtume n.* 12. *verſic. ſed quantum ad bona exiſtentia extra Ducatum Burgundiæ.* Præſ. Everard. *in locis legalibus à nomine dignitatis officii vel appellativo. ibi. ſexto illud facit.* Peck. *de Teſtament. coniug. lib.* 3. *cap.* 28. *verſ. hinc eleganter.* Omnium autem ſubtiliſſimè juxtà ac copioſiſſimè Argent. *ad Conſuet. Britan. art.* 218. *gl.* 6. *num.* 33. Chopin. *ad ll. Andegav. lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 4. *fol. mihi* 390. Pro altera ſententia ſtant Molin. *eleganti illo conſilio* 53. Chriſtin. *vol.* 2. *deciſ.* 57. Loüet *en ſon Recueil. tit. C. num.* 16. & *in annotat. num.* 42. Burgundus autem *tract.* 1. *numer.* 15. iiſdem licet argumentis, quibus uſus erat Molinæus, tueatur & ipſe cummunionis jura perſonalia eſſe, non tamen inde effici putat pertinere eandem, ad quæſtus ubique locorum factos, quæ conſequentia Molinæi eſt, ſed ſuo illa jura coarctari territorio. Verum næ Burgundus in eo fallitur. Nam quod noviter intendit perſonalia jura actionem aliam vel effectum, quam perſonalem non producere, adeoque non officere

res:

Digitized by Google

res: id quam falſum ſit, ſuprà pluribus oſtendimus. Utique quæ de prodigi, pupilli, minoris, viri & uxoris ſtatu ac conditione latæ ſunt leges, perſonalia jura ſunt, ac vel eo ipſo palam eſt agere illa in bona ubicunque ſita, cum contra realium vis atque efficacia alienum in territorium non protendatur. Proinde ſi in perſonalium claſſem reponatur connubiale bonorum conſortium, conſequens erit dicere obtinere illud in bonis aut quæſtibus quibuſcunque, contra realium numero ſi veniat, territorii metis teneri incluſum. Verumenimverò, ut expromam quod ſentio, illis ipſis argumentis, quibus duo iſti coryphæi aſſertum eunt perſonale eſſe communionis jus, mihi contra reale eſſe effici videretur. Palmarium, quo pugnant, argumentum eſt, communionis hujus cauſam ac rationem totam referendam eſſe ad naturam traditionis, quæ eo ipſo intercedere intelligitur, quo matrimonium & per conſequens rerum ſocietas contrahitur, quod & in alia quavis univerſali ſocietate jura credant tacitè interveniſſe mutuam traditionem. *l. 2. ff. pro ſocio.* quæ ſocietas, quamvis nominatim coita non ſit, tacitè tamen contracta intelligitur, quod ſecundum regionis morem, actus hujus interpretem, ſocietatem hanc eo ipſo videantur iniiſſe contrahentes, quod aliter non pepigerint; ut ipſi matrimonii contractui inſit hæc rerum communicatio, eo quod loci lex, in eundem influens, eam naturam, eumque effectum nuptiarum contractui indiderit: ita ut hæc conſuetudinaria ſocietas ſpeciem dicatur obtinere alienationis voluntariæ, quâ contrahentium alter alteri

Communio bonorum non tam procedit a ſtatuto aliquo, quam rerum communicatione quà expreſſa, quà tacita.

teri ſemiſſem bonorum tradidiſſe cenſetur aut mancipaſſe, quomodo hoc conjugale conſortium communiter exaudiunt Pragmatici Coren. *conſil.* 25. *n.* 25. Wameſ. *cent.* 5. *conſil.* 96. *n.* 1. Burgund. *tract.* 1. *n.* 16. Proinde omninò conſequens eſt ut ea ſocietas ex actu communicationis ſeu mutuæ alienationis, qui matrimonii tractatui ineſt, dicenda ſit deſcendere: ex qua alienatione, quoad perſonalem effectum, perſona quidem tenetur, una cum rebus ubicunque ſitis; cæterùm tamen, ipſum mutuæ communicationis effectum ſi reſpicias, ſuper quo hæc quæſtio inſtituitur, illud videntur laudati Scriptores velle, matrimonium contrahentes eo loci, ubi illa bonorum communio obtinet, tacitè eandem videri iniiſſe, adeoque perinde eſſe ac ſi diſerta pactorum connubialium lege res invicem communicaſſent. Ut ſit manifeſtum, non hoc ad controverſiæ deciſionem in quæſtione ponendum eſſe. Utrùm Statutum vel Conſuetudo loci, ſecundum quam contrahitur matrimonium, realis ſit an perſonalis, ſed utrùm hæc tacita bonorum communicatio actus ſit realis vel perſonalis: cùm ſtatuti nullæ ſint partes aliæ, quam matrimonii contractum interpretari; quovis ſcilicet contractu interpretationem accipiente à loco, ubi celebratur; adeoque, aliter collocato controverſiæ ſtatu, quæſtionem in eo eſſe, utrùm per hanc tacitam communicationem vel alienationem (quicumque enim communicat, alienat) transferantur & ejus territorii bona, ubi nec ex cauſa matrimonii per mutuam conventionem, citra ſolennem mancipationis interventum, rerum domi-

dominia alienantur: quod, cum hic actus haud dubiè ſit realis, apparet eſſe negandum: (de perſonali effectu ſeu actione inde provenientе diximus ſuprà) cum jam ſæpè dictum ſit, & communis uſus obſervet, rerum dominia non aliter inter vivos alterari, quàm ea obſervata forma, quam jura legeſque, in quo fundi illi conſtituti ſint, exegerint: adeo ut fruſtrà quæſiveris ſuper Statuto aliquo, an ſit reale, an perſonale, ſed controverſiæ ſtatus ſit ſuper rerum communicatione ſeu alienatione, ad quas res ejuſmodi actus vel contractus poſſit pertingere. Quod apud Hollandos eo faciliùs admiſeris, quod inibi juxtà Neoſtadii notata *ad deciſ. 9. de pact. ante-nupt.* tacita hæc & ſubintellecta communionis conventio ex quondam frequentata pactitia inoleverit. Viri enim cum mercaturæ beneficio innumeras opes (mulierum pleriſque & in eo partes ſuas obeuntibus) ut plurimum conquirerent, ac conſultiùs ſibi fore exiſtimarent mulieres lucri damnive per omnia fieri participes, quam ut præter dotis reſtitutionem nihil ultrà exſpectarent, factâ etiam dotis jacturâ, ſi mariti facultatibus laberentur, ſtipulationes hujuſmodi de rerum communitate adeo frequentes interceſſerunt, ut etiam omiſſæ, ex tacita contrahentium mente, pro expreſſis haberentur. Quare legalis hæc rerum communio perinde pacti taciti nomen merentur nobis atque JCtis invecta & illata in urbanas habitationes propterea pignori eſſe dicuntur, etiamſi id nominatim non convenerit, quia (inquit *in l. 4. ff. de pactis*) conventiones etiam tacitè valent, quaſi diceret, quoniam ejuſmodi conventio, ut res

Quod ſpecialius confirmatur moribus Hollãdorum.

pignori ſint, interponi ſemper conſuevit lex etiam non expreſſam, tacito conſenſu intervenire intelligens, generaliter illata pignori eſſe voluit, niſi ſpecialiter contrarium eſſet actum. Sit igitur hæc qua pactitiam ſeu expreſsè initam, qua tacitam ex ipſo matrimonii contractu, à Statuto vel Conſuetudine loci, interpretationem accipiente inductam res afficere quaſcunque, præter conſtitutas eo in loco, ubi ſolennis rerum deſideratur mancipatio. Quarum rerum reſpectu perſonale geritur negotium, ex eo quod omnia ſua bona contrahentes cenſeantur voluiſſe eſſe communia ut diximus ſuprà; Quare ubicunque illa communicatio vim mancipandi non habuerit, naſcetur inter conjuges obligatio, quâ agant illi vel in rei partem, vel ad id quod cujuſque intereſt bona illa communicata non fuiſſe: niſi tamen bona fuerint feudalia, cujuſmodi generali bonorum communione negavimus venire, ut ita demum, ſi expreſſim eorum ſtipulata ſit communio, in partem pretii admitti rectè conjuges intendant. Quemadmodum & conſtante matrimonio conquiſita bona veniunt in communionem omnia, niſi ex lege loci prædiaria ejus ſolius ſint, cui ea fuerint tradita, admittendo tum altero in pretii præſentis partem: præterquam quod apud nos feudi acquiſiti nomine pro recompenſa ad exęquanda jura ſocietatis, ne alteri abſit aliquid, ex quo redderetur alter locupletior, conſequetur conjux dimidiam pretii partem quod in comparationem feudi impenſum eſt *art*. 25. *Rub*. 23. *Patriæ ordinationis*, niſi de feudis communicandis expreſſim ſit interpoſita ſtipulatio,

tio, cujus virtute ſibi invicem obligantur conjuges, ad id quod cujuſque intereſt pacta conventa adimpleri; acturi tum in pretii præſentis dimidium, ut & dictum ſuprà. Atque ita apparet connubiali hoc bonorum conſortio poſſe & mancipationem ſeu alienationem celebrari, & ſimul aliorum bonorum adſpectu perſonalem contrahi obligationem, adeoque reale ac perſonale negotium juxtà geri: quod mirum non videbitur ei, qui in actu, qui communioni contrarius eſt (contraria autem contrariorum ſunt diſciplinæ, ut loquuntur Philoſophi) idem juris eſſe animadverterit: cum nimirum diſſolutâ ſocietate inter hæredes conjugum rerum initur diviſio: alienantur enim tum ac cedunt hæredibus bona ejus duntaxat loci, ubi conſimiliter per actum diviſionis ipſo jure fit mancipatio, citra ſolennem traditionis interventum; cum alibi conſtituta bona, ubi ſolennis illa traditio requiritur, diviſione non alienentur, ſed eorum reſpectu perſonalis contrahatur obligatio, quâ ſe invicem compellant hæredes ad traditionem ritè peragendam, vel ſi bona interim alienaverint, præſtent id quod alterius intereſt non alienata fuiſſe, quemadmodum & in omnibus familiæ erciſcundæ judiciis obtinet.

XV. *Communione non obtinente in loco contractus, nec communicantur bona ejus loci ubi illa frequentatur.*

Per contrarium ubi nulla bonorum viget communio, ſi matrimonio copulati ſint contrahentes, nec communicantur bona alterius loci, ubi illa communio frequentabatur. Nam tum dicendum eſt contrahentes eo ipſo quod coïerunt in leges loci communionem reſpuentes, eandem nullibi contractam, ſed

ubique

De pacta eo loco communione. ubique excluſam eſſe voluiſſe. Secus ſi nominatim pacta, dictaque ſit à contrahentibus rerum communio, locum etiam tum habitura in regione quavis communionem ex ſolo matrimonii contractu agnoſcente, vel communionem quidem illam non inducente, ſed agnoſcente pactitiam. Utriuſque ſpeciei definitionem habes apud Mornacium *ad. l. exigere dotem ff. de judiciis* & Charond. *en ſes Obſervations memorab. in verb. Communauté.* adde Coſtal. *ad. l. 65. ff. de judiciis.* Molin. *conſ.* 15. Tandem ut finiam, quod diximus in contrahendo matrimonio id voluiſſe contrahentes, quod volunt loci Leges, ubi contractus eſt celebratus, cum aliter fuiſſent pacti, niſi pro ſe credidiſſent paciſci legem, hactenùs verum eſt, ſi vel uxor in domicilium viri non ſit traducenda, vel maritus in uxoris domicilium ſedes decreverit collocare: tum namque locus contractus propterea non venit attendendus, quia per deſtinationem in locis illis domicilii matrimonium contractum eſſe intelligitur: quibus faciunt tradita Burgund. *Tract. 2. n. 11. & 12.* Hæc ita de rebus diſſeruimus immobilibus: mobilia enim quod attinet, cum ſolenni iſti mancipationi non ſubjaceant, vel venire communione, vel non venire, pro lege pacti, qua taciti, qua expreſſi, nulla dubitatio eſt.

Creditoribus de prioritate contendentibus cujus loci leges ſpectanda. Loquamur de ejuſmodi Lege aut Statuto, quo tribuitur mulieri hypotheca pro reſtitutione dotis in bonis mariti, quomodo ſe mores habent Antuerpiæ, & in iis Galliæ regionibus quæ jure ſcripto reguntur, teſte Mornac. *ad Rubric. ff. de tributoria*, afficiatne ea bona ſita alibi; ubi Conſuetudo viget contraria? monendi hic ſumus capere hanc hypothecam

exor-

xordium ab ipſis matrimonii auſpiciis, licet
.os, cujus ratione competit illa, ſoluto de-
num matrimonio exigatur: de quo fusè Mer-
curialis Merlina in ſpiſſo illo opere *de Pignorib. & Hypoth. lib. 3. tit. 2. quæſt. 74.* & nos alibi
plenius. Videamus igitur, Utrùm legali hac
hypotheca teneantur bona contrariæ legis
territorio obnoxia. Chriſtinæus in affirmati-
vam ſententiam judicata producit complu-
ra. *tit. 9. art. 4. num. 29. & ibi in Annot.* Quæ
tamen an rectè ſe habeant, affirmare non au-
ſim. Jus quippe in re ut naſcatur, qui poterit
id præſtare alieni territorii lex? Conſtat mo-
ribus apud nos pervulgatis expreſſa hypothe-
cæ conſtitutione, quâ generali, quâ ſpeciali
non affici res, niſi coram eo judicio, cui bo-
na ſunt obnoxia, vel alio duntaxat modo,
quam lex regionis, cui bona inhærent, in-
dixerit: Quemadmodum in Hollandia ex de-
creto Ordinum bona generali hypothecæ ob-
ligantur coram quocunque Hollandiæ judi-
cio, quamvis haud pleniſſimo cum effectu,
vid. Groenw. ad *l. 14. C. de oblig. & act.* Con-
ſequenter nec tacita ſeu legalis hypotheca ad-
ſtringit bona alia, quàm quibus lex poterit
imperare; ea nimirum, quæ Legiſlatoris ter-
ritorio ſunt ſuppoſita, cujus ſolius loci legis
eſt, tanquam Statuti realis, realem in rebus
effectum producere, cum alterius judicis au-
ctoritas non efficiat hypothecam. Pergamus
quærere ulteriùs. Creditoribus de prælatio-
ne contendentibus quod jus cujuſque loci o-
porteat inſpicere. Primum utamur vulgatâ
DD. diſtinctione, quâ ſeparantur ea quæ li-
tis formam concernunt ac ordinationem, ab
iis, quæ deciſionem aut materiam. Lis ordi-
nanda

Digitized by Google

nanda ſecundum morem loci, in quo ventilatur. Ut, ſi judicati exequendi cauſa bona debitoris diſtrahantur, qui ſolvendo ſit, executio peragatur eo loci, ubi bona ſita ſunt, aut in cauſam judicati capiuntur. Sin ceſſerit foro debitor, aut propalam deſierit eſſe ſolvendo, ut iſti mobilium capioni aut ulli omninò executioni non ſit ultrà locus, facta jam omnium creditorum conditione pari, diſputatio de privilegiis aut concurſu creditorum veniat inſtituenda, ubi debitor habuerit domicilium. Unde cum apud nos relictis fortunis ſolum vertiſſet debitor obæratus, ac res ejus ſitas in Hollandia venum proſcriberet curator, creditores Hollandi, apud Provinciæ ſuæ Curiam venditioni intercedentes, cauſa, ibidem ventilata, tulerunt repulſam: audito in eo curatore, quod apud nos ſuper univerſis debitoris facultatibus, adeoque & pretio ex venditione illa redigendo, ab uno eodemque judice peragenda decidendaque ſit creditorum contentio: ex communi ſcribentium placito Gail. *lib.* 2. *obſerv.* 130. *n.* 13. & *ſeqq.* Mæv. *ad jus Lubecenſ. lib.* 3. *tit.* 1. *art.* 10. *num.* 51. Ob manifeſtam quoque cauſæ continentiam, ne ſuper creditorum jure à diverſis judicibus diſſonæ ſententiæ pronuntientur. Hæc de litis ordinatoriis. Aliud ferè à præcedentibus obtinere dixeris in ejuſdem deciſoriis: jus enim creditorum ſuper prioritate in bonis debitoris demetiri oportet à loco, ubi diſtracta bona ſita ſunt, vel eſſe intelliguntur. Et quidem de mobilibus ſi quæratur, cum ſemper ibi eſſe exiſtimentur, ubi creditor fovet domicilium, cujus oſſibus vagæ hæ res intelliguntur adhærere: utique ex lege ejuſdem

Ordinatoria litis unde legem accipiant?

Ubi ſuper prioritate diſputandum ſi debitor non ſit ſolvendo.

In mobilibus ſpectandum domicilium debitoris.

em domicilii diſcutienda cauſa creditorum ſt. Judicatum habes apud Carpzov. *pract. nſt. part. 1. conſt. 28. defin. 9.* quod laudat Mæv. *ad jus Lubecenſ. lib. 3. tit. 1. art. 11. n. 26.* Inde rectè dixit Burgund. *tract. 2. n. 21.* Quodcunque judex domicilii de mobilibus tatuerit ubique locorum obtinere. Hæc ita niſi forſan executio directa ſit in ejus debitoris mobilia, qui adhuc in poſſeſsione ſuorum bonorum ſit, feret enim tum creditor diligentiæ ac vigilantiæ ſuæ prooemium, ſi quod eo nomine loci mores, ubi in cauſam judicati ceperit mobilia, præ aliis creditoribus ipſi indulſerint; quod privilegium illud non tam proficiſcatur ex credito, quàm ex actu ipſo executionis, quâ alios creditor prævertit, adeoque hæc res tanquam concernens exequendi ordinem, legem accipiat à loco ubi illa peragitur, ac prætereà pignus illud judicale ita conſtituens judex in bonis, apud ſe in cauſam judicati captis, dicitur ſupplere vicem debitoris; ut perinde res habeatur, ac ſi ipſe debitor bona illa eo loci pignori tradidiſſet *l. 2. C. ſi in cauſam judicati.* Hæc ita ſi in uno loco debitoris ſit domicilium. Quid autem de eo dicendum, qui habuerit illud alio atque alio loco, ſingulisque locis ſua poſita mobilia? Regentur illa ſuâ cujuſque domicilii lege; unde & in ſuccedendi cauſa leges accipere mobilia, alibi à nobis traditum eſt: vid. Burgund. *d. tract. 2. n. 22.* Quid autem ſi quis pluribus locis ex æquo negotietur? Rectè ibidem traditum eſt à Burgundo ita demum mobilia dirigi loci alterutrius ſtatutis, ſi & utrobique inſtruxerit domicilium. Nec movet, quod proditum ſit eum qui non jure

De eo qui plura habet domicilia.

Qui foris negotiatur.

jure domicilii tabernulam vel pergulam conduxit, ibique diſtraxit, defendere ſe eo loci debere *l.* 19. §. 2. *in fin. ff. de judic.* Aliud namque compellere debitorem ad certo loco litigandum: aliud tribuere privilegium in bonis ejus inter creditores. Quid! debitor in loco contractus, ſolutionis, ſi ibi reperiatur, cauſam jubetur dicere. Quid! moribus noſtris judicium cogitur excipere, ubicunque locorum perſona ejus vel bona præcluduntur arreſto: dicemúſne propterea à locis iis omnibus mobilia leges ac jura accipere? tertii præſertim reſpectu; cum debitor, qui forum contraxit, ſemetipſum duntaxat adſtrinxerit: privilegia autem vergunt in præjudicium creditorum aliorum; qui & ſuum non minus domicilium, ubi ſecum contractum eſt, quàm aliorum ſpectari debere, haud dubiè ſint cauſaturi. Quare res ipſa monet in hac locorum ac jurium variatione, unum certumque debere conſtitui locum, ad cujus leges mobilia componantur. Quo ecquis alius convenientior, quàm domicilii ejus, cujus mobilia ſunt, & ubi intelliguntur exiſtere, adeoque cujus loci judici poteſtas & privilegium in iis tribuere? quemadmodum & defuncto domino, ſi de ſucceſſione eorum ipſorum mobilium controverſia exoriatur inter hæredes ejus loci, ubi pergulam habuerit defunctus, ac inter eos qui legibus domicilii defuncti jus ſuum tuentur, non aliam ob rationem poſteriorum cauſa potior erit, quàm quod mobilia illa regantur legeſque accipiant ab uno domicilii loco. De eo controvertitur. Contingit Mercatoribus diverſis in locis diverſas ſibi tabernas aut negotiationes habere. Hinc quæ-

De eo qui diverſis locis tabernas habet.

quæſitum, an qui in uno loco credidit, in alterius loci mercibus venire valeat in tributum? Sunt qui creditores confundendos negent, ſed eos ſeparatim vocando in tributum, ſingulorum locorum merces ſuis cedere velint creditoribus, & ſi quid in uno loco ſuperſit, id cæteris prodeſſe: eo quod merci potiùs, quàm perſonæ creditum intelligatur Arg. *l.* 5. §. 15. *ff. de tributor. action.* Vide Laudatos à Mæv. *lib.* 3. *tit.* 1. *art.* 10. *num.* 56. *& ſeqq.* Contra pro tributione ſtat Cardinalis Mantica *de Tacit. & Ambig. lib.* 11. *tit.* 23. *num.* 32. *& ſeqq.* cujus opinionem vix eſt ut improbaveris. Æs enim alienum non unius loci, ſed univerſarum facultatum eſt. *l. ſi fideicommiſſum §. tractatum ff. de judiciis*, ut creditores dicendi ſint habuiſſe reſpectum ad univerſum patrimonium, in pluribus licet provinciis diſtributum. Et certè, cùm non perſonæ, quæ individua eſt, ſed rei creditum id eſſe Doctores contendant, cur igitur, dimiſſis unius loci creditoribus, ad id quod ſupereſt, admiſſum eunt creditores loci alterius? Adducta autem *l.* 5. de ſervo loquitur, ad liberos homines non producenda. Vid. Mantic. *d. loc.* & Groenewegen *ad d. l.* 5. Hæc ita convenienter legibus videor diſputare. Cæterùm tamen intuitu mercaturæ, cujus ergo multa ſingularia introducta paſſim, non deërunt forſan, qui priori ſententiæ adhæſerint; inquam & Antuerpiæ ſcripta Lex eſt *reſer.* Groenew. *d. loc.* de quo loco conſuluit Wameſ. *cent.* 4. *conſil.* 64. Fac foris contractum celebratum, ubi per mores ejuſdem loci jus prælationis inter chirographarios competit, locus videri poſſet attendendus eſſe contractæ obligationis: *Privilegia inter creditores dantur à judice ubi bona ſunt*

aut eſſe intelliguntur. eo quod obligationes dirigi ſoleant à loco ubi contrahuntur. Et hiſce ſimile quiddam ex Deciano profert Maſcard. *de Statut. concl. 7. n.* 80. Verùm non eſſe reſpiciendum locum, contractus verò proprius eſt: utpote qui eo duntaxat pertineat, quo vel arctius vel remiſſius ex contractu ſuo teneatur ipſe debitor, adeoque ſpectetur quoad ipſos contrahentes, qui eo ipſo quod alio in loco contractum celebrent, ad ejuſdem leges, formam, vinculum, modum, conditionem, totam denique negotii naturam, ſui reſpectu, componunt. Cæterùm ſi quid non ab actu hominis, ſed à poteſtate legis proficiſcitur, cujuſmodi ſunt prælationis privilegia omnia, dicendum eſt vim Legiſlatoris nullam eſſe in bona ſibi non ſubjecta tertii reſpectu, ſeu creditorum aliorum, qui inibi nullum geſſerint negotium, nec legibus loci iſtius ſe ſubmiſerint. Adhæc conſtat privilegiis iſtis non agi in debitoris perſonam, utpote quæ in res directa, locum habeant inter creditores. Ecquid autem juris eſt alieno judici circa res ſibi non ſuppoſitas diſpendio tertii, qui apud ſe non contraxit? Nec eſt quod retorſerit creditor ſuum non minùs ſpectari oportere, atque debitoris domicilium. Conſtat quippe qui cum alio contrahit non eſſe vel debere eſſe conditionis ejus ignarum. Ut nihil imputetur ei, qui in mobilibus à loco domicilii debitoris ſua menſus eſt privilegia, ad quem locum palam eſt mobilia pertinere: cùm culpa non vacent alii, qui privilegium ſibi aſſumſerint à poteſtate Legiſlatoris alieni, cui de mobilibus diſponendi nullum jus eſt. Nec aliud de eo debitore dicendum eſt, qui in loco illo privilegii domi-

Si mutaverit debitor alio domici-

Digitized by Google

domicilium foverit tempore celebrati contractus: quamvis enim videri poſſit jus illud prælationis, creditori per leges loci domicilii in rebus mobilibus legitimè quæſitum, ſubſecutâ domicilii mutatione non debere amitti; mobilia tamen, in quibus prioris domicilii lege tenuit prælationis privilegium, traductis aliò domeſticis laribus, traducuntur quoque in leges novi domicilii; eaque lege adminiſtrantur: mutatione enim domicilii mutatur & mobilium conditio, eorum quæ in manum aliis tradita non ſunt, etiam diſpendio tertii: quo argumento, alia quanquam in ſpecie, uſus eſt Senatus Pariſienſis apud Chopin *ad leges Pariſ. lib. 2. tit. 1. numer. 5.* & huc ſpectat quod Burgundus *d. n. 21.* tradit, mobilia ſequi perſonam, hoc eſt (inquit) in domicilio ejus exiſtere, & non aliter quàm cum domicilio transferri. Tandem ut ad immobilia tranſeam. Fac jus tacitæ ſeu legalis hypothecæ non obtinere idem in loco rei ſitæ, quod obtinet in loco domicilii debitoris, dicendum fruſtrà eſſe creditorem, qui hujuſmodi hypothecæ obtentu prioritatem ſibi aſſeruerit; cum æquè atque expreſſim facto hominis, coram uno judicio, hypothecæ nexu devinciri nequeunt alterius territorii bona, ita nec legis ullius poteſtas eſt afficere prædia extera: quod ſtatuta realia territorium non egrediantur, ut ſuprà tractatum eſt. Ita ſi Hollandus, cui generaliter bona debitoris coram quocunque Hollandiæ judicio, hypothecæ data ſunt, apud nos cum reliquis creditoribus experiatur de prælatione, profutura erit ei hypotheca in bonis in quacunque Hollandiæ parte, extra diſtrictum

lium ubi privilegio locus non eſt.

Quod jus ſpectandum quoad immobilia.

Digitized by Google

Amſtelodamenſem, ſitis; non autem in bonis ſuppoſitis territorio noſtratium, quibus nulla ſubſiſtit hypothecæ datio, niſi pacta coram judice rei ſitæ. Contra cùm apud Hollandos hypotheca generalis extinguatur alienatione, non juvabitur creditor moribus noſtris, quibus res ita obligata ad emptores tranſit cum ſuo onere. Conſimiliter ſi teneat alibi conſuetudo, ut in bonis debitoris concurrant creditores nullâ habitâ ratione hypothecarum: quale ſtatutum profert Florentinum Stracha *de Decoctor. part.* 4. *n.* 8. *&* 23. Lucanum *Altograd. conſil.* 95. *n.* 4. ex lege loci rei ſitæ dirimenda creditorum contentio.

XVII. *Cujus loci leges ſpectãda in feudis.*

Hactenùs de bonis quæſivimus allodialibus. Unum videamus de feudis. Vulgatiſſima quæſtio eſt. Utrius loci leges inſpici conveniat, locine ſervientis, an Curiæ dominantis. Non quæro de legibus politiam ſeu civilem adminiſtrationem reſpicientibus. Illud quæro, in ſuccedendi, retractus, alióve jure cujus loci ratio ſit habenda. In eam ſententiam communiter itum eſt, à loco ſerviente leges ac modum feuda accipere. Doctores in unum contulit Wameſ. *cent.* 5. *conſ.* 15. *num.* 3. *&* 4. Verùm à receptiſſima opinione divortium fecêre duo præclara JCtorum ingenia Burgund. *ad leges Flandriæ tract.* 7. & Frederic. à Sand. *ad conſuetud. feudales Geldriæ tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 11. *& ſeqq.*, qui jura reſpici volunt Curiæ dominantis. Operæ pretium eſt videre num divortii faciendi cauſam ſatis gravem habuerint. Suam uterque ſententiam eo fulciunt argumento, quod leges feudales oporteat metiri à providentia patroni, ut quaſcunque ille leges in feudi conceſſione dixerit, eæ à vaſallis

lis ſint cuſtodiendæ, ſine loci alterutrius conſideratione, adeoque quoties inſtrumenta inveſtituræ, ejus, quod quæritur, non meminerint, recurri oportere ad jura loci dominantis; quod cogitationem videatur direxiſſe dominus ad ſuæ Curiæ ſtatuta, ubi & præſtationem ſeu inveſtituram voluit intervenire, ut id ipſum tacitè inter partes habeatur actum. Verùm rationes illorum tanti mihi non ſunt, ut à communi ſcribentium opinione receſſerim. Illud quidem annuerim à conceſſione ſeu providentia patroni feudi leges dependere, ut quam patronus ſuccedendi legem in feudi conſtitutione dixerit, ea pro lege ſit ſervanda, adeoque non ſint audiendi JC[ti] illi, quorum reſponſum extat *in het derde deel vande Conſultatien tot Rotterdam ghedruckt conſil.95. num. 2.* putantes in poteſtate domini non eſſe feudum ſui territorii legibus in ſuccedendi cauſa ſubducere, & ad jura componere loci alterius. Quid enim notius quàm feuda ad poſteros deferri ex lege inveſtituræ, cui ſuccedendi modus ferè inſeritur: unde illa vulgata; feudum ex pacto & providentia majorum, feudum pro ſe & deſcendentibus, pro maſculis neglectis fœminis, & ſi qua ejus farinæ plura ſunt, ad vivum ferè à Doctoribus reſecata. Antè omnia namque ſequimur quod inter contrahentes ſit actum, tenore inveſtituræ naturam feudi formante, ut loquitur Wameſ. *cent. 5. conſ. 2. n. 3.* deque eo ferè conſtat inter omnes: Burgundus *d. tract.* Grotius *in manuduct. lib. 2. part. 41. num. 8. & ibi Groenew.* Frederic. à Sand. *ad Conſuet. feudales Geldriæ d. loco ubi quæſtionem agitatam definit.* Et certè quid mirum rei ſuæ traditioni legem à do-

domino adjici quam voluerit, cum & pactis dotalibus ordo ſuccedendi introducatur alius ab eo, quem fert locus rei ſitæ; & cujuſvis hominis teſtamentaria proviſio, vel in plures gradus porrecta, tollat proviſionem legis. Verùm deficiente jam in aliquo dominicæ providentiæ lege non putaverim dominum ad locum reſpexiſſe Curiæ dominantis, ſed eam potiùs duxerim conjecturam, quod non expreſſit dominus, id eum ſuis liquiſſe legibus, adeoque ſi ad modum ſuccedendi ſollicitudinem ſuam non protulerit, nihil in eo priſtini juris voluiſſe immutatum, ac conſequenter cum tempore abdicati à domino fundi regeretur prædium ſui territorii lege, utique quod mutatum non eſt, cur ſtare prohiberetur: quemadmodum enim lege nova lata, cætera de quibus cautum nihil eſt, manent in ſuo ſtatu, ita non minus feuda, ſi de nova aliqua lege vel conditione non appareat, dicenda ſunt relicta eſſe veteris ſui juris diſpoſitioni, nullo prorſus mutato, de quo per tenorem inveſtituræ aliter non ſit proviſum: cujuſmodi argumentandi ratio à lege ad pactum juris interpretibus probatiſſima eſt. Itaque quâ ratione ſingulare in retractu conſanguineorum eſſe autumat Fredericus à Sande, ut à loco ſerviente legem accipiant fundi clientelares, propter eà quod de retractu inter dominum & vaſallum nihil adeo actum eſſe videatur aut cogitatum; ego illud de unoquoque eo, quod vel expreſſè vel tacitè inveſtituræ non inſit, aſſeruerim, adeoque concluſerim de non cogitatis à domino, ſequi oportere jura, quæ priùs obtinuiſſent. Obiter tamen eo nomine notandus hic Fredericus

ricus à Sande, quod in ditione noſtrate in rebus mancipi juxtà ac feudalibus, jus retractûs proximis cognatis aſſertum iverit, cum tamen gentilitius ille contractus non frequentetur apud Ultrajectinos: vel ſicubi forſan eo jure gaudeant conſanguinei, de quo mihi nihil hactenùs innotuit, non eſſet tamen rationis, unius portiunculæ ergo, jus illud Provinciæ adſcribere in univerſum. Paulò itaque inconſideratiùs hoc excidiſſe viro docto viſus ſum debuiſſe notare, ne tradita ejus de more noſtrate tranſmittendo ſilentio, videar approbaſſe. Quid igitur reſpondendum de quæſtionibus feudalibus ventilandis in Curia dominante, adeoque de modo procedendi, quem conſtat exigi ſecundùm conſuetudinem illius Curiæ? Verùm illud ipſum inter partes actum eſſe vel ex eo apparet, quod Curiam ſibi dominus conſtituerit; cujus Curiæ erectio quorſum ſpectat aliter, quàm ut in illa de feudalibus quæſtionibus litigaretur, & judiciales feudi traditiones peragerentur. Porrò vulgatum eſt contextum litis ordinari more loci, ubi illa decurrit. Tandem quod ad feudalia onera attinet, non alia ferè hodiè apud nos frequentantur, quàm quæ conſiſtunt in certa quantitate domino perſolvenda ſingularum inveſtiturarum nomine: officiorum enim militarium jam pridem vaſallis facta gratia eſt. Unde & Sandeo feuda Trajectenſia franca audiunt, *ad Conſuetudin. Geldr. tract. 2. tit. 1. cap. 2. num. 19.* De Hollandicis vide Grotium in ſua Manuductione, Fidelitatis tamen jusjurandum apud nos Hollandoſque præſtat Vaſallus. Non longè digrediar à via, ſi hiſce attexam terminatam nu-

nuperrimè à Curia noſtra cauſam ejus, qui cum pagi ſui juriſdictione, clientelæ jure Ordinibus noſtratibus obnoxia, prave eſſet abuſus, in vexationem eorum qui pagum incolerent, propoſitiſque edictis falſis juxtà ac inſulſiſſimis in eadem graſſaretur, per Curiæ ſententiam juriſdictione illa, quamdiu vixiſſet, fuit depoſitus. Quem vulgatum privandæ juriſdictionis, ob abuſum, modum, è medio jure civili promptum putat Chopin. *ad leges Andeg. lib. 2. titul. 2. numer. 3.* Placuit Curiæ mulctari dominum exercitio juriſdictionis, non ipſa juriſdictione, ut culpa ſuos teneret auctores, non ad liberos pertingeret inſontes. Cùm enim feuda hodie, mutata multum priſtina forma, redacta ferè ſint ad inſtar allodialium, ut perinde, ac res mancipi ſint in commercio, magnoque ſæpenumerò comparata pretio potiſſimam partem facultatum conſtituant; aliter atque illa beneficia; quæ à mera Principis profecta liberalitate, invito eo non conferuntur in alium, confiſcationis cujuſdam ſpeciem obtineret, ſi ea domino committerentur in perpetuum, adeoque æquiſſimum exiſtimatum eſt mediam eligere viam, ut ad vitæ tempus exercitio juriſdictionis privaretur ille qui ſubditos vexaſſet, juriſdictione verò ipſa, tanquam re, quæ ſit in patrimonio vel commercio, non item. Quorſum ſpectat perpulchra illa Imperatoris ad judices admonitio *Novell. 17. de Mandat. princip.* Oportet (inquit) judices in hoc omnem ponere providentiam, cum aliquis dignus apparuerit pœna, illum quidem punire, res autem ejus non contingere, ſed ſinere eas generi aut legi, & ſecundùm illam

ordini:

ordini: non enim res ſunt quæ delinquunt, ſed qui res poſſident. Maximè Senatum moverunt complura Gallorum judicata, quibus itidem duriùs viſum fuit commiſſæ juriſdictionis clientelaris pœnam ultrà vitam vaſalli delinquentis producere. Exſtant apud Chopin. *ad Conſuet. Andeg. lib. 2. tit. 4. num. 4.* Tholoſan. *in Syntagm. lib. 6. cap. 20. num. 19.* Charond. *lib. 2. reſp. 16.* Papon. *lib. 8. tit. 3. Arreſt. penult.* & *lib. 13. tit. 1. arr. 13.* Sed è diverticulo in viam. Si de pecuniariis ejuſmodi oneribus quæratur ea præſtanda venit ſumma quæ dari conſuevit: optima enim cujuſque actus interpres ſubſecuta obſervantia eſt: quamvis hodie tenor inveſtituræ ſummam ferè ſoleat exprimere; vel ſi forſan ex profeſſione de modo vel quantitate non conſtet, putauerim eam à cæteris ejuſdem Curiæ feudis dimetiendam eſſe, & ſi ibidem inter vaſallos onera inæqualia ſint, rem redegerim ad leviora: in dubio enim ferè ſequimur id quod minimum eſt, ſed hoc poſteriùs rariſſimæ eſt incurſionis: quare diutiùs ei non immoror, ea traditurus quæ frequenter accidunt, & in quotidianis rerum obtinent argumentis.

Digitized by Google

TITULI SECUNDI

PARS ALTERA.

De Jure quod oritur ex Statutorum diverſitate mutato domicilio.

CAPUT PRIMUM.

De diverſitate Iuris circa Statuta perſonalia.

SUMMARIUM.

I. *Si coniuges eo ex loco, ubi uxor in poteſtate viri eſt, demigraverint aliò, ubi non eſt, & è converſo.*

II. *An maritus ius habeat mutandi domicilii in diſpendium uxoris?*

III. *Si maritus uxorem abducat in Hollandiam liberalitatis eblandiendæ ergo.*

IV. *Vltraiectinus vigeſimo anno maior ſi traduxerit domicilium in Hollandiam, ubi vigeſimo quinto terminatur minor ætas, rurſuſne evadet minor, aut curatorem habebit iterùm?*

V. *Per contrarium, ſi Vltraiectum concedat Hollandus vigeſimum iam annum egreſſus, an efficietur maior?*

VI. *Quatenùs tutor ius habeat transferendi domicilii.*

DIviſus à me præſens Tractatus eſt in Claſſes tres, primaque excuſſi ea jura, quæ Statutorum excitaverit diverſitas, immoto manente perſonarum domicilio. Non rarò autem contingit illud mutari, ut conjuges demigrent aliò. Unde cum ſuæ propriæque exſur-

Pars Altera.

exſurgant controverſiæ, non malè quoque iis ſuam, ſecundamque hic claſſem aſſignavero, quâ id juris complectar, quod non niſi per domicilii tranſlationem eadem illa ſtatutórum cauſatur diſcrepantia. Exſequar autem hæc paulò ſtrictiùs, quod in una alteraque quæſtione ſi manifeſta fiat decidendi ratio, proclive futurum ſit per ſimilia procedendo, ad eandem normam cætera exigere. Ibo per ordinem eundem, quo priori in claſſe inceſſi, ut ſumpto primum à perſonalibus ſtatutis exemplo, dilabar deinde ad realia. Fac igitur virum, qui per loci leges, ubi degit, uxorem habeat in poteſtate, collocare domicilium aliò, ubi in poteſtate virorum uxores non ſunt; vel vice verſa. Dicendumne erit induere uxorem poteſtatem, quâ priùs liberata, & exuere, cui alligata erat? in affirmativam ſententiam deduci videmur per tradita Burgund. *d. Tract.* 2. *n.* 7. Et rectè: perſonæ enim ſtatus & conditio cum tota regatur à legibus loci, cui illa ſeſe per domicilium ſubdiderit, utique mutato domicilio mutari & neceſſe eſt perſonæ conditionem. Cùm ex iis quæ jam diſputo appareat ſedis mutationem, poſſe aliquando mulieri eſſe fraudi, inciderit forſan alicui quærere, aliò cogitantem maritum, num diſtrictè uxor teneatur ſequi, Verum obiter ille hoc ſibi ferat reſponſum, Palam eſt DD. uno ore omnes ſtare à partibus ſuis, hoc eſt maritorum, eorum accipe, qui non ſint vagabundi: quanquam non deſint, qui & in eo ſecundùm maritos reſpondeant. Vid. *allegat. à Groenewegen ad titul. C. de bonis damnat.* Et reſponſum memini viro rus habitatum abducere uxorem paranti,

Si conjuges eo ex loco ubi uxor in poteſtate viri eſt, demigraverint aliò ubi non eſt, & è converſo.

ti, quod illa videretur ſibi virorum conſortia frequentiùs paulò aut familiariùs appetere, quam neceſſe eſſet probæ, ac ea ſe urbe ceſſuram pernegaret, jure optimo refractariam cogi poſſe, ut virum comitetur.

IV. *Si maritus uxorem abducat in Hollandiam liberalitatis eblandienda ergo?*

Verum-tamen in noſtra ſpecie ſi ob id ipſum migrationi intercedat uxor, ne ea res ſibi ſit fraudi. Ut ſi Ultrajectinus uxorem, cum per legem domicilii perſonæ conjugum donationis inter ſeſe incapaces eſſent, traducere conetur in Hollandiam, ut donationes vel eblandiatur ei, vel extorqueat; vereor ut non uxor foret audienda.

Mulier ſeorſim habitans à viro tenetur tamen ad id, quod pro ſui exhibitione promiſerat ſe collaturam in matrimonium.

In tantum autem uxorem virum ſequi teneri cenſuerunt apud nos Curiæ Senatores, ut cum uxor binuba, viro rus concedente, remanſiſſet in urbe, multos exinde annos ſeorſim à viro ſua vivens quadra, una cum liberis è priore matrimonio procreatis; ac contendiſſet propterea, non teneri ſe quaterna præſtare millia florenorum, quæ pactis antenuptialibus pro ſe ac liberis ſuis promiſiſſet collaturam in matrimonium, æquum putans ex eo quod onus alendi ſe liberoſque non ſuſtinuiſſet, maritus, lucrari eum non debere quod expreſsim ob cauſam illius oneris eſſet promiſſum; illa quidem fuerit pro liberis audita, pro ſemetipſa verò tulerit repulſam, quod per eandem ſtetiſſet, quo minus aleretur à viro, adeoque de ſe queri, non de viro debuiſſe; cùm incommodos mariti mores, quos cauſabatur illa, non probaſſet ſufficienter, ac prætereà toto poſt quadriennio, quam ſe malè habitam à viro quereretur, cum eo egiſſet unâ, adeoque videri cum eodem, ſi qua ſimultas interceſsiſſet, rediiſſe in gratiam; ſerò enim accuſabat mores, quos con-

connivendo probaverat. Poſtmodum eadem illâ criminatione rurſus uſa mulier, cum ad thori ac menſæ egiſſet ſeparationem, Curia intuens gliſcere indies partium odia, inimicitiaſque tantum non capitales, lite de maxima bonorum parte inter eas intercedente, quando ſeparandos conjuges, nec cautioni locum eſſe communiter placuit. Farinac. *de Delict. carnis quæſt.* 143. *tit.* 16. *n.* 144. Covarruv. *de matrimon. part.* 2. *cap.* 7. §. 5. *n.* 2. *in fin.* Sanchez *de matrimon. lib.* 10. *tit. de Divort. diſp.* 18. *num.* 33. Elapſo quoque tum toto triennio à die ſupracitatæ ſententiæ, ut jam concordiæ ſpes omninò decollaſſet; diætam conjugum ſeparavit, mulierem à tempore litis conteſtatæ liberam declarans à præſtatione illius ſummæ, quam pro ſui exhibitione contulerat in matrimonium. Sententiam poſteriorem tulit Curia hoc ipſo A°. 1652. in ejus initio.

Lite ſuper maxima bonorum parte conjuges interpendente ſeparationi locus eſt.

V.

Ultrajectinus vigeſimo anno major ſi traduxerit domicilium in Hollandiam, ubi vigeſimo quinto terminatur minor ætas, rurſuſne vadet minor?

Perſonalium Statutorum exemplum habuimus à Statu petitum conjugali; habeamus & deſumptum à conditione minorennium: ſuper qua non illepida erit, quæ moveatur quæſtio. Vigeſimo anno terminatur apud nos major ætas, in Hollandia vigeſimo demum quinto. Fac Ultrajectinum jam viginti annos habentem demigrare in Hollandiam, ſupponeturne rurſus tutelæ, qua ſemel apud nos erat ſolutus, adeoque alterius denuò conſtituetur juris, qui ſui jam evaſerat? Speciem abſurditatis præ-ſe-ferre res videtur. Dicendum tamen eſt, cum perſonæ conditionem à cauſa domicilii conſtet regi totam, de ſe queri, ſibique id imputare debere eum, qui alterius territorii legibus ſtatum ſuum ac

con-

Digitized by Google

conditionem ſubmiſerit: nec minùs abſurdum fore inter cæteros omnes loci incolas, qui tutelæ agunt ſuppoſiti, unum illum ſui juris ambulare, & exlegem ſolum vivere. Mecum viſus eſt ſentire Burgundus loco modo laudato; ubi cùm tradit inſpiciendam eſſe domicilii legem; ut ſciamus quâ ætate contrahat minor, mox hæc ſubjicit. Conſequenter dicemus ſi mutarit domicilium perſona, novi domicilii conditionem induere. Nec officit quod ſemel extincta non dicantur reviviſcere; illud namque tum obtinet, cum quis mutati ſtatus cauſam ipſemet non præbuerit; hic enim qui ſuo facto domicilium mutat, fruſtrà deprecatur curam, quâ tenetur quivis, novo domicilio ſuppoſitus. Horum omnium & hic erit effectus, ut quodcunque negotii ibi ſine curatore geſſerit, tanquam profectum à minore, habeatur irritum.

VI. *Per contrarium ſi Ultrajectum cōcedat Hollandus vigeſimum jam annis egreſſus, an efficietur major?*

Quæramus & illud quod frequentioris eſt incurſionis Hollandus major viginti, minor viginti quinque annis transfert domicilium Ultrajectum, ubi vigeſimo anno tutela vel cura finitur. Quid dicemus perventurum illum ſuam in tutelam? Reſpondi ex facto conſultus minori hodie conſtituendi domicilii, facultatem non eſſe, tutori eſſe; qui ut contrahere, ita & domicilium poteſt conſtituere, quod collocetur illud per contractum, de quo mox latiùs. Proinde in propoſita mihi ſpecie, cum mater, quæ tutrix eſſet, mutato à morte viri domicilio, Ultrajectum conceſſiſſet, ubique infans adoleviſſet: dixi ex Ultrajectinis legibus æſtimandos perfectæ ætatis annos; dummodò fraus abſit, aut præjudicium tertii, extra quod vix eſt ut non dixeris tutori,

Quatenus tutor jus habeat transferendi domicilii.

maxi-

maximè matri, locum ad habitandum, pupillumque educandum, eligendi jus eſſe, Illudque ipſum dubii veriti Batavi JC i. tutori agnato auctores fuerunt, ut ſtipularetur à matre illa, cùm cogitaret ex Hollandia concedere Trajectum, ne ea res infantis adſpectu ullo modo domicilii mutationem induceret; quanquam fateor, ſi quid hoc ad rem pertinet, poſita hac ſententia, in poteſtate tutoris fore, tutela ſemet otius exuere, niſi tum potius ſuper fraude quærendum foret.

CAPUT II.

De juris diverſitate circa ſtatuta merè realia mutato domicilio.

SUMMARIUM.

I. *Mutato domicilio mutari una jus nobis ſuccedendi ab inteſtato.*

II. *Patre filium, mortuâ matre, ſecum habitatum deducente ex Hollandia Vltrajectum, an ſuccedatur filio ex ditionis hujus, an illius legibus.*

III. *Quid ſi animo intervertendi alios hæreditate inſtituatur illa ſedis mutatio.*

Nunc realium ſtatutorum exempla mutato domicilio, quemadmodum tractari conveniat, deinceps videndum eſt. Et primò de iis agamus, quæ merè realia ſunt, ut nullus perſonæ actus veniat in partem: cujuſmodi diximus ea jura eſſe, quæ de ſuccedendi modo ac ordine lata ſunt. Jus rebus ſuccedendi immobilibus, ſemper à loco rei ſitæ metiendum, huc non pertinet; ſuccedendi mobilibus pertinet; quod ea certo loco non cir-

I. *Mutato domicilio, mutari una jus nobis ſuccedendi ab inteſtato.*

Pars Altera.

circumſcripta, comitentur perſonam, à domicilio ejus accipientia leges. Itaque, ut exemplo utar, ſi Hollandiæ incola Ultrajectum concedat habitatum, mutato domicilio, mutat & hæredes ſibi ab inteſtato ſucceſſuros; ut ſi eam Hollandiæ partem incoluerit, per cujus leges excluſis parentibus ad hæreditatem vocantur fratres ac ſorores; aut nepotes ex fratre jure repræſentationis concurrunt cum alterius fratris filiis, ex novi illius domicilii legibus tranſmittet hæreditatem ad parentes; aut hæredes habebit fratrum filios, non admiſſis iis, qui gradus ſunt remotioris.

II. *Si Pater filium mortuâ matre ſecum ex Hollandia habitatum deduxerit Ultrajectũ, an ſuccedatur ei ex legibus ditionis hujus, an illius.*

Non alienum hic erit quæſtionem excutere, quæ tractata nuper apud nos in Curia eſt. Defunctâ uxore, ſusceptâque ex eadem prole, dimigrat Ultrajectum conjux ſuperſtes, ubi puer aliquod annos apud patrem educatus, conceſſit in fata. Ex Hollandorum moribus hæreditatem ſibi vindicabant maternæ lineæ hæredes. Noſtratium legibus innixus contranitebatur pater. Cardo quæſtionis in eo verti videbatur, utro in loco dicendus ſit puer habuiſſe domicilium, ubi mater defuncta eſt, an ubi vivere proles deſiiſſet? Primò illud ſatis videbatur expeditum, cum ineundi contractus facultatem non habuerit filiolus, nec potuiſſe eundem contrahere domicilium. Unde minori domicilii conſtituendi facultatem non eſſe eleganter adſtruxit Mornac. *ad tit. C. ubi de hæreditate agatur.* Verùm cùm tutor pupilli nomine contrahat, illéne domicilium pupillo conſtituere poſſit, videamus? Et magis eſt eum poſſe: cùm nullibi tutoribus interdicta ſit hæc contrahendi ſpecies. Quare rectè à Burgundo laudatur Bartolus,

lus, ibi pupillum ſentiens habere domicilium, ubi cum tutoribus, ſive aliter habitaverit. *Tract. 2. circa finem.* Quod tamen ita rectè temperaverim, ſi fraudis aut doli nulla concurrat ſuſpicio. Quid enim ſi domicilium tutor eo mutaverit animo, quo ſucceſſuros alioqui pupillo hæredes interverteret hæreditate, aut in ſemetipſum intereuntis aut valetudinarii minoris bona derivaret, cujus rei veritas per conjecturas & ſuſpiciones quæritur: quemadmodum & in omni fraudis materia ex communi ſcribentium placito fieri admittitur. Doctores recenſet Wameſ. *centur.* 5. ut & Mantica *de Conjecturis ultimar. lib.* 10. *tit.* 4. *num.* 9. Utique ſpectandus veniet locus, ubi parentes defecerint; non tutoris; ubi minor ſit defunctus. Et de hujuſmodi minore eſt, quod agere videtur Mornacius loco ſuprà laudato. Proinde cum in propoſito impleto conductionis tempore, fundo, quo ex locato in Hollandia fruebatur pater, juſſus eſſet decedere, ac ei ſuus apud nos eſſet fundus, quem coleret, nec aliter conſtaret, quin puer vivus ſemper valenſque complurium annorum ætatem exegiſſet in ditione noſtrate, non videbatur fraus à patre nexa eſſe maternæ lineæ hæredibus, ac conſequenter cenſebatur pupillus domicilium habuiſſe apud nos, ubi cum patre, eodemque tutore, non contradicentibus tutoribus aliis, moriens habitaſſet.

III. *Quid ſi animo intervertendi alios hæreditate inſtituatur illa ſedis mutatio?*

H CAPUT

CAPUT III.

De juris diverſitate circa actus, & quidem ratione ſolennitatis.

SUMMARIUM.

I. *Domicilii mutatio, iuris diverſitatem in ſolennitate actus ſemel celebrati non inducit.*

II. *Quid ſi priore in domicilio jure ſingulari, non communi facta ſit teſtatio?*

I. *Domicilii mutatio juris diverſitatem in ſolennitate actus antè celebrati non inducit.*

HÆc de ſtatutis merè realibus, quibus nullus intervenit actus hominis. Progrediamur ad ea, quibus intercurrit. Duum generum illa eſſe diximus, eorum quæ formam aut ſolennitatem diſpoſitionis concernunt, & quæ materiam. De ſtatutis prioribus non eſt quod agamus fusè; rem enim, per ſe ſatis planam, pauciſſimus hoc capite perſtringemus, ſequenti, quod actus materiam reſpiciat, immoraturi diutiùs. Et quidem loci hujus definitio dependet ab iis, quæ ſuprà hoc titulo Parte primâ, Capite tertiò fusè à me diſputata ſunt, in actus nimirum cujuſque ſolennitate ſpectari locum, ubi is conficitur; ut maximè in loco domicilii, vel rei ſitæ ſolennitas deſideraretur alia; quæ ſi hic repetiero, planè actum viderer agere. Quid igitur, num domicilii mutatio hic ullam induxerit mutationem juris? Nullam omninò. Cùm enim foris celebrare liceat actum, ſecundùm loci illius exteri morem, non deſiturum valere, etiam cùm domum fueris reverſus, ut & adſtruximus ſuprà. Utique & perdurabit ille actus,

Digitized by Google

actus, quem in loco confeceris domicilii, eo licet poſt mutato; quorſum non malè traxeris argumentationem, Peck. *de Teſtam. lib.* 4. *c.* 25. Unde illud dicendum eſt, Hollandi teſtamentum, domi conditum, & poſteà tranſmigrantis & morientis Ultrajecti, ſubſiſtere non deſinere, etiamſi licentiæ literæ, apud nos frequentatæ, obtentæ non fuerint: eo quod ad ſolennitatem pertineat earundem impetratio; ut diximus alibi. Atque hæc ita haud dubiè in teſtamentis obtinent non privilegiatis. Aliúdne dicendum in iis quæ privilegiata ſunt? non videtur: Fac enim à ruſtico ruri conditum teſtamentum coram teſtibus quinque, juxtà *l. ult. C. de teſtamentis.* & eundem poſteà tranſmigrare in urbem, ubi jure communi fit teſtatio: utique non corruet, ſed firma permanebit diſpoſitio; quod novum non ſit, ut ea, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus exſtiterit, à quo initium capere non potuerunt *l.* 85. §. 1. *reg. iur.* Quæ de teſtamento militis, vel ejus qui in hoſtili loco, militari jure, teſtamentum condiderit, jure noſtro ſunt prodita, huc non pertinent. An enim per domicilii mutationem infirmetur teſtamentum, ibi non quæritur: illud quæritur, an corruat actus præterito jam periculo, vel poſt miſſionem.

II. *Quid ſi priors in domicilio jure ſingulari, non communi ſacta ſit teſtatio?*

CAPUT IV.

De diverſitate juris, mutato domicilio, circa actus ſubſtantiam.

SUMMARIUM.

I. *Hollandi ſibi invicem relinquunt hæredes, poſtmodum demigrant Vltraiectum, ibique moriuntur, irritatur liberalitas. Contra Peckium.*

II. *Si minor ſcripto curatore hærede poſtmodum maior diem obierit, an convaleſcat inſtitutio.*

III. *An contracta ſemel communio extinguatur per novi domicilii leges communionem non agnoſcentes.*

IV. *Quid ſi in novo domicilio communionem expreſſim reſolverint contrahentes?*

V. *Super dotalitii lucro cuius loci mos attendendus.*

VI. *In lucro ſuppellectilis quod præcipit apud nos conjux ſuperſtes, an ſpectandus locus celebrati matrimonii, an novi domicilii?*

I. *Hollandi ſibi invicem bona relinquunt teſtamento, poſtmodum demigrant Vltrajectum, irritatur liberalitas.*

De ſolennitate diſpoſitionis diximus, plura dicenda ſunt de ejuſdem ſubſtantia, & quidem primum exemplum eſto. Bonorum liberalitate ſe invicem proſecuti ſunt conjuges Hollandi: verſo ſolo concedunt Ultrajectum, ibique alter exceſſit è vita. Dicemúſne conſiſtere teſtamentum, nequicquam repugnante Trajectinâ lege, talis muniſicentiæ prohibitoria? (de mobilibus loquor, res enim ſoli trahunt leges à loco quo continentur, ubicunque terrarum collocetur domicilium) Tria tempora ſpectari jura volunt, ut relicti capax ſit hæres, conditi tempus teſtamenti, mortis teſtatoris, & adeundæ hæreditatis: Illo autem mortis teſtatoris tempore

Digitized by Google

(quod maximè omnium attendendum videtur) cum ſuperſtes ſubjectum incapax fuerit rei relictæ, negaverim liberalitatem eſſe validam. Cæterùm ſi rurſus in Hollandiam conjuges ſedes transtulerint, ibique alter diem obierit, tempus omne intermedium, quo Trajecti morati ſunt, non dixeris diſpoſitioni nociturum *l. ſi alienum ff. de hæredib. inſt. §. in extraneis inſt. de hæred: qual.* In hanc ſententiam in caſu non abſimili judicatum prodidit Carpzovius *in definit. forenſ. p. 2. conſt. 14. def. 3.* Idemque reſpondendum eſt, ſi legatum conjugi datum fuerit; nam & tum mortis teſtatoris tempus inſpici oporteret, ut legati conſequendi capax ſit conjux, & hæc luculenter ſuſtentant diſputata Barry *de Succeſſ. lib. 1. tit. 8. n. 4.* Peck. *de Teſtam. conjug. lib. 4. cap. 31.* Quare ſubit mirari ſuorum poſtmodum oblitum ſcripſiſſe eundem Peckium *lib. 4. cap. 37.* quem ſequitur Wameſ. *Cent. civil. 6. conſ. 6.* Domicilio Mechliniam conſtituto, ubi conjux conjugi ſine liberorum conſenſu dans legans nihil agit, non infringi relicta Middelburgi, quæ civitas jure communi utitur. Aperto enim jure contra definita hæc quæſtio eſt, jus hæredis & legatarii ſeu capacitatem vel incapacitatem utriuſque inſpicienda eſſe tempore mortis teſtatoris. Probant & *l. in non intelligitur §. quando autem ff. de iure fiſci. l. in mortis, ff. de donat. cauſa mortis* aliaque prætereà multa congeſta *à Peck. d. cap. 31.* In tantum, ut cum & in inſtitutis à milite non requiratur ut capaces ſint tempore conditi teſtamenti, requiratur tamen, ut mortis tempore tales reperiantur ut à milite inſtitui poterint *l. 13. neque enim §. & deportati ff. de teſtam. militar.* Palmarium,

quod tranſverſum egit Peckium, argumentum eſt, ſtatutum, de quo quæritur, (en Peckii verba) reſpicere teſtandi formam magis, quàm præciſam perſonæ inhabilitationem; ut majori ſcilicet ſolennitate fieret teſtamentum, non ut omninò teſtamenti factionem inter ſe non habeant conjuges, *vid. eundem Peck. cap. 37. in fine.* adeoque non magis irritari collatam in conjugem liberalitatem, quàm ſalva permanent teſtamenta condita ſecundùm ſolennitatem requiſitam tum temporis, cùm ea conficerentur. Quæſo quod ſine liberorum conſenſu omninò non poteſt fieri, qui poteſt hoc dici ideo prohiberi, ut majori fiat ſolennitate? Quod alter ex alterius teſtamento capere vetantur, quid aliud eſt dicere, quàm eos inter ſe teſtamenti factionem paſſivam non habere, vel perſonas conjugum incapaces eſſe inter ſe donationis? ut rectè hoc effert Burgund. *tract.* 1. *numer.* 41. Porrò ſi ad ſolennitatem ſpectet hæc prohibitio, licitum erit conjugibus extrà locum domicilii hanc erga ſe invicem exercere, cùm vulgatum ſit loci cujuſque ſolennitates ſufficere, ubi teſtamenta conduntur, contra quod paulò antè ſcripſit ipſe Peckius. *d. lib.* 4. *cap.* 29. Proinde quod generaliter expreſſum eſt regula juris 85. §. 1. non eſſe novum, ut quæ utiliter ſint conſtituta, durent, licet is caſus exſtiterit, à quo incipere non poſſunt ad noſtrum locum, non niſi cum hac diſtinctione aptaveris, intereſſe perſonam inter teſtatoris, & hæredis aut legatarii, vel, ut cum Doctoribus loquar, capacitatem activam inter, & paſſivam, capacitatem nimirum capiendi ex teſtamento, & capacitatem faciendi teſtamentum; quomodo

modo Peckii argumenta neceſſe eſt corruere omnia. Perſonæ teſtatoris ſatis eſt, ut eo, quo teſtatur, tempore habeat teſtamenti factionem; de ſtatu mentis aut corporis loquor, de ſtatu perſonæ aut capitis diminutione non loquor. Ita furioſi, prodigi, cæci, ſurdi, muti teſtamenta, anteà legitimè facta, ex eo non infirmantur, quod poſteà casus ille venerit, quo teſtari prohibentur, nec magis vitiatur teſtamentum cujuſcunque, ex alia noviter inducta ſolennitate; ſimul atque enim ordinaverit teſtamentum, partibus ſuis functus eſt teſtator; nec exinde factum illius deſideratur ullum aliud; cum hæredes, atque legatarii eo ipſo primum incipiant agere, quo teſtator deceſſerit, capiendique tempus advenerit, partibus illorum, quo funguntur, antè non natis: quemlibet autem capacitatem habere debere tum temporis, cum aliquid capere ſuſtinet, ratio efficit. Nec juvat Peckium ſtatutum conjugalis munificentiæ inhibitorium non videri reſpicere teſtamenta condita antequam contrahentes eo loci collocaſſent domicilium, quod fraus ſtatuto facta non accipiatur ab eo, qui tum lege illa nec dum teneretur: refelluntur enim ea vel ipſa poſtremæ voluntatis natura, quo, reſpectu alterius, habemur eo demum tempore diſpoſuiſſe quo morimur, quod ad extremum vitæ ſpiritum ambulatoria ſit ultima teſtatio, nec antè voluntas interpoſita dici poſſit ultima, quam cum alii prætereà voluntati locus non eſt. Quare conſequens eſt dicere, cur ab aperto illo jure, quo tam mortis teſtatoris, quàm conditi teſtamenti tempore jus hæredis intuemur recederet Peckius rationem cum non habuiſſe.

II. Si minor, ſcripto curatore, hærede, poſtmodum maior diem obierit, an convaleſcat inſtitutio?

Alterutro horum temporum (ut hoc obiter attexam) hæredi haud ſatis eſſe ut capax ſit tractatum & nuper in Collegio fuit. Caſus qui diſceptabatur erat è converſo. Edicto Caroli quinti irritatur quævis minorum de rebus ſoli compendio curatorum facta teſtatio. Ultrajectinus major decimo octavo ætatis anno minor vigeſimo curatorem ſcribit hæredem, annis tribus poſt concedit in fata. Quæſitum eſt ſuper capacitate hæredis; & primò quidem, ut illud præmittam, mas licet apud nos octodecimum ingreſſus annum ſui juris evadat, cum tamen ei antè vigeſimum immobilium alienatio ſit inhibita ſine curatoris aſſenſu, vix ulla fuit dubitatio, nihil eſſe impedimento quo minus, cùm teſtamentum conderet ille teſtator, teneretur edicto. Cæterùm completâ jam per annum vigeſimum ætate, an adhuc incidat in edictum, magis dubitatum eſt; & placuit non incidere. Sanctio quippe Carolina de iis accipienda, qui adhuc ſub curatore ſunt conſtituti: nemo enim dici poteſt reliquiſſe aliquid curatori, qui eum non habeat, curâ jam dudum finitâ. Adhæc ceſſat ratio, quæ edicto cauſam dedit, poſita in authoritate, quâ pollent in minorem curatores, metuque ac reverentia erga eoſdem, ut teſtatio ejuſmodi vix videatur eſſe libera. Quare eo demum loco uſque ad vigeſimum quintum annum tenet conſtitutio, ubi antè eundem, ſuam in curam adoleſcentes non veniunt, vel ideo ſcripta ſimpliciter in ætatem annorum viginti quinque, quod apud Belgas nullibi locorum (quod ſciam) cura protendatur ulteriùs. Emerſit igitur hic controverſiæ ſtatus. Suffeceritne

An prohibitio ſcripta in minores XXV. annis, teneat apud nos maiores annis viginti.

Digitized by Google

ceritne hæredi mortis teſtatoris tempore capacem fuiſſe, an verò eo amplius jus ejus capiendi requiratur tempore conditi teſtamenti? Et Curiæ magis viſum eſt, utroque tempore hæredem capacem eſſe oportere, adeóque ſententiam judicii civitatis patriæ, quo, teſtamento inſuper habito, hæres ab inteſtato admiſſus eſt ad hæreditaria bona immobilia omnia, communi calculo confirmavit: haud æquum fore exiſtimans, ab initio quod vitioſum fuerat, tractu temporis ut convaleſceret.

III. *An contracta communio extinguatur per leges novi domicilii, communionem non agnoſcentes?*

Quid ſi celebrato apud nos conjugio, Ultrajectini conjuges poſteà ſe contulerint aliò, ubi conjugale bonorum conſortium non obtinet, perdurátne illud quod fuit in loco prioris domicilii? Ita videtur Scriptoribus pleriſque, quos ſecutus eſt Friſiæ Senatus apud Ioan. à Sande *lib.* 2. *Deciſ.* 10. *tit.* 5. & laudat. Goris *in Adverſ. t.* 1. *cap.* 7. *n.* 3. quibus adde Chopin. *ad ll. Andegavenſ. lib.* 3. *titul.* 2. *num.* 4. *de comm. bonor. ſocietate.* & Mornac. *ad l. exigere dot. ff. de Iudiciis*, quorum uterque laudat in id arreſtum vetus Curiæ Pariſienſis. Quod ita tamen accipe, dummodò in loco contracti matrimonii aliquo tempore conjuges habuerint domicilium, & poſt larem aliò transferant, ut rectè notatum Chopin. *d. loco in margine.* Quam tamen communionem hactenùs putaverim permanſuram, donec contrariam conjuges conteſtationem de ea non interpoſuerint, ſi nimirum novi domicilii leges contractam antè communionem permittant exuere. Super quo voluntatem declaraſſe re ac facto videntur, eo ipſo quod bonorum ſeparatione factâ, privatim ſibi conſulat quiſ-

Digitized by Google

que, negotietur, acquirat; ut non malè probatum eſt. Burgund. *tract.* 2. *num.* 14. *circa finem quæſtionis.* Quamquam haud æquè rectè quæſtionem per contrarium determinat idem Burgundus: putat enim per mutationem domicilii & mobilium tranſlationem eo loci, ubi ſocietas frequentatur, conjuges eandem videri iniiſſe, licet ea per leges loci priſtini domicilii, contractique matrimonii, inducta non eſſet. Cùm enim communionem hanc cauſam trahere à pacto ſeu expreſſo ſeu tacito, cùm contraheretur matrimonium, inito, oſtenderimus antè; ipſeque Burgund. *d. loc. num.* 11. rectè ſtatuat, conjuges in contrahendo id videri voluiſſe, quod volunt territorii leges, in quo negotium gerebatur: adeo ut conſuetudo illa in contractus influat; utique ſolo migrationis facto non dixeris revocari pactiones antè legitimè initas, non magis quàm ex nuda domicilii tranſlatione non alterantur aut irritantur conventiones quævis aliæ. Atqui, inquit Burgundus, ex aſſumpti domicilii conſuetudine liberum eſt inire ſocietatem, & exuere. Rectè id quidem: ſed illud ipſum eſt, quod deſideramus, ut contrariâ pactione matrimonii leges retractent conjuges, quod effici ſolâ migratione non probatur, operatura alias ultra eorundem intentionem. Lex quidem novi domicilii, contracta ibidem matrimonia, interpretatur, permittitque contrahere communionem & contractam exuere; ſed non proponitur id ibi conſuetudinis eſſe, ut quicunque eo demigrent, contractam in ipſis matrimonii auſpiciis ſocietatem, citra novæ voluntatis declarationem, ipſo facto exuant.

Quid

Digitized by Google

Quid autem ſi Ultrajectini fixâ apud Hollandos ſede communionem nominatim reſolverint? admittenda diſtinctio eſt, pactione id effectum fuerit, an ultimâ voluntate, ut priori modo rata ſit revocatio, poſteriori non æquè, eo quod inibi pactis antenuptialibus derogare non liceat actu inter vivos, liceat ultimâ voluntate, teſte Groenewegen *ad tit. C. ad SCtum Velleianum:* in quam rem & recens Curiæ Hollandiæ judicatum exſtare perſcripſit mihi D. Henricus Fagel, qui per communia ſtudiorum ſacra, jam pridem me ſibi conjunctum, & officiis, devinctum tenet, una cum fratre Franciſco Fagel, omnibus virtutibus perpolitum par fratrum.

IV. *Quid ſi novo in domicilio communionem expreſſim reſolverint coniuges?*

Claudat caput quæſtio de dotalitio, cujus loci ſtatutum ſit ſpectandum in eo lucrando, alibi ſi contractum matrimonium, alibi poſteà conſtitutum domicilium fuerit? demirari ſatis nequeo, quid ſibi velit Mornacius, præcellenti vir doctrinâ, quod ſcribat *ad l. exigere dotem ff. de judiciis in fine.* placere fori peritioribus, ut uterque locus ſpectari debeat tam inſtrumenti dotalis, quàm mutati domicilii, quatenus ambæ locorum conſuetudines diverſa de præſtando dotalitio ſtatuant, quæ ipſiſſima ejus verba ſunt. Quæſo ſi diverſa ſuper dotalitio ſit loci utriuſque conſtitutio, qui poterit locus ſpectari uterque? niſi velit gaudere ſuperſtitem utroque dotalitio, tam eo quod locus contracti largitur matrimonii, quàm mutati domicilii, ut migratio adjectionem potius dotalitii dediſſe, quàm permutaſſe dicatur: quod ipſum tamen an ſibi voluerit Mornacius, affirmare non auſim. Quare miſsâ hac Mornacii ſcriptione, audiamus alios. Burgund. *tract.*

V. *Super dotalitii lucro cuius regionis mos attendendus.*

2. n.

2. *n.* 10. ejus eſt opinionis, ut ſi rei immobilis dotalitium in controverſiam veniat, perpetuum ſit reſpicere ad locum ſitus. Quod ego dictum generalius, diſtinctius ita tradiderim, ut primò de duario agam conventionali, dein de conſuetudinario. Illo caſu non tam attendendum eſt, utrùm in loco ſitus par de lucrando dotalitio exſtet ſtatutum, quam illud potiùs, num ibidem per pacta dotalia conſtitui queat dotalitium, ut recta via citra ulteriorem mancipationem res, aut jus uſusfructus in rem, contrahentibus acquiratur, ita ut ſi permiſerit hoc ſtatutum, ſuperſtes dotalitium recta via lucretur; ſin abnuat, comparata ſit nihilominùs actio perſonalis ex conventione deſcendens, quâ ad conſequendum dotalitium agat ſuperſtes, aut alias conſequatur id quod ſua intereſt ipſum rei immobilis dotalitium non habuiſſe, atque ita acceptum rectè ſe habebit ſuper conventionali, quod traditum eſt apud Argentreum ſuper ſtatutario duario, rerum nimirum lucrandarum ſitum ſpectandum eſſe, & quid ea de re ſtatuta ſingularia permittant, quid abnuant, reſpiciendum. *ad art.* 218. *gl.* 6. *num.* 46. Hæc de dotalitio conventionali. Quid autem dicendum de ſtatutario. Utrùm ſpectari conveniat domicilium quod fuit tempore contracti matrimonii, quod nunc eſt, cum conjunx vita fungeretur, an verò reſpicere oporteat ad locum ſitus? Alia ſanè hic rerum mobilium, alia immobilium cauſa eſt. De mobilibus ſi quæratur, ex ſententia Scriptorum plerorumque non malè dixeris attendendam eſſe conſuetudinem loci, in quo contractum eſt matrimonium & contrahentes exinde aliquandiu foverint domici-

lium,

Digitized by Google

lium, non quo poſt maritus illud mutarit. Dotalitium quippe cauſam trahit proceditque ab ipſo matrimonii contractu, non ab obitu alterutrius ex contrahentibus, adeo ut ſtante matrimonio ſit illud in habitu, licet alterutrius morte exeat in actum: quemadmodum de ſocietate conjugali Burgundus loquitur *tract.* 1. *num.* 16. Adeo ut alteri in alterius bonis quæri dicatur à ſolemni ipſo nuptiarum die, Chopin. *de morib. Pariſ. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 2. *in princip.* Mæv. *ad jus Lubecenſ. part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *num.* 271. Adhæc jura communionis exiguntur ad tempus contracti matrimonii, ut ſuprà adſtruximus; quid ni igitur & exigerentur dotalitia; cum utrumque proficiſcatur à à voluntate illa contrahentium, quam in ineundo matrimonio habuerint. Undè rectè tradit Burgundus *tract.* 2. *num.* 11. vulgarem eſſe hanc opinionem, cui Scriptores non ſine cauſa accedunt, in contrahendo matrimonio id voluiſſe & pepigiſſe contrahentes intelligi, quod volunt loci leges, ubi negotium gerebatur, aliter enim de lucro dotis fuiſſent pacti, niſi crediidiſſent pro ſe paciſci legem. Sanè cum lege loci, quâ doarium tribuitur, in matrimonium coierit mulier, quæ aliàs haud dubiè per conventionem ſibi caviſſet; utique in manu mariti eſſe non debet mutatione domicilii privare uxorem dotalitio jam ei quæſito. Doctores vide apud diſſentientem, Mævium *ad jus Lubecenſe part.* 2. *tit.* 2. *art.* 12. *num.* 401. vid. & allegatos ab Argentreo *ad. art.* 218. *gl.* 6. *num* 46. *in fine.* Nec moveri debuerat Mævius *l.* 42. *ff. de judiciis.* Ne enim dicam lege illâ agi de matrimonio ſoluto per divortium, non per mortem, conſequentia inde dedu-

deducta, nulla eſt. Quid! defendendus maritus Romæ, ubi divertit uxor, ſi reſtitutio dotis exigatur: igitur & in dotalitii modo ac quantitate ratio habenda legis loci, ubi maritus defunctus eſt? Super communione rectè litigat mulier, ubi maritus poſtremò habitavit; non tamen ex lege loci illius æſtimatur, quæ qualiſve obtinuerit inter illos communio. Utique alia ratio eorum eſt quæ fori reſpiciunt competentiam, alia eorum quæ litis concernunt deciſoria. Pluribus in locis nos aliquando defendere tenemur, nec propterea tamen ipſum negotium dijudicatur ex more loci, ubi litigamus, ſed potiùs ubi illud inter contrahentes eſt geſtum. Atque hæc eo magis obtinent, ſi in ditione noſtrate collocatum fuerit domicilium poſterius: cùm enim apud nos conſuetudinaria dotalitia non frequententur, ac præterea inhibita ſit omnis inter conjuges, extra mutui uſusfructus cauſam, gratificatio; res incideret in prohibitorium hoc edictum, ſi per migrationem illam conjux excideret dotalitio, quod ex lege loci, ubi contractum eſt matrimonium & primum habitaverat, debebatur. Diximus de mobilibus. Videamus de dotalitio rei immobilis: nam ad res immobiles pleraque jura dotalitia referuntur teſte Mornac. *ad d. l. exigere dotem.* Fac igitur tertiam aut aliam immobilium partem uſusfructu tenus more loci contracti matrimonii ſuperſtiti cedere, veniétne & pars eorum bonorum, quæ extra diſtrictum Legiſlatoris ſita ſunt, ubi jus ejusmodi dotalitii non obtinet? Video placere communiter ad bona ſtatuentium duntaxat territorio ſuppoſita pertinere ſtatutum: vide laudatos à Mævio

vio *ad jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 10. n. 40.* Rectè id quidem, ſi ea mens fuerit Legiſlatoris, ut noluerit ſuam juriſdictionem ad alterius territorii bona porrigere, quam interpretationem in dubio capiendam ſuadent tradita Burgundi *tract. 1. n. 45.* Quid ſi autem expreſſim ſcriptum ſit ſtatutum in bona ubicunque ſita, intererit utrùm ſtatutum locale prohibitorium ſit ejusmodi dotalitii, nec ne. Illo caſu fruſtrà erit alter Legiſlator, repugnante lege loci prohibitivâ vel annullativâ: quorſum faciunt ea quæ ab Argentreo, alia quanquam in ſpecie, tradita ſunt *ad art. 218. n. 38, gl. 6.* Sin autem nihil de dotalitio conſtituat locale ſtatutum, non quidem forenſibus bonis reale jus impreſſerit Legiſlator, cæterùm tamen actio naſcetur perſonalis, quâ conjux ad ipſum agat dotalitium, vel ad ejus æſtimationem, quod poſterius arriſit Burg: *d. tract. 1. n. 46.* Atque hæc ita, ſi in loco domicilii, vel contracti matrimonii, frequentetur duarium. Cæterùm aliud dicendum, ſi locus ille dotalitium neſciat, qui caſus converſus eſt: licet enim eo in loco, ubi bona conjugibus ſunt immobilia, dotalitii lucrum concedatur, ad exteros tamen illud beneficium non pertinet: quippe ad ſubditos reſpexit Legiſlator, quorum perſonas beneficium illud, præter jus commune indultum, non tranſgreditur: Sunt quidem eæ ſtatuti vires, ut in bonis ſtatuenti ſuppoſitis ad lucra ejuſmodi poſſit vocare & exteros: cæterùm non voluiſſe vocare potior eſt conjectura; quod hic noluerit Legiſlator certam ſucceſſionis normam introducere, aut prohibere aliquid vel permittere circa rem juriſdictione ſuâ comprehenſam,

henſam, ſed dare potiùs beneficium aliquod vel lucrum: quo utique non gaudent exteri, qui nec ratione domicilii, nec contracti matrimonii, nulláve alia ratione ad curam Legiſlatoris pertinent, niſi quod in ejus territorio poſſideant bona. Et in hanc ſententiam non malè argumentatur Mævius *ad jus Lubecenſ. part. 2. tit. 2. art. 10. num. 41. & quæſtione quarta præliminar. num. 42.*

VI. *In lucro ſupellectilis quod præcipit apud nos conjux ſuperſtes, an ſpectandus locus celebrati matrimonii, an novi domicilii?*

Ex allatis conſequens eſt & illud dicamus, cum ſtatuto patrio ſit indultum civibus viro uxoríque, qui alteri ſuperſuerit, ut cedant ei ex cumulo ſeu maſſa, ut loquuntur, bonorum veſtes maximè feſtivæ cum quadam ſuppellectile, ferè ad inſtar Gerardæ apud Saxones viduis conceſſæ, lucrari illud, quicunque collocato apud nos domicilio ibidem devixerit. Conſentit Berlich. *part. 3. concl. 29. numer.* 195. Firmat judicato Carpzov. *part. 2. conſtit. 10. defin. 3.* Nam & incolas non minus quàm cives gaudere hoc lucro certam apud nos interpretationem habet. Nec movet quod communionis conjugalis jura exigantur ad tempus contracti matrimonii, non mutati domicilii, & quod hæc mobilia è bonis dicantur præcipi, adeóque referenda videantur ad cauſam communionis. Apud nos quippe jam pridem indifferenter hoc lucrum frequentatur, communione excluſâ juxtà ac contractâ, capiturque tam ex bonis communibus, quàm prædefuncti propriis, ut pluribus Curiæ arreſtis comprobatum eſt: adeo ut verbum *Voordeel*, quo utitur noſtras Legiſlator, nihil denotet aliud, quàm lucrum quoddam indultum civibus incoliſque conjugibus, qui alteri ſuperſtites fuerint, ut in eo quodammodò ſibi invicem videantur

deantur

Digitized by Google

deantur ſuccedere ab inteſtato, vel ut alter ab altero legale quoddam conſequatur legatum, eorum nimirum mobilium, quibus utimur quotidie, aut quibus vix poſſumus carere, aliud ab eo quod dotalitium vocatur, & apud nos ferè mulieribus conſtitui ſolet in amiſſæ pudicitiæ præmium, & ab ipſo nuptiarum momento acquiritur, ut diximus ſuprà.

TITULUS TERTIUS.

PARS PRIOR.

De pactis quibus obviam itur juris diverſitati, immoto perſonarum domicilio.

CAPUT PRIMUM.

De Statutis perſonalibus

SUMMARIUM.

I. *An uxor teneatur debito mariti, qui cum in loco domicilii jure communi uteretur, contraxit illud alibi, ubi uxor pro marito obligatur?*

II. *An in ſtatutis perſonalibus locus ſit pactis quibus juris diverſitati occurratur?*

III. *Statutum quo cautum eſt obligari una uxorem, ſi maritus forenſis eo loci contraxerit, an valeat?*

DE morum diverſitate, quæ vel fixo, vel tranſlato, exoritur domicilio, egimus hactenùs. Nunc pauca fert animus de pactis ſubjungere antenuptialibus, quæ ſuper hac ipſa diverſitate contigerint iniri; cu-

jus loci inſpectio ſuum ſibi caput, ſedemque poſtulat peculiarem. Quicunque enim cogitare inſtituerit morum illam, ac legum per ſingula ferè oppida diſcrepantiam, ſeminarium eſſe controverſiarum complurium, quibus non de glande legenda, aut aqua pluvia arcenda, ſed de integra ut plurimum diſceptatur hæreditate, non poterit eum non inceſſere cupido pernoſcendi, ecqua detur ratio, quâ tot tantiſque litigiis in ipſo matrimonii tractatu commodè occurratur. Controverſias illas duum eſſe generum diximus, alterum genus eorum, quæ immoto exſurgunt domicilio, mutato alterum. De priori prior ſit noſtra commentatio. In qua ordo ſervabitur à nobis idem, qui fuit in præcedentibus; ut primò de ſtatutis agamus perſonalibus, dein de iis quæ realia ſunt. Statutorum perſonalium nomine venire diximus, quæ ſtatum ac conditionem concernunt perſonarum, ut ſi cautum ſit uxorem eſſe in poteſtate viri, majorem eſſe qui viginti impleverit annos, & ſi qua ejus notæ protulimus plura. Quid igitur, ſi contrahat alibi mulier aut alienet, ubi eadem poteſtas non obtinet, aut minor, ubi vigeſimo demum anno minor ætas terminatur; ſtatutorum hæc diverſitas inducétne diverſitatem juris? id enim ſi non liceat aſſerere fruſtrà quæſiveris de pactis, quibus iſti juris diverſitati, nihil operanti, occurratur. Adſtruximus titulo priore ſtatum ac conditionem perſonarum, effectuſque inde dependentes, metienda eſſe à loco domicilii, ut uxor quæ domi ſit in poteſtate viri, eandem exuat nullibi & domi minor, idem ſit foris, & è contra; adeoque, qui effectus horum eſt, uxor,

uxor, minor, qui ſine viri, tutoris, auctoritate non contrahunt in loco domicilii, nec contrahant alibi. Lubet his caſum adjicere, quem alibi non retulimus. Si maritus eo loco habitet, ubi jus commune obſervatur, vel ubi illius in uxorem ea non eſt poteſtas, ut eandem pro debitis ſuis adſtringat; contrahat autem eo loci, ubi pro maritorum debitis uxores obligantur, poteritne uxor debiti illius nomine conveniri, aut res ejus in loco contractus repertæ, ob non ſolutum debitum arreſto ſiſti aut detineri? Cum hæc obligandæ uxoris poteſtas effectus ſit maritalis in eandem poteſtatis, quam metiendam eſſe diximus à loco domicilii, conſequens eſt dicere debito iſto uxorem non teneri. In quam ſententiam judicatum teſtatur Mævius *ad jus Lubecenſ. quæſt. præliminar.* 4. *num.* 20. & *de arreſtis cap.* 9. *num.* 19. Proinde, ut id quod inſtat agamus, cùm ſtatutorum diverſitati perſonæ ſtatus non ſubjaceat, regendus ſemper à loco domicilii, & in præſens de domicilio tractemus immoto, apparet laborandum non eſſe, quâ ratione, quóve pacto eidem diverſitati occurratur. Quodcunque enim circa eandem perſonarum conditionem proponatur eſſe conventum, non ad ſtatutorum diverſitatem, ſed eum pertinet locum, quo pacta diſcutiuntur, quibus ipſi perſonarum conditioni aut effectibus inde promanantibus derogatum itur: ut ſi quæratur, quod ipſum ad noſtri operis argumentum ſpectat, an & quatenùs maritorum in uxores poteſtatem pacto antenuptiali tollere liceat vel circumſcribere: cujus loci inſpcctione tum demum nobis opus erit ubi abſolverimus ea,

I. *An uxor teneatur debito mariti, qui cum in loco domicilii jure communi uteretur, contraxit illud alibi, ubi uxor pro marito obligatur?*

II. *An in ſtatutis perſonalibus locus ſit pactis quibus juris diverſitati occurratur?*

quæ illius ipſius poteſtatis naturam reſpiciunt aut effectus. Itaque conſultò manum in hoc Capite de tabula tollerem, niſi Mævius *d. cap.* 4. *num.* 21. illum caſum poſuiſſet in percunctando. Utrùm ſtatuto queat effici, ut extraneus ille maritus, in loco ſtatuti contrahens, una obliget uxorem: id enim ſi affirmaverimus, en nobis excitatam controverſiam, quæ hujus ſit loci. Utrùm nimirum juris iſti diverſitati pacto aliquo poſſit occurri. Verùm rectè negavit Mævius Legiſlatoris eam eſſe poteſtatem, ut uxorem quæ ſuo in territorio non contraxit, ullis conſtringat ſtatutis; id enim jus eſſet dicere extra territorium. Mariti alia ratio eſt, qui eo ipſo quod alio in loco contraxit, ſe legibus ejuſdem ſubmiſit.

III. *Statutū quo cautum eſt obligari una uxorem, ſi maritus forenſis eo loci contraxerit, an valeat?*

CAPUT II.

De pactis quibus obviam itur juris diverſitati, quam domicilio non moto excitant ſtatuta merè realia.

SUMMARIUM.

I. *De vi pacti antenuptialis apud Hollandos, quo cautum eſt bona ultimi ex liberis reditura ad latus, unde provenerunt, ſecluſo parente ſuperſtite.*

II. *De effectu ejuſdem pacti apud noſtrates.*

III. *An liceat coniugibus mutare pactum ſtante matrimonio?*

IV. *An patri competat legitimæ ullius aut trebellianicæ portionis detractio, ſuo nomine?*

V. *An nomine liberorum, tanquam Iure detractionis ad ſe transmiſſo?*

VI. *Scrip-*

Digitized by Google

VI. *Scriptis hæredibus, quos Iure heredes eſſe oporteret, num vocati, qui teſtatori per leges patrias eſſent heredes; an verò quos parentes pactis antenuptialibus ei delegerint?* *Pars prior*

STatutorum merè realium exemplum nobis exhibuere jura lata de modo ſuccedendi ab inteſtato; quem diximus exigi ad locum rei ſitæ, ſi de rebus quæratur immobilibus; ad defuncti domicilium, ſi de mobilibus. Videamus ecquæ partes & hic ſint tabulis antenuptialibus. Apud nos totam per Provinciam jus ab inteſtato frequentatur uniforme, quod apud Hollandos ferè duplex obtinet, alibi Scabinico jure, ut vocant, utentes, Aſingico alibi: ut una eademque hæreditas ſimul & Aſingico & Scabinico jure, ſæpenumerò cenſeatur: nec id tamen, ſi ad mores hodiernos adſpexeris, eſt abſonum: quot enim bona defuncti ſunt diverſis in regionibus, diverſo jure directa, totidem hodiè cenſentur eſſe hæreditates. Fac igitur pactis dotalibus inter conjuges conveniſſe, ut liberi parentibus hæredes eſſent, & ſi liberorum noviſſimus abſque prole decederet, bona materna maternis, paterna paternis concederent, non autem ad parentem devolverentur ſuperſtitem. Videamus cujus effectus ſit hujuſmodi pactio. Et quidem apud Hollandos propterea ſtipulationes illæ invaluerunt, ut obviam iretur maritis domicilium in ſolo Aſingico collocantibus, vel ibidem prædia eâ mente comparantibus, ut ſi liberi poſt matrum mortem vitâ fungerentur, ipſi patres hæredes eſſent: teſte Neoſtad. *in not. ad obſerv.* 2. *de Pactis Antenupt.* & Grot. *in Manuduct. lib.* 2. *part.* 29. Quibus

I. *De vi pacti antenuptialis apud Hollandos, quâ cautum eſt bona ultimi ex liberis reditura ad latus, unde provenerunt?*

Pars prior. pactionibus id effici duntaxat ſcriptores iidem atteſtantur, ut modus introducatur ſuccedendi ab inteſtato, non ut adimatur conjugibus, aut liberis eorum diſponendi facultas. Adde *deciſ. ſuprema Curia Holland.* 78. *&* *Coren. obſ.* 20. *num.* 16. *& conſil.* 9. *num.* 48. *& ſequentib.*

II. *De effectu ejuſdem pacti apud noſtrates.* Apud nos quoque cum de ejuſmodi clauſula lis eſſet, ex præſumpta contrahentium voluntate, eam ita interpretati ſunt judices, ut clauſulæ tum demum locus ſit, cùm liberi decederent in pupillari ætate, & vel quandocunque ab inteſtato: quod rectè monuerit Peckius quoſlibet oculatos eſſe debere, qui res aliter affectas eſſe volunt. *de Teſtam. conjugum lib.* 1. *cap.* 6. Judicatum apud nos à judicio civitatis patriæ 23. *Mey* 1627. *tuſſchen Floris de Goyer cum ſocio contra Elbert van Bylert cum ſocio* & in reviſione *tuſſchen Io. Droeſſelaer contra Erneſtus van Ommeren.*

III. *An liceat conjugibus mutare pactum ſtante matrimonio?* Verùm fac ejuſmodi pactionem apud noſtrates interpoſitam fuiſſe, num æquè libera erit conjugibus ejuſdem mutatio? minimè: quod apud nos, commodo alterius ex conjugibus, pactis dotalibus ne vel tantillum fas ſit obrogare Radelant. *dec.*84. *n.*16. *&* 17. vid. Goris *Adverſar. tract.* 1. *cap.* 8. Chriſtin. *ad leges Mechlin. tit.* 9 *art.* 11. *ad n.* 12. *in addit.* Chaſſaneus *ad Conſuet. Burgund. rub.* 4. §. 2. *verſic. & acquiſitor. ſub. n.* 15. Annæus Robert. *rer. iudic. lib.* 4. *cap.* 1. Hæc ita de bonis in ditione noſtrate conſtitutis: aliud in rebus ſoli Hollandici, quod eæ prohibitoria noſtrate lege non teneantur, ut demonſtravimus antè, ac apud Hollandos pacta antenuptialia mutare liceat ultimâ voluntate.

IV. *An patri competat legitima illius* Quæſitum eſt ſuper eadem ſtipulatione, num competat patri legitimæ trebellianicæ aliæve juris portionis detractio, in

in bonis quæ proli noviſſimè vita functæ, à matre obveniſſent; vel ſaltem an liberorum legitima & Trebellianica, uti quæ à matre minimè gravatæ eſſent, aut affici potuerint, patri debeantur jure inteſtati: duplex enim hujus rei inſpectio eſt, ut tam ſuo, quàm defunctæ prolis nomine pater legitimam videatur poſſe obtendere. Non eſſe tamen, ut ejuſmodi portiones ſibi fingat, aſſerit Neoſtadius; eo quod hujuſmodi prærogativas, ultimis datas voluntatibus, neget pactis convenire, *in notis ad d. obſ.* 2. Illudque ipſum apud Hollandos certam ſatis interpretationem videtur habere *vid. Grot. dict. part.* 29. Apud noſtrates autem controverſa quæſtio, varieque ventilata eſt. Putaverim tamen tutius fore, ſi nos aliud hic ab Hollandis non dicamus. Ut enim primò videamus, num patri ſuopte ex capite legitimam liceat detrahere, illud conſtat, patrem hic à filio nullâ præteritione vel exhæredatione eſſe notatum, nullóve modo in legitima circumſcriptum, conſequenter non habere eum quod de inofficioſo conqueratur, legitimæ autem petitionem ceſſare, ubi locus iſti querelæ non fuiſſet, probant *l.* 3. *l.* 30. *C. de inofficioſ. teſtam. Fab. in Cod. lib.* 5. *tit.* 5. *defin.* 6. *n.* 3. Vulgatum apud Doctores argumentum eſt. Legitimæ petitio ſuccedit loco, querelæ vel bonorum poſſeſſionis contra tabulas. Huic non competit aut querela, aut bonorum poſſeſſio. Igitur nec competet legitima: quibus verbis in materia non abſimili utitur Tiraquel. *de Iure Primogenitur. q.* 55. *n.* 11. Eo facit quod legitima dicatur ſumere initium à cauſa teſtati. Peregrin. *de fideicom. art.* 36. *n.* 5. Qui poterit ergo peti legitima

aut trebellianica portionis detractio ſuo nomine.

tima ex bonis ejus, qui deceſſit planè inteſtatus; quod enim ab hæreditate filii repellatur hic pater, non à diſpoſitione filii eſt, ſed à ſuomet ipſius pacto proficiſcitur, idque damnum cum ſua ſentiat culpa, de ſe queri, ſibique hoc imputare debet. Unde & obſtat ipſa legitimæ natura, quæ definitur triens vel ſemis ejus portionis, quam quis eſſet habiturus ab inteſtato. Quare fruſtrà ſit pater legitimam petens iis ex bonis, quæ ab inteſtato ad eum non erant perventura. Nec eſt, ut moveremur vulgata Doctorum regula, quâ dictitant per generalem hæreditatis renuntiationem, non cenſeri renuntiatum legitimæ, deſumpta ex *l. ſi quando C. de inoffecioſ. teſtam.* Primò enim Doctores videas ferè loqui de renuntiatione liberorum, non parentum, quibus liberorum hæreditatem non ita deberi, ut liberis debetur parentum, dicit ICtus in *l. 7. §. 3. ff unde liberi.* Ipſa certè Gloſſa *ad l. ſi quando §. illud in verb. gravari ibi ſolutio aliud in patre* negat conſtitutionem ad patrem pertinere: conſentit Acacius in *tractatu de Privilegiis parentum & liberorum privileg. 14 parte altera cap. 5. n. 3.* Ita & pleræque leges, ſpeciale quippiam liberis concedentes, ad parentes non porriguntur. Ita lex finalis *C. de Repud. hæredit.* ad recuſatam parentis hæreditatem regreſſum dans filiis, locum non habet in parentibus. *vid. comm. DD. ad d. l.* Ita lex hac conſultiſſima *§. ex imperfecto C. de Teſtam.* Ita lex avus *ff. de Conditionib.* agentes de liberis, ceſſant in parentibus. Deinde procedit hæc regula in hæreditate, cujus jus jam erat quæſitum, vel ut cum JCto loquar in *l. 1. §. ſi impubes ff. de collat. bonorum*, cùm jam nata eſſet quartæ petitio: non

Digitized by Google

non autem in hæreditate, quæ nondum obvenerat; ex doctrina eorum, qui de legitimæ prærogativis tractant ex profeſſo. vide Merlin. *de Legit. lib. 3. tit. 2. quæſt. 26. n. 13.* & Mangil. *de imputat. & detract. quæſt. 91. num. 15.* & jam antè eos Ruinum 1. *vol. conſil. 97. num. 7.* adde duos ſtupendæ lectionis JCtos. Tiraquell. *quæſt. 55. n. 14.* & Menoch. *conſil. 71. num. 7.*

V. *An nominè liberorum, tanquà iure detractionis ad ſe tranſmiſſo?*

Hæc ita de ea quæſtione dicta ſunto, num pater ſuo ex capite detrahendæ legitimæ jus habeat. Plus difficultatis forſan in eo erit, an non idem habeat pater ex perſona filii, vel potius an non ex bonis maternis libera ad filios pervenerit legitima, utpote cui gravamen imponi nequiverit, quod lex ipſo jure adjecta onera rejiciat *l. 32. & Author. noviſſima C. de inoffícioſ. teſtam.* quam deinde filius dicendus ſit tranſmiſiſſe ad patrem; cum & Doctoribus probatum eſt non poſſe liberos qualibuſcunque conditionibus matrimonii contractui appoſitis, legitima defraudari. Peregrin. *de Fideicom. art. 50. num. 23.* Verùm non eſt ut hoc quenquam turbaverit: cùm enim in eo moribus ſit receſſum à jure, ut hæreditas detur pactis, vel potiùs ut à conjugibus in ipſis matrimonii auſpiciis certus ordo ſibi liberiſque ſuccedendi ab inteſtato conſtituatur, adeoque liberi impuberes haberent illos hæredes, quos parentum judicium ipſis elegerit, vel ut adulti eo ipſo quos alios hæredes non ſcripſerint, datos à patre viderentur approbaſſe; dicendum eſt, nullo liberis impoſito gravamine, legitimæ aut trebellianicæ detractioni ex capite eorundem non eſſe locum. Ne dicam quod patre per ſuam ipſius renuntiationem à liberorum hæreditate

Digitized by Google

ſecluſo, jus detrahendi legitimam, ſi quod competiiſſet liberis, non tranſmiſiſſent illi ad patrem, hæredem ſibi non futurum, ſed ad eos, qui ab inteſtato eſſent ſucceſſuri. Quomodo & non ita pridem judicatum apud nos in reviſione, jus habendi legitimam abſque onere in bonis Emphiteuticis, quæ apud noſtrates ad inſtar feudalium lineæ inhærent, non pervenire ad matrem, hæredem in cæteris ab inteſtato; ſed ad paternæ lineæ agnatos proximos, unde illa bona devenerant, *inder ſaecke van Niclaes van Portengen contra Floris Wttenengh.*

VI. *Scriptis hæredibus, quos jure hæredes eſſe oporteret, num vocati, qui teſtatori per leges patrias eſſent hæredes, an verò quos parentes pactis antenuptialibus delegerint?*

Tenuit nuper Curiam quæſtio, quam ſi hic intexuero non multum me puto à re diſceſſurum. Pactis dotalibus certus cùm eſſet à contrahentibus conſtitutus ordo ſibi liberiſque ſuccedendi ab inteſtato, diemque primum obiiſſent contrahentes, poſtremo noviſſima proles, hujuſque teſtamentum exſtaret, quo collatis in diverſas perſonas legatis, ea tandem comprehenſa erat clauſula, quâ teſtatrix ſibi hæredes fore declaraverat, quos jure eſſe oporteret, vernaculè, *die met recht Erfgenamen behoren te weſen.* Orta lis eſt inter eum, qui proximus hæreditati per patrias eſſet leges, & eum qui pactis vocaretur dotalibus; utroque ſibi hæreditatem vindicante. Curia noſtra hoc anno 1651. omnium calculis hæreditatem adjudicavit ei, qui pactis innitebatur antenuptialibus; quod ex anteſcriptis teſtatricis verbis apparere videretur de hæredibus nihil eam voluiſſe eſſe diſpoſitum, ſed cauſam illorum relictam eo loco, quo ea erat tempore conditi teſtamenti. Sanè verborum proprietati ſi quis inhæreat tenacior, dicturus erit,

Digitized by Google

erit, inſpici oportere, uter litigantium antè vel citra teſtamenti tabulas jure hæres eſſe deberet, utique non ille futurus, qui per legem proximior erat: cum patrius ſuccedendi ordo ab inteſtato jam antè ſublatus fuerit per illum alium, pactis in ejuſdem locum ſurrogatum. Adhæc in ambiguo, pactis parentum derogatum noluiſſe liberos, tutior capitur conjectura. Ac prætereà cùm legatis honorati eſſent propinqui alii, nullo prorſus dato ei qui jus ſuccedendi ex pactis haberet, in quem tamen non conſtabat teſtatricem animo fuiſſe minus æquo, veroſimile habebatur hoc idcircò ab ipſa factum eſſe, quod ſciret poſteriorem illum ex pacto ſibi futurum hæredem.

CAPUT III.

De Pactis quibus diverſitati Iuris immoto occurritur domicilio, & quidem circa actus alicuius ſolennitatem.

DIſſeruimus de ſtatutis merè realibus, qualia ferè ſunt, quæ modum ſuccedendi concernunt ab inteſtato. Proxima cura eſt, ut videamus an pactorum ſit aliquis effectus circa formam actus aut ſolennitatem. Realium enim Statutorum, quibus actus hominis intercurrit, bipartitam hanc fecimus diviſionem, ut vel in formam ſcripta ſint, vel in materiam. De illis non eſt ut magnoperè laborem: in manu namque privatorum non eſt quacunque pactione derogare ſolennitatibus, quæ ad actus cujuſque confectionem

vel

Digitized by Google

vel per leges ſitus, vel domicilii ſunt adhibendæ; quod nemo facere poſſit, ne leges in teſtamento aliquando à ſe celebrando, locum habeant. Undè nuperrimè à Curia noſtra ſecundùm ſententiam Senatus Friſici pronuntiatum eſt non deberi legatum, à teſtatore privatâ ſcripturâ relictum, ut maximè ab eo præcedente teſtamento ſcriptum eſſet, velle ſe rata eſſe, quæcunque legata ad eundem modum dediſſet; fruſtrà nimirum laborante teſtatore id agere, ne forma lege præſtituta, ſuis in legatis locum haberet. Illud quidem pluſculis juris noſtri locis comprobatum eſt, hæreditate, legatóve in teſtamento ritè datis, nominis quantitatiſve expreſſionem rejici poſſe in codicillos, aut aliam quamcunque ſcripturam, quæ fidem mereatur: quod tum ſolenniter conſtet de voluntate teſtatoris, inſtituere aliquem aut legatum dare volentis. Verùm ut & voluntas ipſa dandi vel legandi, & ſimul legati quantitas, aut legatarii nomen, adeoque actus in univerſum, alia quam legitima ſuſtineatur ſolennitate, nullum jus, nulláve ratio eſt, quæ id effecerit. Sed de his plura volenti adeundus Herbajus, qui locum enucleavit accuratè *Rer. Quotidian. lib. ſing. cap. 8.*

CAPUT

CAPUT IV.

De pactis quibus itur obviam Iuris diverſitati, quam immoto domicilio producunt ſtatuta realia, circa actus ſubſtantiam.

SUMMARIUM.

I. *Pactum ut dos exigatur iuxtà conſuetudinem loci alterius an valeat?*

II. *Quid ſi pactioni repugnet locus rei ſitæ?*

III. *Pactum, ut lucretur mulier dotalitium, quod per mores præfinitur, quos mores deſignet?*

IV. *Inſtitutis à me hæredibus, quos habiturus eſſem ab inteſtato, quales vocaverim?*

V. *Si conventum ſit ab Vltraiectinis coniugibus, ut Hollandico iure ſemet inter uterentur, an valeat mutua proprietatis donatio?*

VI. *Quid ſi nominatim convenerit. ut liceret coniugibus ſibi invicem gratificari, an ſubſiſtet prædiorum noſtratium donatio?*

VII. *Quid ſi alibi ſuppetant bona, quæ licuit coniugi in alterum conferre, an ex iis ſupplebitur quod per mores noſtrates donare coniux prohibebatur?*

VIII. *An liceat apud nos pactis dotalibus bona ſuperſtiti relinquere?*

IX. *Si ſcriptum ſit dotalitii ſtipulationem pertinere & ad bona alterius territorii, dotalitium neſcientis.*

X. *Si convenerit inter noſtrates, ne ſtante matrimonio relinquant ſibi invicem uſumfructum, an pacto teneantur ſtare?*

XI. *Quid ſi pater pollicendo dotem, eiuſmodi pactionem interpoſuerit?*

XII. *Quid ſi pactioni duntaxat adfuerit pater?*

Relictis

Relictis ſtatutis quæ in forma aut ſolennitate actus conſiſtunt, tranſeamus ad ea, quæ materiam ſpectant aut ſubſtantiam, in quibus eo plus hæret difficultatis, quo plures hic ſurgunt controverſiæ, quæ diſquiſitionem deſiderant. Non puto peccaturos, qui dixerint inſpici oportere, utrùm leges loci, cui res ſoli ſubjacent (nam mobilium jura loco domicilii metienda eſſe ſcripſimus ubertim ſuprà) ejuſmodi pactiones admiſerint, rataſque

I. *Pactum ut dos exigatur juxtà conſuetudinem loci alterius an valeat?*

eſſe juſſerint, nec ne. Verbi gratia, ſi conventum ſit tabulis dotalibus, ut dos exigatur ſecundùm conſuetudinem loci alterius, quam ubi fovet maritus domicilium, ſtandum eſſe hujuſmodi pactioni rectè cenſuit Curia Pariſienſis apud Mornac. *ad l. exigere dotem ff. de judiciis.* Quid ita? quod utrobique locorum

II. *Quid ſi pactioni repugnet locus rei ſitæ?*

licuerit pactiones eas interponere. Contra ſi per leges loci, ubi bona conſtituta ſunt, limitetur illud rerum immobilium douarium, fortè ita, ne trientem excedat, (cujuſmodi certè douaria apud nos in arctum cogenda eſſe jam pridem depravati mores poſtulant) non oberit utique conſuetudinis ejuſmodi; tabulis nuptialibus inſerta derogatoria clauſula, quantum ad bona illa prædiaria attinet: ſed revocabitur dotalitium ad ſtatutum legibus modum: eo quod nemini liceat privatâ cautione refragari legi publicæ negativæ, aut prohibitoriæ: vide Renatum Chopin. *ad leges Pariſiorum lib. 2. tit. 2. num. 15. & n. 22. circa finem*, nec malè traditum eſt à Burgundo *tract. 1. n. 51.* ſi res ſoli, inter ſe regionibus diviſas, in matrimonium attulerint conjuges, pro cujuſque regionis conſuetudine, aut venire dotalitium, aut non venire, ut ita loci ſitus cuſto-

cuſtodiatur ſtatutum. Quare ſi de ejuſmodi dotalitio à muliere lucrando convenerit, quæ per mores civicos præfinitur; non illud intelligitur, quod obtinet in contracti matrimonii, vel domicilii loco, ſed quod per leges ſoli cujuſque tribuitur, in quo prædia ſita ſunt, ut definivit Pariſiorum Curia apud Chopin. *d.n.*15. Undè non abludit quod apud noſtrates pronuntiatum eſt, inſtitutis nimirum à teſtatore hæredibus, quos habiturus fuiſſet ab inteſtato ſucceſſores, non illos ſcriptos intelligi, quos vocat mos domicilii, ſed quibus favet loci cujuſque lex, in quo prædia conſtituta ſunt; verùm num rectè ſe habeat utrumque judicatum, & an non poſterioris nomine merito vapulent judices noſtrates apud Joannem à Sanden *Deciſ. Friſica. lib.* 4. *tit.* 8. *defin.* 7. viderimus alias, quod ambæ quæſtiones non poteſtatis, ſed voluntatis, adeoque hujus loci non ſint.

III. *Pactum, ut lucretur mulier dotalitium, quod per mores præfinitur, quos mores deſignet.*

IV. *Inſtitutis à me hæredibus, quos habiturus eſſem ab inteſtato, quales vocaverim.*

Rurſus fac dotali conjugum Trajectinorum inſtrumento comprehenſum eſſe, ut Batavo illi jure ſemet inter uterentur, ratáne erit in conjugem collata ex hærediis Ultrajectinis donatio, ubi per loci leges coguntur in arctum, & ad merum rediguntur uſumfructum conjugales donationes? Judicatio quæſtionis iterùm in eo eſt. Utrùm pacto poſſit effici ut prohibitoria loci lege ſolvantur prædia? quod negatum eſt à nobis toties: ſæpè enim dictum, ſæpè dicendum eſt, loci cujuſque ſtatuta plenum jus exercere in ſubjecta prædia. Publicæ autem prohibitioni in favorem inductæ hæredum legitimorum pactis nequit derogari privatorum, in quorum manu alioquin foret efficere, ne ſeſe prohibitoriæ

V. *Si conventum ſit ab Ultrajectinis conjugibus, ut Hollandico jure ſemet inter uterentur, an valeat mutua proprietatis donatio.*

bitoriæ loci leges conſtringerent, & hanc ſententiam amplexa eſt Curia Pariſienſis apud Chopin. *de Privileg. ruſticor. lib.* 2. *cap.* 2. *n* 4.

VI. *Quid ſi nominatim cõvenerit, ut liceret conjugibus ſibi invicè gratificari, an ſubſiſtet prædiorum noſtratium donatio.*

Undè apparet quid ſit dicendum, ſi tabulis antenuptialibus nominatim ſit conventum, ut inſuper habita patrii juris prohibitoria lege, integrum nihilominùs conjugi futurum ſit conferre liberalitatem in alterum. Sed cum de ea quæſtione non una omnium ſit ſententia. operæ pretium eſt tractare eam paulò uberiùs. Sunt qui ſtipulationem hanc effectum debere ſortiri contendunt. Menoch. *conſil.* 496. *n.* 109. Boer. *ad Conſuet. Bituricenſ. tit.* 8. §. 1. *n.* 6. *verſic. ſed quid ſi fiat.* Chaſſan. *de Rub.* 4. §. 7. *in verb. niſi aliter. n.* 2. qui tamen poſterior loquitur de ejuſmodi lege, quæ hanc exceptionem adjunctam habet, niſi in tractatu matrimonii aliter convenerit. Contra ſunt plures, qui eam nullius momenti eſſe tenent. Scipio Gentilis *lib.* 4. *de donat. inter vir. & uxor. cap.* 3. Argentr. *ad Conſuet. Britan art.* 220. *gl* 7. *n.* 1. *&* 2. Loüet *en ſon Recueil. lit. M. cap.* 4. *in annotat. ad lit. A.* Moulin. *ſur les Couſtûmes generales de Bourgogne chap. des Droicts & Appartenances art.* 26. & poſt viſus Goris *in Adverſariis tract.* 1. *cap.* 6. *n.* 20. *in annotationibus quibus nuper ea locupletavit & ab eo allegatus* Charond. *in reſponſ. lib.* 13. *cap.* 86. Et pro hac ſententia palmarium argumentum eſt quod Argentreus vir impensè doctus deducit *ex lib.* 4. *C. de Donationib. propter nupt.* qua ſine effectu eſſe ſancitur, quicquid ſponſæ ea lege donatur, ut tum dominium ejus adipiſcatur, cùm nuptiæ fuerint ſecutæ: unde multo minus ea rata erit donatio, cujus non implementum, ſed ipſa celebratio rejicitur in tempus matrimonii illicitum.

Digitized by Google

tum. Ad quem legem Gothofredus aliique regulam hanc relatum tradidere, paria eſſe fieri aliquid tempore prohibito, & conferri in tempus prohibitum. Quanquam, ut hoc obiter percenſeam, non immeritò miratur Argentreus *d. l.* 4. ſine effectu pronuntiari donationem, quæ re ipſa nihil contineat aliud quàm hanc notam conditionem, ſi nuptiæ fuerint ſecutæ, qua ſub conditione donari ſponſæ jus non eſt impedimento *l.* 1. *ff. de donat.* §. 4. *Inſt. eod.* niſi forſan illud Argentreo regeramus, donationem illam ſub conditione factam, ſi nuptiæ ſecutæ fuerint perfectam eſſe ab initio, eo quod donator rei traditione ſit defunctus, condicendæ iterùm, tanquam cauſa datæ cauſa non ſecuta, ſi ſpes matrimonii decollaverit: cum alia in ſpecie rejiciatur in tempus prohibitum ipſa dominii adeptio, in illud nimirum, cum nihil eorum, quæ ſpectant ad gratificationem, licet inter conjuges peragere, lege non permittente privatis jus publicum pactis ita mutare, ut ipſis liberum foret actum aliquem tum celebrare, cùm jure eum prohibentur exercere. Arg. *l. iuris gentium.* §. *& generalit. l. ius publicum* 38. *ff. de pactis: l. quod bonis* 15. §. *frater ff. ad l. falcidiam.* Quibus convenienter ait Ulpianus ad ſententiam prohibitoriæ orationis pertinere, ſi ſponſus ſponſæ donaverit, collata in tempus matrimonii donatione *l.* 32. §. 22. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* Certè irritam eſſe quamlibet conjugum ſibi gratificandi reſervatoriam clauſulam, evincit ipſa prohibitoriæ illius legis ratio; ſive enim ea ſit, ut concordiæ ac famæ conjunctorum conſuleretur, quæ ferè juris Romani fuit, ſive ea potiùs,

Digitized by Google

ne profuſa conjugum erga ſe invicem liberalitas nimio hæredum legitimorum cederet diſpendio: utralibet ſanè ratio conventioni illi ſuper conjugali donandi facultate interpoſitæ refragatur: ſecundùm quod à Curia noſtra pronunciatum, & in reviſione concordibus ſuffragiis concluſum eſt. *In cauſa Caroli Conſtants nomine uxoris priùs nuptæ Diemeno Societatis Indiæ Præfecto ſupremo, & Petrum de Gruyter cum ſociis.*

VII. *Quid ſi alibi ſuppetant bona, quæ licuit conjugi in alterum conferre, an ex iis ſupplebitur quod per mores noſtrates donare conjux prohibebatur?*

Quid autem ſi alia teſtatori bona ſuppetiiſſent noſtræ juriſdictionis legibus non obnoxia, quorum donandorum ei jus eſſet, debeturne ex iis bonis tantundem ac donatum aut legatum eſſet, refici ac ſuppleri ſuperſtiti? pro negativa ſententia diſputat luculenter ac Friſiæ judicatum adducit Joannes à Sanden *Deciſ. Friſicar. lib. 4. tit. 4. defin. 4.* Et certè aliter ſi dixerimus planè redderetur inutiliùs ac eluſoria donationis prohibitoria lex. Nec eſt quod dixerit aliquis: legaſſet teſtator tantundem ex aliis bonis, quæ lege illâ non tenebantur, ſi donationem à ſe factam aliquando irritatam iri cogitaſſet, ut propterea dicendum jam ſit ex aliis bonis reſarciri oportere, quodcunque ſuperſtes de donatis nequiverit adipiſci. Verùm ea ratio ſi valeret, quandocunque contra leges, vel etiam citra legitimum modum, aut formam relictum aliquid aut ordinatum eſſet, protinus ad has voces confugeret legatarius. Conſtat de voluntate dare volentis, adjuvetur ea benigniter, ut ſi qua alia ſuppetat via, quâ voluntati ſatisfiat, accipiamus, ea ut uteremur, teſtatorem voluiſſe. Atqui illa ipſa teſtatoris voluntas prorſus eſt in obſcuro; frequenter namque

que

que contingit homines de induſtria ejuſmodi aliquid ordinare, quod neutiquam lateat ipſos non habiturum vires, quo vel conjugalibus hæredipetarum lenociniis, aut vexationibus ſe liberarent.

VIII. *An liceat apud nos pactis dotalibus bona ſuperſtiti relinquere?*

Quod diximus licere nemini conferre vel rejicere confectionem in tempus prohibitum, in hoc quoque dictum eſto, ut contra tradendum ſit, ſi ſtipulatio nuptialibus tabulis inſerta, contineat actum, qui per ſe habeat perfectionem, ita ut nullus prætereà alius actus poſteà ſit peragendus. Quare apud nos vel bonorum proprietatem pactis dotalibus in ſuperſtitem tanquam hæredem licet tranſcribere. Unde & ſi conventum eſſet dotalitii ſtipulationem pertenturam ad bona ubicunque ſita, ut maximè loci ſtatutum ejuſmodi dotalitium neſciat, rectè diximus cum Burgundo *tract.* 1. *num* 52. concedi ſuperſtiti actionem perſonalem, quâ compellat hæredes ad ejuſmodi conventionale dotalitium præſtandum: ſuam quippe ſibi firmitatem & complementum ſtipulatio iſta habet, nec ullus poſtmodum actus tempore prohibito venit celebrandus, ſed ſola promittentis exſpectanda mors, quâ promiſſi dotalitii dies veniat.

IX. *Si ſcriptum ſit dotalitii ſtipulationē pertinere ad bona alterius territorii, dotalitium neſcientis.*

Nuper ex facto quæſitum memini, interpoſito apud nos connubiali pacto, ne unquam conjugibus fas eſſet ſibi invicem bonorum uſumfructum conſtituere, an ſubſiſtet datio, ſi poſtmodum recedere à pactis viſum fuerit conjugibus? Reſpondimus JCti. compluſculi dationem valere, quod non impingeret in noſtratium leges, uſusfructu tenus conjugalium donationum haud prohibitorias,

X. *Si convenerit inter noſtrates, ne ſtante matrimonio relinquant ſibi invicem uſumfructū, an pacto teneantur ſtare?*

torias, ut eadem in cauſa apud nos hæc res ſit, atque ſi pacto antenuptiali apud Hollandos prohibita foret quævis omninò inter conjuges donatio, quando tamen ibi, ni fallor, per ultimam voluntatem liberum eſſet ab eodem pacto recedere. Pariter apud nos, cum ceſſet ratio, quæ pacta noſtratia extra revocationis aleam conſtituit, ne nimirum ea res incideret in prohibitam proprietatis inter conjuges donationem, efficaciter ſuam illam voluntatem conjux erit immutaturus. Quemadmodum & Chopinus innuit pactis dotalibus non potuiſſe mutuo conſenſu derogari, idcircò judicaſſe Senatum Pariſienſem, quod ea res contineret obliquam donationem viri in uxorem, quæ patriâ lege prohibeatur *ad leges And. lib. 3. tit. 2. de connubiali bonorum conſortio num. 22. in fiue.* Aliud tamen à præcedentibus dicendum, ſi pater pollicendo dotem pepigerit, ne vel in uſufructu ſibi invicem gratificarentur conjuges: quod unicuique liberum ſit traditioni rei ſuæ eam legem adjicere, quam voluerit *l. 48. de pactis.* Quid autem ſi mulier de ſuo dotem dederit, parenteſque ad interponenda pacta adhibuerit, ut fieri ferè aſſolet? Probata legibus diſtinctio eſt, parentum in favorem, vel iis gratificandi animo ſi id fecerit mulier, ſtare eam conventis teneri; ſin autem ob mandatum magis, vel moris aut teſtandæ reverentiæ ergo parentes adhibuerit (quod quoties de ſuo dotem dat mulier, factum eſſe jura præſumunt. *l. 72. mulier. §. ult. ff. de jure dotium* & nos quoque in modo dicta quæſtione reſpondimus) poſſe mulierem arbitratu ſuo poſteà inſtrumentum dotale mutare *d. l. 72. l. Seja. de dot. prælegat. l.*

XI. *Quid ſi pater pollicendo dotem ejuſmodi pactionem interpoſuerit?*

XII. *Quid ſi pactioni duntaxat adfuerit pater.*

cum

cum quis. nuptura. de leg. 3. & quæ porro præ-tereà in hanc ſententiam profert Coſtal. *ad. l. cum maritus* §. *mulier ff. de pactis dotalibus.* Atque hanc tum ſententiam ſuper facto conſultus una cum aliis amplexus ſum, me tamen non parum fluctuante; quod hâc pactione concordiæ matrimonii conſultum voluerint contrahentes, ut quiſque eorum, ſuo contentus, non habeat posteà, de quo alteri moleſtiam extorquendæ donationis ergò poſſit exhibere: ut vel hac boni publici ratione pacta ſervanda eſſe non malè nonnulli teneant. Vid. Goris *in Adverſ. tit.* 1. *cap.* 8, *n.* 7. Adhæc ſpectat illa conventio ad excludendas fraudes ac metum, qui inter tam conjunctas perſonas facilè præſumitur interceſſiſſe, quod & ſolus torvus adſpectus juſtum metum dicatur inter eas inducere: quorſum ſpectantia perpulchra ſunt, quæ habet Mornac. *ad l.* 26. §. 2. *ff. de pactis dotalib.*

TITULUS QUARTUS.

PARS ALTERA.

De Pactis occurrentibus Juris diverſitati, domicilio mutato.

CAPUT PRIMUM.

De Pactorum effectu circa Statuta perſonalia.

SUMMARIUM.

I. *An valeat pactum, ne maritus citra conſenſum uxoris mutet domicilium?*
II. *An ne certum aliquem in locum migret?*
III. *Quid ſi pœna ſit adjecta pactis, ſi maritus ea violaverit?*
IV. *Quid ſi interfuerit mulieris alium in locum non abduci, ut ſi Trajecto demigret maritus in Hollandiam?*
V. *Si convenerit inter Hollandos, uti mulier dotem ſalvam habeat, iique domicilium poſtmodum tranſtulerint Vltrajectum, an creditoribus, debiti apud nos contracti nomine poſt obitum viri, in mulierem agentibus, pactio illa ſit nocitura?*
VI. *Quid ſi repetito priori domicilio, maritus ibidem diem obierit, num vel tum creditoribus Vltrajectinis obfutura ſit pactio?*
VII *Obligandæ uxoris poteſtas, num communionis ſit effectus, an verò iuris maritalis?*
VIII. *Si conjuges Vltrajectini concedant habitatum in Hollan-*

Digitized by Google

Hollandiam, an à morte viri in uxorem agatur efficaciter ejus debiti nomine, quod apud nos contraxit illa, marito inſcio?

IX. *An ſi maritus contraxit, uxor teneatur duntaxat pro dimidia?*

X. *An Hollanda conjux, quæ domi ſine viri contraxit auctoritate, tranſlato poſtmodum in ditionem noſtratem domicilio, poſt mortem viri poſſit conveniri?*

EXplicatâ poſtremi Tituli Parte priori; quando non receſſimus à domicilio ſemel conſtituto, ſupereſt ejuſdem Pars altera, quâ ſecundum præſcriptum nobis ordinem tractandum eſt, de domicilio alio tranſlato. Undè prima, & quaſi partis hujus Præliminaris ſit inſpectio, an & quatenùs mutandi domicilii jus, pacto aliquo circumſcribi queat, aut inhiberi. Conveniens igitur eſt, ut primò videamus, num pacto antenuptiali queat effici, ne uxor teneatur ſequi maritum, domicilium aliò transferre volentem, cóve pacto obviam iri controverſiis migratione illâ excitandis: deinde mutato domicilio quam vim habeant pacta conventa, quibus cautum eſt, quod jus cujuſque loci ſuper conjugum jure ſit inſpiciendum. An & quatenùs uxoris ſit ſequi ſolum vertentem maritum, attigimus ſuprà. Nunc quæritur valeátne pactio, quâ inter contrahentes convenit, ne extra conſenſum uxorium fas ſit viro mutare domicilium. Sunt qui cum poteſtate mariti, penes quem conſtituendi domicilii jus eſt, adeóque cum debita ei reverentia pactionem hanc arbitrentur pugnare: cujus ſententiæ ſunt Covar. *de Matrim. part. 2. cap. 7. numer. 5. & 6.* Mau-

I. *An valeat pactum, ne maritus citra conſenſum uxoris mutet domicilium?*

Mauſuer. *de Nuptiis pag.* 335. nec ab ea alienus videtur doctiſſimus Tuldenus *ad tit. C. de Nuptiis numer.* 4. qui vel ideo tenere hoc pactum negat, quod jus infringat libertatis, Arg. *l. Titio* 71. *§.* 2. *ff. de condit. & demonſtr.* Alii contra ſtandum eſſe conventioni affirmant, niſi gravi de cauſâ, poſt contractum matrimonium emergenti, mutetur domicilium. Mihi ſic videtur. Martialem poteſtatem quod attinet, licet ea in totum tolli nequeat, quo minus tamen effectus ejus imminui, certáve in re coarctari poſſit, jus non eſt impedimento. Quemadmodum & ipſum jus naturale, per ſe firmum licet & immutabile permaneat, in particularibus tamen nonnunquam circumſcribitur. Ita vulgata pacti dotalis cautio eſt, quâ maritus, vel in totum, vel pro parte adminiſtratio rerum adimitur, vel facultas inhibetur uxorem obligandi, qui tamen ſunt hujus ipſius poteſtatis, ſeu naturales, ſeu civiles effectus, quâ de re ſuo loco agam pluribus. Cæterùm quod hic libertatis naturalis imminutionem invita quæruntur fieri juriſprudentia, non omninò eſt de nihilo: conſtat namque, *d. l. Titio* rejici conditionem, tanquam libertati inimicam, quâ jubetur legatarius certo in loco commorari perpetuo. Proinde labi eos non putaverim, qui hac promiſſione diſtrictè alligari maritum negent, futurum alioquin in ea cauſa, ut uni terræ, tanquam glebæ adſcriptus cogatur ætatem exigere: Scriptores laudat & ſequitur Mæv. *ad Ius Lubecenſ. lib.* 1. *tit.* 5. *artic.* 10. *numer.* 66. Aliud tamen haud

II. dubiè de ea promiſſione dicturus, qua certum aliquem in locum ſe non migraturum invitâ uxore ſpopondit maritus. Illa quippe pro-

An ne certum aliquem in locum migret?

promiſſio omninò libertatem tollit, immi- *Pars Altera.* nuit duntaxat altera: manente hic marito integrum, extra illum locum pactis exceptum, ſedes collocare, quocunque locorum libuerit. Quid autem ſi pœnam ſtipulationi adjecerit uxor, cum loci nimirum patrii affectione ducta ea lege in matrimonium coierit, ne abducere eam alio jus eſſet marito, pœna, ni pareat impoſita: cujuſmodi ferè pactiones interponere amant dotatę mulieres, cum nubunt pauperioribus; de quarum moribus Comicus verè non minus, quàm feſtivè.

Nam quæ indotata eſt, in poteſtate eſt viri,
Dotatæ mactant & malo, & damno viros.

Certè fides dotalium inſtrumentorum, quam ſanctè ſuprà pacta quæcunque alia ſervandam paſſim docemur, adeo ut favore matrimonii quævis pactiones admittantur, referente Mornac. *ad l. exigere dotem ff. de judiciis* à marito exegerit, ut non temerè aut frivola de cauſa mutare domicilium in animum inducat, aut ſecus ſi fecerit, pœna, ſi qua adjecta fuerit, committatur. Juſta verò cauſa noviter emergens, ſi ſuaſerit migrationem, dicendum videtur contra pactorum verba potius quàm contrahentium voluntatem commiſſurum abeuntem maritum: civiliter namque pactiones hæ ſunt exaudiendæ, ut tacitè inſit hæc exceptio, citra gravem juſtamque cauſam; ut puta ſi maritus ob tyrannidem, adverſam valetudinem, ſoli vel cœli intemperiem demigret. Ita futurum puto, ut nec III. jus libertatis infringatur, *contra d. l.* 71. nec temerè fides violetur pactorum. Ultra affectionis verò rationem ſi interſit prætereà mulieris, ne domicilium transferatur, teneri

Quid ſi pœna ſit adjecta pactis, ſi maritus ea violaverit.

dixerim maritum ad illud ipſum, quod uxoris ſit interfuturum. Unde nec longè abeunt tradita Gomeſ. *Reſolut. tom.2. cap.10. num.* 24. De Prætis *de Interpret. ultimar. volunt. lib.* 4. *nu.*1. *dub.*8. *nu.* 55. nequicquam contra ſcribente Barry *de Succeſſ. lib.* 17. *tit.* 19. *ſub. nu.* 1.

IV. *Quid ſi Ultrajecto concedat maritus in Hollandiam?*

Verbi gratia, ſi Ultrajecto concedat in Hollandiam maritus, ubi per loci leges teſtamento libera eſt quævis conjugalis munificentia, quæ extra mutui uſusfructus cauſam prorſus inhibita eſt apud Ultrajectinos; aut migret eo loci, ubi marito jus eſt diſtrahendi res ſoli uxorias, quod apud noſtrates fruſtrà conatur illiberis; vel ſi in loco contracti matrimonii obligandæ uxoris poteſtatem non habeat maritus, habeat alibi, quo eam ſit deducturus: utique libera licet & tum maneat marito domicilii transferendi facultas, præſtari tamen eum conveniet uxori aut ejus hæredibus illud ipſum, quod illorum interfuerit migrationem inſtitutam non fuiſſe; quando hæc conventio non tam impugnet libertatem, quàm potiùs uxoris reſpiciat præjudicium, aut utilitatem nubentis; cujuſmodi pactiones conſtat tabulas antenuptiales admittere. Breviter itaque ut omnia repetam, ſarta tecta marito conſervetur quocunque migrandi libertas, cæterùm tamen citra uxoris fraudem.

V. *Si inter Hollandos conveniat, ut mulier dotem ſalvam habeat iique poſtmodum domicilium*

De transferendi domicilii poteſtate ſufficiat queſiiſſe, ponatur nunc illud in percunctando, an & quomodo dubitationes à ſtatutorum qua perſonalium, qua realium diverſitate emergentes pactis antenuptialibus antevertcris. Et de perſonalibus quidem ſit prima ſcriptio, nam & hic nos ituros diximus per ordinem

nem Capitum præcedentium. Scripſimus & hunc maritalis poteſtatis effectum eſſe, ut obnoxia reddatur mulier æri alieno à marito contracto. Quid igitur ſi Hollanda dotem ſibi ſalvam fore ſtipuletur, nexuque ſe ſolutam debitorum, quæ maritus contraxerit; quod per mores Hollandorum licere, dummodò & bonis quæſitis renuntiaverit vidua, atteſtantur Neoſtad. *de Pact. antenupt. obſerv.* 9. & noviſſimè Groenewegen *ad l.* 30. *C. de jure dot.* Mutato poſtmodum domicilio, contrahentes ſe contulerint Ultrajectum, ibique conflaverit maritus æs alienum. Poteritne uxor, diſſoluto per mortem matrimonio, pacti dotalis illius beneficio Trajectinorum creditorum actiones excludere? Non putaverim: ſeparanda quippe cauſa contrahentium, ab ea, quæ creditorum eſt. A mariti quidem hæredibus indemnem ſe mulier ſervari poſtulans, audienda eſt, quod & Ultrajecti hæ pactiones inter conjuges ipſorum reſpectu ſubſiſtant; à creditoribus verò ſe liberatam intendens, non item: non enim apud nos privatis contrahentium ſtipulationibus fraudem fieri permittimus creditoribus; in quorum favorem in utrumvis ex conjugibus, aut alterutrius hæredes mores noſtrates actionem in ſolidum accommodant, niſi propalam prævio cum judicis conſenſu promulgatæ tabulæ, & per progammata in propatulo affixæ fuerint, de quo fuſiùs alibi. Unde dicendum eſt, licet ex ſtipulatu hoc connubiali perſonalis inter contrahentes oriatur actio, quâ ad implenda promiſſa utrimque tenentur; nequaquam tamen hoc cedere debere in præjudicium aut diſpendium tertii, creditorum, qui pacti inter alios

con-

Pars alter. tranſtulerint Ultrajectum, an creditoribus, debiti apud nos contracti nomine in uxorem agentibus pactio illa ſit nocitura?

Quid operetur ea conventio ipſorũ reſpectu contrahentium, eorumve hæredum?

Digitized by Google

conventi juſtam obtendant ignorantiam, quibuſque ſatis ſit reſpexiſſe ad leges loci, ubi domicilium fovet is, quo cum contraxerunt, undè & ſtatus perſonæ ac conditio dirigitur.

VI. *Quid ſi repetito priori domicilio maritus ibidem diem obierit, num vel tum creditoribus Ultraiectinis obfutura ſit pactio?*

Succedat propinqua dubitatio. Hollandi patrio in ſolo, lege ſupraſcripta paciſcuntur nuptias. Contractũ Ultrajecti, quo poſt demigraverant, æs alienum, utroque conjugum, quâ ſtipulatione, quâ conſuetudine obligato. Reducto poſtmodum in Hollandiam domicilio, maritus ibidem in fata concedit. Conatur mulier conquiſitorum renuntiatione, ex adductis Hollandorum moribus, abire libera immuniſque omni ſocietatis ære alieno, adeoque etiam eo, quod à marito conflatum eſſet Ultrajecti, ubi per loci legem ſe non aliter mulier eodem exonerat, quàm ſi univerſis ceſſerit facultatibus; ac ignominioſo hoc actu defungatur, ut propalàm, eopſe tempore cùm funus ſit efferendum, domo antè exeat, veſtibus induta quotidianis. Speciem quandam propudioſæ bonorum ceſſionis eſſe dixeris, quibus & extra jus More Romanorum cedi potuit *l. ult. ff. de ceſsione bonorum*. Pro vidua quæſtionem planè conſimilem, quin & ubi locus contracti matrimonii ejuſmodi renuntiationem non admiſerat, adeoque in terminis fortioribus, Pariſiorum terminavit Curia his quidem, ut apud Chopinum relatum eſt *de Morib. Pariſ. lib. 2. tit. 1. n. 5.* impulſa argumentis. Traductis laribus, traduci quoque in legem novi domicilii mobilia omnia, adeoque & nomina actioneſque debitorum: cumque in bona, oneráve communia, uxorum jus inchoëtur à viri demum deceſſu, qui

rerum

rerum interim dominus prædicatur ſolus, intuendum potiùs videri domicilium, quod extet tempore ſoluti quàm initi matrimonii. Verùm rationes hæ tanti mihi non ſunt, ut eas auſim cum Kinſchotio *Reſponſ.* 94. *numer*. 4. in rem meam vertere. Nam quod à morte demum viri initium ſumere uxorium illud jus Lutetiani Patres exiſtimaverint, contra ſe res habet: jus quippe communionis protinus ab ipſis matrimonii auſpiciis ad uxorem maritumque pertinet ex æquo, contractâ jam tum ejuſmodi ſocietate, quæ ſuperſtite utroque ſit in habitu, & alterutrius morte exeat in actum; adeoque reſpiciendum eſt ad tempus ac leges matrimonii contracti, ut ſciamus quam partem ferat uxor in lucro, quam in damno. Verùm ſupervacanea eſt hæc reſponſio. A communione enim deductum argumentum quæſtioni omninò non quadrat. Palam eſt non profluere à rerum communione, ut mariti contractibus adſtringatur uxor, tum quippe viciſſim geſtis uxoriis teneretur maritus, eo quod utrumque conjugum jus communionis reſpiciat æqualiter, ac præterea vel illud argumento eſt uxoris obligandæ poteſtatem à bonorum ſocietate non proficiſci, quod hac pactis excluſa, poteſtas maritalis ceſſaret, cùm tamen conſtet nos uti alio jure. Quare tota hæc obligandæ uxoris poteſtas effectus maritalis imperii, ac juris adminiſtrandi eſt, ut quæcunque debita maritus conſtante matrimonio contraxerit, ea tam uxoris quàm ſuo nomine contraxiſſe habeatur, ad inſtar tutoris, rectè obligantis eum, quem habet in poteſtate; quod & *Neoſtad. attingit de pactis antenuptial. obſ.* 10. *in notis ibi*

VII. *Obligandæ uxoris poteſtas, num communionis ſit effectus, an verò juris maritalis?*

ibi ob maritalem poteſtatem. Cor. conſ. 7. lit. B. Proindè de quæſtione videtur illud dicendum: cum Ultrajecti, ubi æs illud alienum conflatum eſt, ea obligandæ uxoris poteſtate maritus polluerit, ut debitis à ſe contractis in perpetuum teneatur uxor; jus ſemel creditori quæſitum, per novi territorii leges nequaquam poſſe convelli; ne mulieribus alioquin via ſternatur, quâ ſemet domicilii translatione conjugalibus debitis evolvant. Etenim illud conſtat, qui cum alio contrahit, vel eſſe, vel debere eſſe non ignarum ſtatus aut conditionis ejus, utique metiendæ à loco, ubi foverat ille domicilium: nec enim neceſſe habet creditor reſpicere ad leges quoruncunque locorum, ubi debitorem aliquando contigerit domicilium inſtruere, vel animo ſecum antè peragere, quam ille tandem perſonæ conditionem ſit aſſumpturus. Et certè cum debitorum pactionibus creditorum petitiones nec tolli nec imminui ſit reſponſum *l. 25. de Pactis.* Qui poterit id effici per migrationem, à ſolo debitoris animo ac voluntate dependentem. Fecit celeberrimæ Curiæ ſententia, ut quæſtioni nimiùs inhæſerim, cujus alioquin veritas, ut mihi quidem videtur, ſatis eſt in aperto.

VIII.
Si conjuges Ultrajectini concedant habitatum in Hollãdiam, an à morte viri in uxorem agitur efficaciter ejus debiti nomine, quod apud nos cõtraxit illa, marito inſcio?

Ex ſuperioribus proclivior erit ſequentium controverſiarum definitio, quibus licet pactum nullum intercurrat, malui tamen eas, ob decidendæ rationis communitatem, prioribus ſubjicere, quàm prætermiſſas ſuo loco, omninò non ponere. Per mores Hollandorum nullius momenti eſt inita abſque viro auctore obligatio, ut ne quidem à morte viri uxor ex illa teneatur. Per leges verò Ultrajecti-

jectinorum jus creditori non redditur conſtante matrimonio, acturo tamen efficaciter in mulierem eo diſſoluto. Fac nomen apud nos, patrio in ſolo, ſine marito contraxiſſe mulierem, collocaſſe poſtmodum domicilium apud Hollandos, ibique obiiſſe diem. Dicemúſne mulierem Ultrajectini illius creditoris actionem ex novi domicilii lege eliſuram, an verò teneri eam legibus noſtratibus, ubi & æs alienum contractum, & domicilium erat. Ex modo allato Pariſiorum decreto conſequens eſſet dicere, nomina, una cum perſona, haberi traducta in novi domicilii legem, ut inſpiciendum veniret matrimonii ſoluti tempus. Verùm quotuſquiſque non videt iniquam hoc pacto inferri conditionem creditori. Liberrima quidem cuique eſt domicilii tranſlatio, mutare autem conſilium in alterius injuriam non eſt *l. nemo poteſt 75. ff. de Reg. Iur.* Planè ſi novi domicilii aſſumptio retrahenda foret ad anteriora jura ſemel utiliter conſtituta, tertii diſpendio, protinus à morte viri obæratæ hoc pacto mulieres avolarent in Hollandiam creditores jure ſuo defraudatum. Conſimiliter dicendum eſt de eo quod apud nos maritus contraxerit, nimirum non pro dimidia parte teneri mulierem illam ex jure Hollandico, ſed in ſolidum more Regionis noſtratis, ubi & contraxit maritus, & id temporis fovet domicilium.

IX. *An ſi maritus contraxerit, uxor teneatur dũtaxat pro dimidia?*

Ex adverſo Hollanda conjux, inconſulto quæ contraxit marito, poteritne ea tranſlato apud nos domicilio, conveniri poſt obitum viri? nequaquam: cùm enim ab initio non conſtiterit obligatio, tractu temporis aut domicilii mutatione non convaleſcet. Quemadmodum

X. *An Hollanda coniux, quæ domi ſine viri contraxit auctoritate, tranſlato poſtmo-*

modum enim non adimendum eſt creditori jus, quod antè quæſierit, ita quoque abſurdum foret acquiri ei actionem, quam priùs non habuiſſet, cumque reſponſum ſit ab Imperatoribus *in d. l. 25. ff. de pactis.* debitorum pactionibus creditorum pactiones nec tolli nec mutari poſſe, nec poterit id effici ullâ domicilii translatione, quæ in ſolius debitoris declaratione tota conſiſtit, ut & ſcripſimus ſuprà.

dum in ditionẽ noſtratem domicilio, poſt mortem viri poſſit conveniri?

CAPUT II.

De Pactis mutato domicilio occurrentibus juris diverſitati circa ſtatuta merè realia.

SUMMARIUM.

I. *Apud Hollandos licet pactis conventis, quibus pater redimit maternam liberorum hæreditatem, conſtituere modum ſuccedendi iis ab inteſtato.*

II. *An valeat ibidem pactio, quâ convenit, ut maternæ lineæ proximi, non pater pupillo, ſuccederent?*

III. *Quid ſi interpoſito pacto demigraverit Pater Vltrajectum, ibique pupillus moriatur, an ſuccedetur ei ex pacto, an ab inteſtato juxtà morem noſtratem?*

IV. *Quid ſi noſtras ſe habitatum contulerit in Hollandiam, an convaleſcet inutiliter apud nos interpoſita pactio?*

V. *Quid ſi noſtras proficiſcatur in Holllandiam, ibique ſuper ſucceſſione paciſcatur?*

VI. *Illicitum domi reditum, ſtipulans foris, ubi talis reditus frequentatur, num ſit fruſtrà?*

VII. *Apud nos ſors una cum uſuris exigitur, ſi alibi contracta ſit obligatio, ubi eo jure utuntur.*

VIII. *Pactitia communio num comprehendat lucrum ſtatutarium?*

A Per-

Digitized by Google

A Perſonalibus ſtatutis progrediamur ad realia: cujuſmodi ea eſſe diximus, quibus modus conſtituitur ſuccedendi ab inteſtato. Quomodò autem pactis introducatur alius à patrio ſuccedendi modus, jam aperuimus. Illud hoc Capite quærendum eſt, an domicilii mutatio juris aliquam mutationem pactis invexerit. Si utrobique locorum eadem pacta frequententur, non video, qui quæſtioni poterit eſſe locus. Quare ſit ejuſmodi ſpecies oportet, qua diverſa de pacti validitate conſtituunt relicti, aſſumptique domicilii leges. Exemplum nobis ſuppeditavit cauſa nuper apud nos in Curia ventilata, cujus & alibi mentionem fecimus, nam multas ea lis inſpectiones habuit. Apud Hollandos patrem pupilli inter & ejuſdem tutores, pactis illis conventis, quibus certâ ſummâ maternam hæreditatem redimunt patres, licet conſtituere, quem ſuccedendi ordinem decedens ab inteſtato pupillus ſit habiturus; haud aliter atque idem ordo pactis introducitur antenuptialibus: quod ea ratione receptum notat Grotius in Manuductione, ut permoverentur patres ſummam eo ampliorem liberis erogare, quod jus ſuccedendi ab inteſtato ſibi pepigerint, nec ea res pupillis eſt fraudi, liberam teſtandi facultatem retinentibus; quæ tamen viri magni ratio ſi valeret, nullius momenti foret in propoſito ſtipulatio, utpote qua convenerat, ut maternæ lineæ proximi, non pater pupillo hæredes eſſent, adeoque non in commodum, ſed in detrimentum pupilli cederet è converſo ejuſmodi interpoſita ſtipulatio. Verùm cùm politica Hollandorum ordinatio non utatur eâ ratione, ſed

I.
Apud Hollandos licet pactis conventis, quibus pater redimit maternam liberorum hæreditatem, conſtituere modum ſuccedendi iis ab inteſtato.

II.
An valeat ibidē pactio, quâ convenit ut maternæ lineæ proximi, non pater pupillo ſuccederet?

generaliter ratum eſſe ſancit, quicunque tandem ordo ſuccedendi ab inteſtato tabulis illis redemptionis conſtituatur; magis viſum eſt Curiæ ad Grotianæ rationis normam cauſæ deciſionem non oportere exigi. Itaque illud duntaxat in allata quæſtione remanſit, quod ad præſens caput facit.

III. *Quid ſi interpoſito pacto demigraverit pater Ultrajectū, ibique pupillus moriatur an ſuccedetur ei ex pacto, an ab inteſtato juxtà morem noſtratem.*

Cùm pupilli illius pater interpoſito pacto demigraverit Ultrajectum citra fraudem, propterea quod apud nos ſibi facilius agendi commoditas eſſet, ac more noſtrate pupillo hæres ab inteſtato in bonis ſibi jam acquiſitis pactis illis non detur, quemadmodum & jure civili de tertii hæreditate, non conſentiente illo, fruſtrà pepigeris, num domicilii tranſlatio pactum ſuper ſucceſſione apud Hollandos ritè interpoſitum, poterit convellere: quod omninò negandum arbitramur. Quamvis enim videri poſſit attendendas eſſe leges loci, ubi pupillus deceſſit, ut videatur an aliquis ſit vocatus ad ejus hæreditatem (de mobilibus loquor) adeóque pactum illud Hollandicum non debere obeſſe iis, qui per legem domicilii ſint ſucceſſuri; cum tamen ſubſtiterint illa pacta, viréſque ſumſerint ab ipſo interpoſitionis initio ad inſtar conventionum aliarum, quæ collatæ ſunt in tempus mortis, contra quam in ultimis obtinet voluntatibus, vires antè non capientibus quam teſtator obierit, omninò dicendum eſt ſolâ patris migratione non irritari conventionem antè legitimè initam: eo magis, quod ne vel expreſſa contrariæ voluntatis interpoſitione revocare valeat pater, aut diſſolvere pactum cum aliis initum; multo minus id effecerit ſolâ duntaxat migratione, detrimento aliorum, qui ſecum

contra-

contraxerant. Per contrarium, ſi diſſoluto apud nos matrimonio pater ſuperſtes ejuſmodi pactum interpoſuerit Ultrajecti, & poſtmodum domicilium tranſtulerit in Hollandiam, ac pupillus illic apud ſe deceſſerit, ſuſtinebiturne pactum? non videtur: cùm enim illud ab initio non tenuerit, qui poterit ſolâ migratione aut tractu temporis convaleſcere? hoc namque conſtat, utilis an inutilis ſit ſtipulatio, metiendum eſſe à legibus loci contractus. Burgund. *tract.* 4. *n.* 10. Quid igitur ſi conjuges apud nos habitaverint, alterque eorum ibidem devixerit, pater autem ejuſmodi pactum cum liberorum tutoribus celebratum iverit in Hollandia; validumne illud erit, eo quod ſtipulatio regatur à loco contractus? Utique quoad perſonas contrahentium, patrem inter & tutores, qui apud Hollandos contraxerunt, non autem ſi tempore mortis pupilli exiſtant alii, quos lex ſucceſſionis ad hæreditatem vocaverit: licet enim apud noſtrates is modus obligandi non frequentetur, ſuffecerit tamen ubicunque adeſſe perſonæ capacitatem ad obligationem, contrahentis reſpectu, roborandam: ſtatus quidem aut conditio perſonarum dirigitur à loco domicilii: cæterùm tamen in vinculo cujuſque obligationis, ut ſciamus, quos obliget conventio, ſpectamus leges regionis, ubi illa celebratur, Idem. *d. tract.* 4. *num.* 8. Quemadmodum & in illicita ſtipulatione quæ legibus eſt interdicta, ut puta; ſi debitum modum uſurarum excedit, traditum eſt valere pactum, quo foris ſecundùm mores illius regionis ſtipulati ſumus prohibitam domi uſurarum quantitatem *d. n.* 10. Unde non longè

IV. Quid ſi noſtras ſe habitatum contulerit in Hollandiam an convaleſcet inutiliter apud nos interpoſita pactio?

V. Quid ſi noſtras proficiſcatur in Hollandiam, ibique ſuper ſucceſſione paciſcatur?

VI. Illicitum domi reditum ſtipulans foris, ubi talis frequentatur, num ſit fruſtra?

abire videtur, quod memini nuper apud nos reſponſum eſſe, ſi contracta ſit eo loci obligatio, ubi ſortem liceat exigere cum uſuris, ut maximè jam earum aliquæ eſſent perſolutæ, jure caput cum uſuris & apud nos exigi, ubi uſurarum ſolutione protinus via petitioni ſortis præcluditur, locumque ſibi vindicat decantata adeo parœmia. *Eens renten altyt renten.*

VII. *Apud nos ſors una cum uſuris exigitur, ſi alibi contracta ſit obligatio, ubi eo jure utuntur.*

Hæc ita de bonis mobilibus. In immobilibus perpetuum eſt, ut ſpectemus leges rei ſitæ. Ita Hollandi fruſtrà fuerint, ejuſmodi pactum de rebus interponentes Ultrajectinis. Noſtrates verò, de rebus in Hollandorum ſolo ſitis, non item. Cum enim res ſoli in ſuccedendo legem accipiant, à loco ubi conſtitutæ ſunt, non poterit hæredibus pupillo ſucceſſuris præjudicium aliquod inferri pacto aliquo in loco rei ſitæ non frequentato: ſequimur quidem quoad formam aut ſolemnitatem actus, etiam in rebus immobilibus, leges loci ubi conficitur, ſed ut ille ipſe actus in univerſum quoad ipſam ſubſtantiam aut materiam, in loco rei ſitæ non frequentatus aut validus alibi celebratus, ſubſiſtat, nulla ratio efficit: Quemadmodum & eam teſtandi formam aut ſolemnitatem ſuffecerit adhibuiſſe, quam requiſiverit locus, ubi ſuprema contigerit ordinare: non tamen propterea teſtationem valere dixeris, de rebus ſitis in Geldria, teſtationem in univerſum de iis non agnoſcentibus: ut latiùs adſtruximus alibi:

Retulimus *tit. 2. par. 2. cap. 4. num. 6.* lucrum ſupellectilis patria lege tributum conjugum ſuperſtiti, præcipi videri jure quodam ſucceſſionis aut legati legalis: undè non inconve-

conveniens erit quæſtionem eo ſpectantem huic capiti potiùs ſubjicere, quàm rurſus ad eum referre locum, qui tractat de ſtatutis concernentibus actus ſubſtantiam. Fac Friſium coire in nuptias cum conjuge Ultrajectina, ſtipulata utrinque pro moribus uxorii loci bonorum communione; deinde demigraſſe conjuges in Hollandiam, maritumque ibibem occumbere. Quæritur, cum & illud Ultrajectinâ ordinatione cautum ſit, ut cedant ſuperſtiti res quædam mobiles, num ablatura ſit eas mulier ex patriis Trajectinorum conſtitutionibus? Iudicatio in eo eſt. Num pacta illa ſecundùm mores noſtrates communione veniat & ea ſupellex, quæ conjugum ſuperſtiti præcipui jure apud noſtrates defertur, Chopinus *ad leges Andegavenſes lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 16. profert in quæſtionem conſimilem unius litis duo decreta, alterum Vindiciarium, quo ſuccubuit vidua, definitivum alterum, quo obtinuit: & quidem laudat ille arreſtum, duplicique communit argumento, primo ex eo, quod communionis expreſſa pactio includat & ſtatutarium ſuperſtitis lucrum, deinde quod lucrum hoc à dubio reciprocæ ſpei dependeat eventu, qui invidiam omnem à tali emolumento amoliatur. Verùm, an non contrà ſit dicendum, ſaltem apud noſtrates, videamus. Nam quod de ancipiti eventu profert vir doctus, ad rem non pertinet: quippe in eo non eſt quæſtio, lucrativa ex cauſa proficiſcatur hoc emolumenti genus, an ex oneroſa, ut propterea vel magis vel minus habeatur favorabile. Verùm in eo cardo vertitur, utrùm communionis illa ſtipulatio complexa ſit & mobilium lucrum,

VIII. *Pactitia cōmunio num cōprehendat lucrum ſtatutarium?*

crum, viduæ alioquin ex domicilii moribus non adjudicandum. Quod ego longè rectius negaverim, quam pro palmario argumento affirmativè produxit Chopinus. Duo quippe ſingularia diſtinctaque planè ſunt, rerum inter conjuges communio, & lucrum quorundam mobilium ſuperſtiti debitum, ut hæ duæ cauſæ lucrativæ, citra expreſſam ſtipulationem, non veniant commiſcendæ. Poſtremò apud nos communioni conjunctum non eſſe lucrum illud ſtatutarium vel indè palam eſt, quod cedat ſuperſtiti, ut maximè foret excluſa connubialis inter conjuges ſocietas; eoque jure utimur quotidie, compluribus Curiæ noſtræ arreſtis comprobato. Quod argumento eſt lucrum illud nihil habere commune, cum rerum inter conjuges communicatione. Proindè fiduciarium decretum priùs, anteſtare definitivo poſteriori non periclitor dicere: Quemadmodum hodieque contingit, ut ſententiæ benè latæ reformentur in pejus.

CAPUT III.

De Pactis verſantibus circa ſolemnitatem actus, domicilio mutato.

PActis privatorum non poſſe derogari juri publico ſeu formæ aut ſolemnitati per leges ad actus cujuſque confectionem adhibendæ, Parte ſuperiori explicavimus. Quemadmodum & à nobis Titulo præcedente traditum eſt, formam ſemel legitimè in celebratione actus obſervatam non labefactari, tranſlato eo loci domicilio, ubi illa forma non agnoſ-

agnoſcitur. Unde conſequens eſt dicere locum non dari controverſiis ullis qua quæreretur: utrùm pacto poſſit occurri diverſitati juris, quæ circa ſolemnitatem actus per domicilii mutationem excitaretur: quare properemus ad Caput ſequens, quod eſt

CAPUT IV.

De Pactis occurrentibus juris diverſitati, mutato domicilio circa actus ſubſtantiam.

PActa conventa perſonalium ſtatutorum diverſitati occurrentia, ita demum rata eſſe diximus, ſi admiſerint ea leges territorii, cui perſona cum contrahit, aut alienat, per domicilium eſt ſuppoſita. Realium Statutorum diverſa ratio eſt, ut ita demum connubialis eorundem ſuſtineatur derogatoria conventio, ſi leges loci rei ſitæ pactorum validitati non repugnent. Quid autem ſi pactis Hollandorum antenuptialibus comprehenſum ſit licere: quandocunque libuerit, conjugi conſtante matrimonio conferre liberalitatem in alterum, ac poſt eos tranſmigraſſe Ultrajectum, ubi vetita eſt vel per ultimam voluntatem conjugalis munificentia, ibique ſcriptis ſemet invicem hæredibus, alterum eorum deceſſiſſe. Validáne erit hæc diſpoſitio quo ad res mobiles? (immobiles enim dijudicari lege loci ubi conſtitutæ ſunt antè diſſeruimus.) Non videtur, cùm enim actus lege nullus ſit, qui poterit vi pacti alicujus ſuſtineri. Pendet quippe quæſtionis definitio ex eo quod diximus ſuprà, paria eſſe fieri

Digitized by Google

aliquid tempore prohibito, & conferri in tempus prohibitum, nec ullam omninò juris mutationem inducit hic domicilii mutatio. Sed quid ſi in Hollandia peracta gratificatio, conjuxque collocato apud nos domicilio vita functus fuerit? Ne hanc quidem liberalitatem valere dixerim; cùm enim tempus obitus inſpiciendum ſit, ut videatur an conjuges donationis inter ſeſe capaces ſint, utique pactio illa liberalitatem non ſuſtinebit: ad actus enim ſubſtantiam formamque juxtà pertinet quod diximus, neminem poſſe facere ne leges in teſtamento ſuo locum habeant.

An jus aliquod per Matrimonium conſequantur conjuges circa adminiſtrationem rerum alienarum, vel utrùm per ætatem minores conjuges admittantur ad ſubeundas tutelas aliorum?

SUMMARIUM.

I. *Mariti minores alibi apud Hollandos non habent ius alienandi.*
II. *Quid apud noſtrates?*
III. *Quamobrem jus adminiſtrandi maritus tribuatur minoribus?*
IV. *Duplex modus ſuam in tutelam veniendi, verùs & fictus.*
V. *Ficto modo tripliciter habemur pro majoribus, per munus publicum, per ætatis veniam, per matrimonium.*
VI. *An ficto modo maior evaſus capeſſat tutelas aliorum?*
VII. *An nactus ætatis veniam?*
VIII. *An poſitus in munere publico?*
IX. *An nuptæ, & num rectè dicantur per matrimonium factæ maiorennes?*
X. *An vidua minorennis gaudeat ætatis auxilio?*
XI. *Quo iure hic Galli circa tutelas utuntur?*
XII. *Quo Hiſpani?*
XIII. *Cur vix videas hodie à tutela repulſas matres minores?*
XIV. *An rectius adiungi matri tutorem, quàm eandem removeri?*
XV. *Claudit Caput litis illuſtris nuperrima Hollandorum Deciſio?*

Digitized by Google

Cum jus maritale reſpectum habeat ad uxorem, nec extra conjugum perſonas protendatur, non ſatis commodè in ipſo Tractatu illud mihi videor quæſiturus, an per matrimonium adipiſcantur conjuges jus ſubeundi tutelas aliorum? Quoniam tamen nequaquam prætermittendus ſit ille locus, argumento præſenti adeo cognatus, Caput ei hic dare volui inter præliminaria. Maritalis apud nos poteſtatis effectus eſt, ut uxoria ſuaque bona iuxtà adminiſtret maritus. Quid autem dicemus de viro qui fuerit minor, deſinetne adeo per matrimonium curatorum auxilio regi, ut præter ſuarum etiam uxoriarum rerum adminiſtratio ei ſit concredenda. Scio placuiſſe nonnullis, ne minor maritus rebus uxoriis præficeretur. Herbajus *cap.* 13. §.4. Argentr. *ad Conſuet. Britanniæ ad art.* 472. *gloſſ.* 1.

I. *Mariti minores alibi apud Hollandos non habent jus alienandi.*

Alii verò rem temperandam rati, immobilium alienandorum poteſtatem maritus inhibuerunt, cætera tamen indulta eis de ſuis uxoriiſque bonis diſponendi facultate, quo jure Hollandorum aliqui utuntur, *art.* 45. *vande Weeſ-keuren van Rijn-land anno* 1620. *op nieuws gekeurt.* Tranſiſulani *Land-rechten aldaer, Rub. van onmundigen art.* 1. Daventrienſes *Gewoonten tot Deventer tit.* 3. *art.* 21. Mechlinienſes, *tit.* 19. *art.* 27.

II. *Quid apud noſtrates?*

Apud noſtrates verò non minus ac apud Hollandorum pleroſque ſui juris maritus conſtituitur pleniſſimè, ut & uxoria bona, cujuſcunque tandem ætatis ille fuerit (dummodò apud nos communem ex uxore prolem ſuſtulerit) ſuo gubernet arbitrio. Quanquam ſuper eo partes ſuas interponant nonnun-

nonnunquam rerum pupillarium præfecti, ut ſi necdum ejus induſtriæ perſpexerint eſſe maritum, quæ negotiis gerendis aut adminiſtrationi bonorum ſuffecerit, tutelam prorogare ſoleant, aut alienandi licentiam marito circumſcribere. Id autem adminiſtrandi jus ut concederetur viro ipſa coëuntium expreſſit utilitas. Cum enim per matrimonii naturam ac dignitatem vir evadat noviter exſurgentis familiæ caput, æquum bonumque viſum fuit minorennes ductâ uxore ſuæ deinceps tutelæ conſtitui, quo commerciorum tractandorum liberam conſequentes poteſtatem, familiæ ſuæ res tuerentur; ne alioquin metu reſtitutionis in integrum nemine cum his contrahente, quodammodò rerum commerciis eis interdiceretur. Ex quibus illud conficitur, de quo nuperrimè in vicina provincia acriter diſceptatum fuit, ætatis gratiam, quæ maritatis per matrimonii fit privilegium, ad ſuæ duntaxat ſubſtantiæ gubernationem pertinere, in præjudicium verò tertii vel ad adminiſtrationem bonorum alterius non pertinere; ut prætereà non adepturus ſit minor conjux tutelas conſanguineorum, quorum intereſt ut minorem non habeant tutorem. Locum hunc, quod apud alios non viderim explicatum, exequar paulò fuſiùs. Suam in tutelam veniendi modum apparet eſſe duplicem, naturalem ac verum alterum, alterum fictum ac per quandam (ut ita loquar) diſpenſationem, aut majoris ætatis repræſentationem. Et primus quidem modus eſt, cum quis ad eam ætatem pervenerit, quæ per loci cujuſque leges ac mores hominum maturitati deſtinata eſt, & quâ legiſla-

III. *Quamobrem jus adminiſtrandi maritis tribuatur minoribus?*

IV. *Duplex modus ſuam in tutelam veniendi, verus & fictus.*

tores pro ſoli ſui genio arbitrati ſunt adipiſci ſubditos plenum vigorem, ut ad ſua & aliena adminiſtranda tutò admitterentur, qui modus verus, proprius ac (ut ita dicam) naturalis eſt. Alterum verò modum in eo habemus, cum quis necdum ætatem iſtam ac maturitatis annos aſſequutus, privilegii in modum vel certæ rei intuitu per majoris ætatis relaxationem quandam ſui juris conſtituitur, qui modus planè fictus, improprius, & quaſi repræſentativus eſt. Loquar contractiùs: illud eſt majorem eſſe, hoc eſt haberi pro majore: & quidem modi poſterioris ferè hæ ſunt ſpecies, (naturalis enim non niſi una eademque ſemper forma eſt,) cum nimirum quis majorennis habetur per muneris officiive publici functionem, per ætatis veniam à Principe impetratam, nam & eam dari aliquando pleniſſimè, ut unà jus alienandi comprehendat, notârunt multi, Grot. *in ſijn Inleydinge. lib. 1. part. 10. verſic. ten derden.* Burg. *ad Conſuet. Fland. tract. 1. num. 12. & ſeqq.* Montan. *de Tutel. cap. 37. n. 45.* Zypeus *de notitiâ iuris Belg. tit. de Tutor. verſic. Matrimonio.* Et habet formula quâ utuntur Hollandiæ Ordines. *Verleenen Veniam ætatis ende ſupplecie van zijn Ouderdom, ende 't gene daer van deficieren mach: verheffende ende ſtellende hem in ſulcken ſtate, als of hy ſijnen wettigen Ouderdom bereyckt ende bekomen hadde. Authoriſerende den ſelven zijnen goederen, ſoo wel leenen als allodiale te mogen regeeren ende adminiſtreren, ofte door andere doen regeeren ende adminiſtreren naer zijn beſte gevalle: Oock daer van te mogen diſponeren, ende ſulckx handelen, als hem nae Rechten ende Coſtuyme vanden Lande geoorloft weſen ſoude, als hy ſijnen wettigen Ouderdom ſoude hebben gehaelt, ende dat 't gene*

V. *Ficto modo tripliciter habemur pro majoribus, per munus publicum per ætatis veniam, per matrimonium.*

Digitized by Google

gene by hem naer date deſes dien aengaende wort gedaen, ſal gehouden worden voor vaſt ende van weerden, ſonder datter ſake ſijnder minderiaricheyt 't ſelve van eenige nulliteyten, 't zy by wegen van recht, gratie of relief ſal worden geargueert. Ac denique per matrimonium, quod & ipſum ętatis venia eſt, à priore illa in eo duntaxat ſeparata, quod hæc uni alicui ſuo poſtulatu non indulgeatur, ſed per generalem legem aut conſuetudinem certo tribuatur hominum generi, eorum nimirum qui duxerint uxorem. Et certè matrimonium quod attinet, non illud proprium ac naturalem modum eſſe perveniendi ad majorem ætatem planum eſt, niſi dicamus plenum animi vigorem protinùs omnes adipiſci qui ejus induſtriæ aut animi ſe probârint, ut fœminam ſibi nuptiis copulare valuerint: non aliter ac ſi fœminæ, una cum bonis, prudentiam maritis ac ſagacitatem in dotem adferrent. Apparet ergo verti in eo quæſtionem, ut animadvertamus, an quæ jure deſideratur perfecta aut legitima ætas, quâ quis aliorum tutelas ſubeat aut curas, ſit accipienda perfecta & completa naturaliter; an verò ea ætas, quæ tribuitur aut repræſentatur extra ordinem, perſona revera ac naturaliter minore permanente. Non malè probata Doctoribus regula eſt, deſumpta ex *l. final. C. de his qui veniam ætat.* legitimæ ætatis mentionem referendam ſemper eſſe ad annos, quibus vigorem animi natura compleverit: eo quod verba, aliorum præſertim intuitu, naturaliter ac propriè ſint intelligenda, non civiliter aut de eo quod fit per accidens, vid. Montan. *de Tutel. cap. 5. num. 136. & 137. & cap. 37. num. 60. & 61.* Charond. *en ſes Pandect. tit. de reſcript.*

VI.
An ficto modo major evaſus capeſſat tutelas aliorum?

reſcript. fol. (mihi) 104 *in verb. quand il eſt queſtion du droict du tiers.* Adhæc vulgato jure conſtat in præjudicium tertii cedere non debere, quodcunque beneficii extra ordinem alicui indulgeatur : ut omninò hìc dicendum ſit, quod alibi Faber tradit in aureo Deciſionum Codice *defin* 1. *C. qui tutor. aut curator. dar. in notis num.* 5. poſſe quem haberi pro majore, ſi de ſolius ejus incommodo ageretur, non cùm verſatur incommodum & periculum pupilli. Eodem & faciunt quæ pluribus exequitur Aymo *ad Conſuetud. Avernia. tit. de tutel. ad art.* 4. non majoris ætatis repræſentationem aliquam, ſed illud ipſum quod facit hominem ſagacem, ad tutelam capeſſendam requiri, aut adminiſtrationem rerum alienarum; adeo ut cùm agitur de præjudicio tertii, ſemper obſtet defectus plenæ diſcretionis (loquor cum Gallo) præſumptus uſque ad legitimam ætatem. Nec pupillorum duntaxat, ſed & ipſorum conjugum intereſt ad tutelas ſe non admitti, ne omnia pupilli diſpendia ſuis ipſi damnis præſtare habeant neceſſe, ſi quid forſan in tutela non geſſerint quam rectiſſimè : adjuvari autem nos beneficio, non decipi oportet. Ut huc non malè aptaveris quod de munere minori non deferendo reſpondet JCtus *in. l.* 8. *ff. de munerib.* Cæterùm, inquit, cum damno publico honorem ei committi, etiam cum ipſius pernicie minoris, non eſt dicendum. Aliter autem apud quem hæc res eſt, næ ille præmetur argumento hoc ducto ab abſurdo, quod aliàs ſequeretur apud Hollandos tutelæ poteſtatem in cælibe, qui annos ſuprà viginti habet, conſecuturum maritatum necdum habentem octo-

octodecim, fratremque adeò natu minorem in alterum qui ætate præcedat; atque ita quemadmodum in adoptione, quæ naturam imitatur, pro monſtro habetur adoptatum natu majorem eſſe adoptante, conſimiliter dicendum ſit in tutela, quæ imago patriæ poteſtatis audit. *arg. l. 1. in princip. ff. de tutel. ult. verſic. quibus ſi damnato. C. de ſentent. paſſ.* Fab. *ad tit. C. de legitima tutela, defin. 1. in annotat. n. 6.* abſurdiſſimum eſſe, ſi ſanæ mentis minor major natu foret tutore. Sed videamus quid in cæteris obtineat ſpeciebus quibus habemur pro majore: nam altera alteri fœneratur lucem. Et quidem Doctoribus probatum eſt ad tutelas conſequendas non prodeſſe ætatis veniam. Tuld. *ad tit. C. de his qui veniam ætatis, & ibi alleg.* Quod & indè adſtruitur quod veniæ talis obtentu ad munera publica admittatur nemo, ex doctrina eorum quos recenſet Barboſ. *tit. C. de his qui veniam ætatis, ad. l. 2. n. 7.* adde Montan. *de Tutel. cap. 37. n. 59.* Tutelas autem inter munera publica reponi palam eſt. *princip. Inſt. de excuſat. tutor.* Hactenùs ſaltem quod eadem qua alia rempublicam directò concernentia munere exactiſſima diligentia jubeantur adminiſtrari, quod ipſum ſufficit in propoſito. Et poſtremam ſpeciem quod attinet, quâ pro majoribus habentur poſiti publico in munere, Pariſienſis Curiæ arreſto conſtat propterea eos ad tutelas conſanguineorum admittendos non eſſe, & quidem ob eandem illam rationem, quâ noſtræ ſuffulta eſt quæſtionis deciſio, quod hujuſmodi fictiones reſpiciant perſonas eorum qui pro majoribus habentur, in tertii verò præjudicium aut diſpendium aliorum non trahantur aut proten-

VII. *An nactus ætatis veniam?*

VIII. *An poſitus in munere publico?*

protendant effectum. Scriptoribus tribus, Brodeau *ſur Loüet en ſes Arreſts. lit. G. num. 9. in Annotat. in fine.* Charond. *en ſes Obſervat. memorab. in verb. majeur mineur pag. mihi* 154. *linea* 53. *&* 54. ac pleniùs & noviſſimè Jean Maudit *ſur les Couſtumes de Berry. ad art.* 3. 4. *&* 5. *tit.* 1. Eoque intuitu verum eſſe putaverim, quod DD. generatim inculcare videntur, habilitatum ad negotia eo ipſo tamen tutelam ſuſcipere non poſſe, vid. relatos ab Argentreo *ad. art.* 480. *gloſ.* 3. *num.* 1. Quæ de conjuge diſſeruimus utroque, minori cum dubitatione procedunt in nuptis, quæ ut ſequioris ſexus, & ſequioris hic conditionis eſſe videntur: viri quippe per matrimonium tutelam exuunt, mutant duntaxat fœminæ, veniuntque illæ in arctiorem mariti tutelam, quam maritalis complexa poteſtas eſt: undè ad viros propriè pertinet, quod generatim apud hodiernos Scriptores traditur, matrimonio induci majorem ætatem; fœmimina quippe adeò non ſui juris per nuptias evadit, ut etiam ea, quæ cælebs antè ſui juris egiſſet ætatem, eo ipſo quod nubat, efficiatur minorennis, maritique ſupponatur tutelæ, cui propterea nomen tutoris probatiſſimi quique Scriptores attribuunt, Grot. *lib.* 1. *part.* 5. *verſic. als het houwelijk dan &c.* Neoſtad. *de Pact. antenupt. obſervat.* 9. *in not. circa fin.* Idemque & in vicinis regionibus quorundam moribus expreſſum eſt. *Land-rechten van Zutphen, Rub. van Houwelijckſche Voorwaerden. arl.* 5. *Gewoonten van Deventer eâd Rub. arl.* 8. Quare cum mutata tutoris perſona, tutela tamen in muliere perduret, rationis eſſe non videtur, ut quæ minor adhuc ſit, diſſoluto matrimonio,

IX *An nupta, & num recte dicantur per matrimonium factæ maiorennes?*

nio, ſui juris conſtitueretur; contra quam ſe res habet in viris, quorum tutela ſemel extincta, non eſt, ut reviviſcat: undè & Argentreus lectiſſimi judicii Scriptor obſervat, patriam quidem in poteſtatem, qua per nuptias fœmina ſemel eſſet liberata, non recidere eam, cæterùm tamen permanere in tutela vel cura, qua nunquam fuerit egreſſa, *ad art. 472. gl. 1. n 4.* & memorat Jaques Godefroy *ad Conſuet. Normanniæ. tit. des Gard. art. 232.* ad conſanguineorum poſtulationem tutelam ſubire coactas fuiſſe viduas minorennes. Quod ipſum licet apud nos frequentari ſit deſitum: quod vel iram extimuerint minorum, quibus ſucceſſuri eſſent conſanguinei, vel quod viduæ plerunque legitimæ ætati quàm proximæ eſſent; veſtigia tamen ejus juris etiamnum in eo apud noſtrates Hollandoſque comparent, quod apud nos patriâ ordinatione cautum extet, ne vidua minor inconſultis parentibus, tutoribus aut conſanguineis contrahat matrimonium, *Rub. van HouWelijckſe Voorwaarden art. penult.* Apud Hollandos verò, quod juxtà Groenw. *ad tit. C. de in integr. reſtit. minor. l. 2. n. 3. & ad l. 2. C. de his qui veniam ætat. n. 6.* viduæ minorenni indulgeant ætatis auxilium, denegent marito. Nec id adeò malè mulieri enim innuptæ cum tribuatur ætatis beneficium, utique non adimendum illud erit eorundem annorum viduæ; quæ eo ipſo quod vidua ſit, alterum potiùs à jure favorem promereatur: unde rectè dictum veteri declamatori. Imbecilla res eſt fœmina, & adfert infirmitati naturali non leve pondus quod vidua eſt. Quare ad ea tradita ſi exigatur quæſtio, definitio erit in ex-

X. *An vidua minorennis gaudeat ætatis auxilio?*

 pedito.

pedito. Argumentum enim tutelæ planè depulſorium eſt. Qui pleniſſimo jure ſe ſuaque obligandi poteſtatem non habet, tutor dari nequit, *l. fin. C. de legit. tutel.* dari igitur nec illa poterit, qui ope reſtitutionis in integrum, ſi quid oſcitanter geſſiſſet, tutelæ actionem eluderet: unde & Grot. *in zijn Inleyding. lib.* 1. *part.* 7. *verſ. over-zulcx*, jus Hollandorum enarrans, matrem aviamque ita demum ad tutelam vocat, ſi ſint idonei. Atqui conſuetudo idoneum tutorem ſi deſideret, excludi eo verbo matrem minorem non malè traditum eſt apud Argentr. *ad arl.* 480. *gl.* 3. *in verb. ſuffiſ.* Quæ cùm conſidero, fere eſt ut minorennes viduas noſtrates iis aſſimilaverim minoribus, qui apud Romanos curatores non habebant, ac in eâ causâ erant, ſua ut gererent negotia, læſi tamen reſtituerentur, cujuſmodi tum pleroſque minorum fuiſſe non improbabilis conjectura eſt, quod inviti illi curatores non acciperent, ut conſtat *l.* 13. *de tutorib. dat. l.* 3. *C. de in integr. reſtit. l.* 7. §. 2. *ff. de minorib.* §. 2. *Inſt. de curator.* Nec inde, quod dicitur in *l. final. C. de legitima tutela, & in* §. 13. *Inſt. de excuſation. tutor.* ob fœdam nominum confuſionem repelli à tutela minores, elicueris admittendos eſſe eos, qui in tutela non ſint, cùm in univerſum reſponſum ſit tutores nullos eſſe, niſi qui majores viginti quinque annis fuerint facti, §. 5. *Inſt. qui teſtament.* quemadmodum & veniam ætatis habentes, ſuiſque liberatos curatoribus, tutelas propterea non adipiſci ſuprà oſtenſum eſt. Adhæc cum, in ipſorum favorem pupillorum, matris aviæque (nam aliæ tutrices non dantur) comparata ſit tutela, quod ibi naturæ amor favoris neceſ-

neceſſitatem erga pupillos inducat, ut loquitur Juſtinianus *Nov.* 94. *cap.* 1. Et rectè obſervat Charond. *in Pandectis cap.* 36. *fol. mihi* 334. *circa medium*; non debet adverſus pupillos obſervari, quod pro ipſis excogitatum eſt, ut loquitur Ulpianus *in l.* 3. *in fin.* §. 5. *ff. de Carbonian. edicto.* haud dubiè adverſus eos tum futurum, ſi adhiberetur ad tutelam, qui ætate ſit minor; cum & progreſſu demum temporis, ægrè tandem matrem aviamque, repulſis cæteris, ad tutelam admiſerint Legiſlatores. Primò mulieres in perpetua erant tutela: teſtatur Ulpian. *in fragm. tit.* 11. idem de Batavis Grot. *part.* 4. *lib.* 1. *verſic. ſtaet te letten.* Dein ſuam in tutelam cùm veniſſent, aliorum tamen non ſubibant, *l.* 1. *C. quando mulier. l.* 2. *ff. de reg. jur.* ne quidem datæ teſtamento. *l.* 26. *ff. de teſtam. tutel.* Poſtmodum mater duntaxat aviaque admiſſæ, ſed non niſi exorato in hoc Principis reſcripto, *l.* 2. *Quando mulier.* Tandem & citra reſcriptum, ſed ea lege ut ſint perfectæ ætatis, ut renuntient SCto. Vellejano, *Novell.* 118. *cap.* 5. Poſtremò & ea renunciatio apud Gallos Hollandoſque juxtà receſſit ab aula: Scriptores citat Groeneweg. *ad d. l.* 2. Jam & illud quoque ſi inſuper habeamus ut perfectæ ſint ætatis, fiet ut quibus vix & ſumma quidem cum cautione tutelam jura concrediderint, nos iis, nullâ vel ætatis habitâ ratione, eandem delatum eamus, cum cætera quod prætermittantur, materna forſan penſet affectio; ſed ut ea quæ per ætatem adminiſtrationi non ſufficiat, eidem adhibeatur, nulla affectionis ratio efficit. Verùm cum ſuper conſuetudine ſit hæc quæſtio, neſcio, an aliunde firmius deduxeris argumen-

XI. *Quo jure hic Galli circa tutelam utuntur?*

tum, quàm ab aliis locis, ubi conſuetudo viget conſimilis: quod in ambiguitatibus, quæ ex conſuetudine aliqua proficiſcuntur, aliarum regionum, ubi eadem illa clarius eſt expreſſa, auctoritatem advocare oporteat. Apud Gallos igitur, ubi generali regni conſuetudine receptum eſſe teſtatur Boër. *deciſ.* 124. ut matrimonium contrahentes evadant majorennes, admittiturne ad tutelam mater minor? Imò verò in totum repellitur. Quare plurimum hîc valiturum puto, ſi pleraſque Galliæ Provincias in hoc percurrero. De Turonibus teſtem citamus Joannem Zainſon. *ad Conſuet. eorundem. tit. 32. de Tutoribus,* addentem abſurdum fore ſi quis aliud dixerit. De Burgundiâ Chaſſan. *ad tit. des Enfans de pluſieurs licts. Rubr. 6. §. 6.* qui illuſtraturus articulum, quo matri defertur tutela, in principio ſubjicit hæc verba: intelligi dummodò ſit major 25. annis. De Britanniâ Argentr. *ad art. 480. gl. 3. & ad Conſuet. reformat. quæ poſt veteres comparent. ad art. 560. n. 2. in fin.* Teſtantur & Charondas, qui Gallici juris conſcripſit Pandectas, *lib. 2. tit. 7. de tutelis fol. mihi* 210. Papon collector Arreſtorum Gallicorum *lib.* 15. *tit. 5. art.* 16. *inter defectus, ut loquitur, matris quoad capeſſendam tutelam, enumerans, ſi minor ſit.* Idem compluribus Galliæ conſuetudinibus extat expreſſum: Borboniæ *tit. de tutelis* 16. *art.* 175. quas illuſtravit Joannes Papo. Averniæ *tit. de tutel. art.* 4. ad quem Aymo. Niverniæ. *tit des Tuteurs art. 6. & ibi Cocquille.* Sed de

XII. *Quo Hiſpani?* Gallia plus ſatis. Proficiſcamur in Hiſpaniam, nam & eo loci contrahentes matrimonium cura abeunt, ut de Caſtellæ regno fidem facit Gomeſ. *ad legem Tauri 47. n. 2.* Quod ipſum cum

cum Molinæo Theologo *de Inſtit.& iure part.*1. *tract.*2. *diſp.* 221. *verſic. verum mater.* præbuiſſet dicendi occaſionem, opinari ſe per Caſtellæ mores admiſſam iri matrem minorem, reprehenſus eſt eo nomine Molinæus ab Hiſpano JCto Guitieres, eo in Tractatu, quem ex profeſſo de Tutelis ſcripſit. *part.*1. *cap.* 7. *n.*28: tradente ibidem matrem minorem non admitti, adeoque Theologum illum judicâſſe ultrà crepidam. Tandem, ut ab exteris domum redeam, illud annectam Amersfurtienſi ſtatuto expreſſim prohiberi capeſſere tutelam, qui non major 25. annis factus fuerit. Contra hæc omnia ſi quis moveat quod vix apud nos videris matres minorennes repulſas: ferat ille idem ſibi reſponſum quod jam antè debêre Galliæ Scriptores duo, quorum Aymo *ad d. art.*4. hoc ideo fieri ait quod nemo ſe opponat, & Argentr. *d. gl.* 3. Major annis ſit neceſſe eſt, etſi, inquit, in eo intérdum peccari videmus. Una his omnibus, quas ego quidem viderim, adverſa eſt Bituricenſis conſuetudo, *tit.*1. §.6. *in verbo jaçoit &c.* matri minori tutelam deferens; cujus commentatorem cùm egerit Boërius, inde forſan fuit, ut exciderit ei ejuſmodi oratio *deciſ.* 124. *n.*7. ac ſi ex generali Galliæ conſuetudine, quâ per matrimonium ſolvitur cura, id juris proficiſceretur; cum tamen in cæteris ferè Provinciis viderimus obtinere alia omnia (niſi cum Fabro *ad tit. C. Quando mulier tutelæ officio* exaudiveris cum de teſtamentario tutore, de quo totâ illâ deciſione agit) Quam Boërii generaliorem locutionem qui allegant, ad mores quiſque patrios transferre eam non audent. Noſtras Montanus *in tract. de tutel. cap.* 15. *n.* 18.

XIII. *Cur vix videas hodie à tutela repulſas matres minores.*

tranſcriptis Boërii verbis remittit eadem in Galliam, fideque quodammodò eſſe juſſa penes auctorem ait: ita teſtatur Boërius in Galliâ obſervari. Guitieres *d. cap.* 7. adducit Boërium de certo loco ſcribentem, quo expreſſim tenet illa conſuetudo. Eaque ſola Boërii oſcitantia nititur & Vivius *lib.* 3. *deciſ.* 489. nec crediderim alia, quàm una illa Boërii ſcriptione qui ſuffulciatur, repertum iri aliquem; ut hæc ſint argumento, quam facilè oſcitantia unius in erroris conſortium pertrahat alios, qui præcedentis dicto vix, imò ne vix quidem, expenſo in ſententiam ejus proſiliunt, magis quàm concedunt. Ut finem faciam, hæc jure quanquam, moribus, ac ratione juxtà prodita ſint, qui tamen matri unum alterúmve ſupernumerarium tutorem potius adjungendum cenſent, quàm ut ad tempus, donec minor fuerit daretur alius, me non habebit repugnantem; idque ipſum nec Argentreo diſplicuit. *d. gl.* 3. *num.* 1. *in fine.* maximè ſi eminentis dignitatis ac familiæ mater ſit, cujuſmodi vel minorennis ad gubernacula reipublicę adhiberi ſolet. Et ita nuperrimè in lite illuſtri à Supremo Hollandiæ Senatu matri minori, quam ex cauſa imperfectæ ætatis tutelâ removendam dicebat adverſaria pars, ut patet *uyt het mandement in cas d'appel geinſereert inde Herſtelde Leeuw*, *fol.* 348. uſque adeo ut eo nomine jure ſe reviſionem intentare poſſe declaraverit *ibid. fol.* 364. tres quatuorve tutores ſuperadditi fuerunt; numerum forſan auxit negotioſum ac diffuſum tutelæ illius onus. Præter ſolitum copioſior hic fui, quod viderem parcius hoc argumentum executos eſſe ſcriptores, ut oſtendiſſe illud potius, quàm explicuiſſe, aut ad mores hodiernos exegiſſe videantur.

XIV. *An rectius adjungi matri tutorem, quàm eandem removeri?*

XV. *Claudit caput litis illuſtris nuperrima Hollandorum deciſio.*

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆLIMINARIA.

Cujus conjugis intuitu, cuique fini inducta ſit maritalis poteſtas?

EXplicito Tractatu de jure quod oritur ex Statutorum ſeu Conſuetudinum diverſitate, quem Commentario, pro quarto præliminari, interjecimus, præmamus veſtigia alterius præcedentis, quo juris conjugalis apud noſtrates originem demonſtravimus, adeoque procedamus ſpecialius ad maritale in uxorem imperium, de quo præliminaris quæſtio eſto. Utrius ex conjugibus intuitu jus illud obtineat? Duarenus non levis Romani juris Interpres, miratur tam clari apud Gallos inſtituti rationem adeo obſcuram eſſe, ut de ea inter ſupremarum Curiarum judices non conveniat. Et ille quidem non malè ratiocinatur, vel inde apud Gallos clarum videri conſuetudinis hujus auctores non ſpectaſſe infirmitatem ſexus, quod illi innuptas mulieres ſub auctoritatem tutorum non redegerint: undè conſequens eſt tutoris alterius vicem ubi ſubit, aut excipit maritus, in conſideratione conſuetudinis eſſe ſexus fragilitatem, adeoque comparatam eam mulieris causâ: ut apud Geldros, ubi non niſi curatore electo ſolutas diximus peragere negotia maximè judicialia, & prætereà teſtatur Fredericus à Sande *in tract. de Effeſtucat. cap.* 4. *n.* 11. *& ibi Goris. & cap.* 5. *num.* 15. Apud Hollandos verò, noſtrates, ac Friſios, cum nullâ innuptæ indigeant auctoritate, maritorum

cauſa jus illud obtinere ſtatuendum eſt. De Friſiis perhibet teſtimonium Joan. à Sande *deciſ. Friſ. lib.* 2. *tit.* 4. *defin.* 1. & 3. De Hollandis Grotius *lib.* 1. *part.* 4. *van ſijn Inleydinghe.* Quo de poſteriore jure novum ſubrepit dubium, reſpiciatne jus illud maritorum duntaxat commodum, ne geſta uxoria ipſis ſint fraudi, an verò ſpectet ad legitimationem, ſeu habilitatem perſonæ; quaſi majores noſtri, quo viro obnoxiam magis ac tractabiliorem redderent, alieni ſtatus conditionem mulierem voluiſſent induere. Ex ſuis quique moribus priorem ſententiam amplectuntur. Tiraquell. *ad leges connub. gl.* 6. *num.* 37. Imbert. *in Enchirid. in verb. vir & uxor* Boër. *ad conſuet. Bitur. tit.* 84. *gl.* 5. Poſteriorem Argentr. *ad conſuetud. Britanniæ artic.* 424. *gl.* 1. Chriſtin. *ad leges Mechlinienſes tit.* 9. *artic.* 4. *num.* 38. & 39. *ubi in additament.* Duaren. *de nupt. cap.* 1. Sand *deciſ. Friſicar. d. defin.* 3. Et certè, ſi antiquum maritorum imperium, undè hodiernum profluxit, adſpiciamus, apparet ſtatum mulieris diſcuſſum fuiſſe, maritique ſuppoſitum poteſtati, quâ ille olim in uxorem etiam vitæ neciſque jus habuit. Quare, nec diſſoluto matrimonio ex contractu clam virum inito convenienda tum mulier: haud ſecus ac pupilli in poteſtate tutorum conſtituti adeo inutiliter contrahunt, ut illis majoribus effectis contractus non convaleſcat *l. continuus* 137. §. *cum quis ff. de Verb. Obl. l. obligat.* 44. *D. de obl. & act. l. quod ab initio* 24. *De reg. jur.* Atque ita apud Hollandos obſervari videtur innuere Groeneweg. *ad l.* 2. *C. de in integr. reſtit. minor. in verb. ipſo jure.* Aſt altera opinio ubi obtinet, ipſa quidem mulier tanquam con-

ſenſus

ſenſus capax obligabitur, vivo tamen marito ne ſit in illius præjudicium, conticeſcet actio. Proinde ad mores patrios quod attinet: cum ſtatuto Ultrajectino cautum ſit ex contractu conſtante matrimonio, non conſentiente viro, inito, à morte ejus rectè in mulierem agi, duplex elicitur conſectarium. Primum in gratiam mariti, hanc obtinere poteſtatem. Alterum mariti duntaxat præjudicio ac detrimento rationem ejuſdem inniti.

SUMMARIUM.

I. *An pro nupta noſtrate acceptus obligetur fidejuſſor, & quomodo?*

II. *An & pro Batava, & quid ſit inter utramque diſcriminis.*

QUod mulieres de debito clam virum contracto diſſoluti matrimonii tempore rectè conveniantur apud noſtrates, nullo verò tempore apud Hollandos, argumento eſt, mores quidem in eo convenire, ut mariti gratia jus ſit inductum utrumque; cæterùm diſcrepare, quod intereſſe duntaxat mariti in conſideratione legiſlatoris noſtratis ſit, ne nimirùm quid committat uxor mariti diſpendio, cætera ſemet ipſam obligandi poteſtatem habens; cum Hollandorum mores ſtatum mulieris ita diſcutiant, ut nunquam non nullius momenti ſit citrà mariti tutoriſque auctoritatem contracta mulieris obligatio. Undè altera adhuc promanat utriuſque juris differentia, quæ tamen nôn ſpectat ad mulierem, ſed tertii perſonam concernit. Si enim creditor, curans ut ſibi diligentiùs cau-

tum ſit, ad uxoriam obligationem acceperit fidejuſſorem; quid dicemus valituram fidejuſſionem, an verò inutilem fore? Forſan intererit ex Batavo, an ex noſtrate jure definiatur quæſtio.

I. *An pro nupta noſtrate acceptus obligetur fidejuſſor, & quomodo?*

Patrium jus quod attinet obligationem ſubſtituram nullus dubito, ut maximè ſemetipſum expreſſim purè obligaverit fidejuſſor. Ratio in eo eſt, quod cum in mulierem à morte viri agatur efficaciter, ipſa in eo cauſa eſſe dicenda ſit, ac ſi innupta promiſiſſet in diem: futuræ autem obligationi adhiberi poteſt fidejuſſor, dummodò ſit aliqua vel naturalis futura obligatio *l. 6. §. 1. ff. de fideiuſſorib.* Quare dilabimur ad nobilitatam illam in ſcholis ventilationem, quam habes *ad §. 5. inſt. de fideiuſſor.* quaque diſputant, in citeriorem diem ſi adſtrinxerit ſe fidejuſſor, quam debet principalis; an omninò non obligetur, an verò non omninò, hoc eſt, an non antequam dies venerit: nam utra horum verborum ab Ulpiano in *l. 8. §. 7. ff. de fideiuſſor.* ſcripta ſint, in eo eſt, quod Scholaſtici ſcriptores litigent. Verùm alienam à moribus hanc diſceptationem eſſe rectiſſimè traditum apud doctiſſimum Vinnium *in commentariis ad d. §. 5.* Nam & in conſtituto, quod pacto nudo perficitur, Romanis placitum eſt conſtitui poſſe citeriore die, quod ulteriore debebatur *l. 4. ff. de conſtituta.* quomodò nimirùm communiter Doctores eandem legem exaudiunt: nam aliàs apparet illam loqui de conſtituto pro ſe, non pro alio; ſi conſtituam quod ipſe in diem debeo, quin valeat conſtitutum citeriore die, nihil eſt impedimento. Sed ut adhæream communi opinioni, cum hodiè valere juſſa Romani

 Præliminaria.

ni juris ſubtilitate receſſerit ab aula pactorum illa, ac ſtipulationum diverſitas, omninò dicendum eſt fidejuſſorem ita acceptum ab eo, qui cum noſtrate muliere, marito inconſulto contraxerit, obligari efficaciter, verum eodem die ſuſpendi obligationem, ex quo tenetur illa principalis, ut & de conſtituto Romano jure proditum eſt *l.* 19. *in princip. &* §. 1. *ff. de conſtituta pecunia.*

Major ſuper Hollandorum aliorúmve more dubitatio eſt, quo ne quidem poſt mortem viri judicium ullum, quod extimeſcat mulier, habet. Pro qua ſi interceſſerit fidejuſſor, videamus num jure cum eo experiaris. Suos, nec quidem infimi nominis aſſertores utraque nacta eſt ſententia. Affirmant argumenta Harbaij *rer. quotid. cap.* 13. §. 21. Moller. *ad Conſtit. Saxoniæ part.* 2. *conſtit.* 15. *quæſt.* 12 *n.* 57. *& ſeqq.* Hering. *de fideiuſſor. cap.* 10. *n.* 3. & poſt viſus Carpzov. *part.* 2. *conſt.* 15. *defin.* 7. Negant Argentreus *ad Conſuetudines Britanniæ art.* 479. *in fine.* Tiraq. *de leg. connub. gl.* 4. *num.* 14. Pyr. *tract. de fideiuſſ. part.* 2. *ſect.* 8. *cap.* 56. Berlich. *part.* 2. *concluſ.* 17. *num.* 110. *& ſeqq.* Gutier *in repetit. authentic. Sacramenta puberum C. ſi adverſus.* Poſteriorum illud palmarium argumentum eſt, quod ex contractu jure municipali improbato, ne quidem naturalem obligationem putent oriri, juxtà allegatos à Sand. 3. *tit.* 1. *deciſ.* 1. & quod naturalis obligatio in ſtatutis nullum habeat effectum, Argentr. *art.* 200. *in fin. &* 214. *gl.* 2. Quæ tamen aſſertio vereor ut tuta ſit: cùm enim in ſtatutorum aut conſuetudinum defectum utamur jure Romano, quid, quæſo, intererit, illóne an hoc jure improbetur obligatio? cum utrum-

II. *An & pro Batava, & quid ſit inter utramque diſcriminis?*

utrumque pari polleat auctoritate. Eo ipſo enim quod recipimus Quiritium leges, jus nobis ipſi civile aut ſtatutarium efficimus; ut quot inde leges adoptemus, totidem velut ſtatuta nobis condamus aut conſtitutiones, adeoque cum eodem modo ſtatuta conſtituant noſtrum jus civile, atque ſuum Romanis illæ leges, qui poterit major vis eſſe ſtatuti, quàm legis receptæ? Nec contra ex jure illo Romanorum ullum huc argumentum deduxeris: nam ſi inde ſtatuta æſtimare velimus, longè ea infrà legum auctoritatem, nedum ſuprà ſtetiſſe palam eſt. Quare quæſtionis judicatio in eo eſſe videtur, natura debeat uxor, nec ne. Illud enim ſi affirmandum putes, & una obligari pro ea fidejuſſorem concludere neceſſe eſt, *l. 6. §. ult. l. 7. l. 16. §. fideiuſſor. 3. l. ubicunque 60. ff. de fideiuſſor.* Sanè qui intelligit id quod agit velle eum poſſe, & conſentire, & conſequenter naturaliter ex conventione ſua obligari magis eſt ut dicamus, & quidem JCto. *in l. 84. §. 1. ff. de Reg. Iur.* definitum eſt, natura debere eum, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus. Mulierem autem maritatam ſua ex promiſſione jure gentium obligari, vel illud argumento eſt, quod apud Romanos gentium dominos, ac longè moratiſſimos, nupta ſemet obligandi poteſtatem habuerit. Unde & rectè tradidit Grot. *de jur. bell. ac pac. l. 2. c. 5. num. 8.* Jus reſcindendi vota uxoria apud Hebræos, ex civili illorum jure, non gentium eſſe. Quare ſingulare eſt, quod pro eo, quod prodigus promiſerit, fidejuſſor interveniens non teneatur, *l. 6. ff. de verb. obligat.* quam tamen legem ut concilient cum *l. 25. ff.*

de

de fidejuſſor. mirè ſe torquent Doctores. Placuit namque omnis juris auxilio penitus deſtitui prodigi obligationem, ut nec fidejuſſor ei adhibeatur; ac præterea alia prodigi, alia mulieris ratio eſt: non enim perinde hujus atque illius cauſa, cur non obligetur, intra ſeipſam eſt, vel circa defectum verſatur perſonæ ſuæ, ſed ad virum ſolummodò reſpectum habet, cujus ſolius intuitu non tenetur mulier, alias innupta ejuſdem ætatis contractura efficaciſſimè. Unde magis eſt, ut componatur illa cum pupillo, qui pubertati proximus, itemque ſub alterius poteſtate eſt, pro quo fidejuſſorem acceptum teneri conſtat *l. ſi pupill.* 127. *ff. de verbor. obligat.* Vel potiùs à ſervili conditione, tanquam à terminis fortioribus ducamus argumentum. Pro ſervo conſtat obligari fidejuſſorem, §. 1. *inſt. de fideiuſſ.* domini autem in ſervos poteſtatem majorem eſſe maritali, nec ii, puto, negaturi ſunt, qui imbecilliorem ſexum duriùs æquo habere conſueverunt.

CAPUT V.

An & quando repetere poſſit nupta ſolutum à ſe debitum quod citra viri contraxerat auctoritatem.

SUMMARIUM.

I. *An, quod neſcio marito à muliere promiſſum, ac ſtante matrimonio ſolutum eſt, poſſit repeti?*

II. *Quid apud noſtrates, qui eo jure utimur, ut ſtante quidem matrimonio conticeſcat actio, caeterùm tamen reviviſcat ſoluto?*

III. Si

III. *Si patria coniux vivo ſolverit marito, an repetat interuſurium medii temporis?*

IV. *Si inſcio marito promiſerit centum cum uſuris, an diſſoluto matrimonio ultra ſortem conveniri poſſit in uſuras?*

V. *Quid ſi ſolverit mulier diſſoluto matrimonio eo loci, ubi ſexus fœminius in perpetua tutela eſt?*

VI. *Quid ſi apud Hollandos, ubi geſta uxoria ſine viri auctoritate ita ſunt irrita, ut nec diſſoluto matrimonio in mulierem eo nomine poſſit agi?*

VII. *Marito ex ſua perſona nunquam non datur repetitio.*


PRoducit & hunc effectum naturalis obligatio, ut ex ea cauſa ſolutum non condicatur. Ejus igitur, quod ſine marito auctore promiſerit, ſolveritque mulier, competetne repetitio? ceſſare repetitionem putat Harbajus *rer. quotidian.* §. 21. *cap.* 13. ſive id conſtante tentet mulier, ſeu ſoluto matrimonio. Cui ut ſubſcribam, à me necdum impetro: nam quod naturaliter obligato ſoluti repetitio non competat, tum ferè locum habet, ſi ille in ea cauſa fuiſſet, ut ſolvendi haberet facultatem: undè dicendum videtur, quidquid mulier conſtante ſolverit matrimonio, omninò poſſe illam repetere, æquè atque pupilli perſona; ſi quid ſine tutoris auctoritate ſolutum eſſet, locum facit repetioni *l.* 29. *ff. de condiction. indebit.* quoniam, qui ſub tutore conſtitutus eſt, ut ſine eo non contrahit, ità ſolvendo nihil agit, nec ullum transfert dominium, vel nummi fiunt accipientis, Argentr. *l.* 9. §. 2. *ff. de auctoritate tutor. l.* 14. §. *final. ff. de ſolut.* §. 3. *in fin. quibus alienare non licet.* Ad mores tamen noſtrates quod attinet, quibus conſtante duntaxat

taxat matrimonio, fruſtrà cum muliere, experiaris, ſubitura poſt vel ipſamet vel in perſona hæredum ſoluto matrimonio eo nomine judicium, adeo ut mariti duntaxat commodum reſpiciat tutela, non diſcuſſo mulieris ſtatu, dicendum eſt in ea cauſa mulierem eſſe, ut debitrix exiſtat in diem, incertum quidem illum, ſed quem tamen certum ſit omninò eventurum: in diem autem debitor cum ſit adeò debitor, ut antè diem ſolutum non poſſit repetere *l.10.ff. de condict. indebit* conſequens eſt dicere ejus quod conſtante ſolverit matrimonio mulier, non habituram eam repetitionem; cum non ſua cauſa, ut in pupillo ſe res habet, ſed mariti duntaxat gratia ſuſpendi apud nos exactionem vel ex eo apparet, quod judicium in mulierem vivo marito ſe daturum neget noſtras Legiſlator. *Rub.22. artic.5. ordinationis patriæ.* ut vel ab initio contractus dixeris obligatam mulierem, ſed rejici duntaxat in diſſoluti matrimonii tempus agendi in eandem facultatem. Undè putaverim, cùm ſors non repetatur, nec repeti poſſe medii temporis interuſurium, vid. Coſtal. *in d. l.* 10. Cui conſequens eſſe videtur mulierem, quæ centum promiſiſſet cum uſuris competentibus, teneri ſoluto matrimonio ad ſortem cum uſuris ſtante matrimonio decurſis. Quare quod hic de concedenda mulieri repetendi facultate diſſeruimus conſtante matrimonio, tum demum locum poterit habere cum repetendi jus neglexerit maritus, mulierque à judice admiſſa ſit illud exequi. Diximus de ſolutione conſtante facta matrimonio. Nunc de eo videndum eſt, quod ſoluto matrimonio ſolverit mulier: & magis eſt, ut pro morum

rum ſingulorum diverſitate aliud atque aliud dicendum ſit. Eſt ubi mulier in perpetua tutela ætatem agit, cælebs ne ea fuit, an maritata, nullo diſcrimine, ut quondam apud noſtrates, Hollandoſque juxtà obtinuiſſe alibi oſtendimus. Et iis quidem moribus cum mulier ad vitæ tempus uſque tutela nunquam exeat, nec unquam quoque ceſſabit repetitio. Alibi ubi uxoratas duntaxat conſtringit tutela, ita tamen ut ſpectet ea ad habilitationem perſonæ, adeoque ſine marito facta à muliere promiſſio, & diſſoluto matrimonio eandem obliget, ferè eſt, ut idem ſit dicendum, perinde atque de pubere reſponſum eſt, habere eum ejus quod in pupillari ætate promiſſum, pubes factus ſolverit, repetitionem, niſi locupletior factus ſit, *l.* 13. §. 1. *ff. de condictione indebiti.* Niſi forſan pupillum inter & mulierem intereſſe dixeris, quod expreſsè reſponſum ſit idcircò repetitionem dari pupillo, quia nec natura debet, *l.* 41. *ff. de condict. indebit.* cum mulierem obligari naturaliter ſuprà adſtruxerimus. Verùm vel hoc ſaltem priorem ſententiam ſuſtentat, quod & qui civiliter juxtà ac naturaliter debeat, ſi tamen tutus ſit exceptione perpetua favorabili, quæ una cum re ſive contractu nata ſit, per errorem ſolutum poſſit repetere, *l.* 40. *ff. de condict. indebit.* exceptio autem quâ gaudet mulier odio ejus, cui debetur, comparata non eſt, ſed vel favore mariti, ut diſſeruimus ſuprà, vel, quod in propoſito perinde eſt, favore conjugum, quo per maritum, qui familiæ caput eſt, negotia ejuſdem & procederent melius, & utilius explicarentur. Ne dicam quod ſecundùm Bartolum, alioſque

Do-

Doctores idem quod de favorabilibus judicium eſſe de omnibus exceptionibus deſcendentibus ex ſtatuto teſtetur Coſtal. *ad d. l.*40. Tandem ut ad maritatam revertar noſtratem, quæ contrahens vel ab initio ſemetipſam vinculo obligationis adſtrinxit, conveniendа duntaxat eo nomine matrimonio diſſoluto, eo quod tum nulla fraus marito nectatur; palam eſt non habituram eam repetitionem ejus quod ſolverit matrimonio ſoluto, quâ caret ſi quid ſolverit eo conſtante. Illud autem, ut Caput claudam, perpetuum eſt. Clam maritum, ſi quid ſolverit mulier, id eum ſuo jure, ad avertendum diſpendium, nunquam non revocare poſſe.



Digitized by Google

Tractatus de Jure Conjugum,

LIBER PRIOR.

De poteſtate maritorum in uxores.

In quo de jure eorum circa

- Perſonas — Tit. I.
- Res — Tit. II.
  - *Civiles* — Part. I.
    - *contractus* — *cap. 1.*
    - *quaſi contractus* — *cap. 2.*
    - *alienationes inter vivos* — *cap. 3.*
    - *ultimas voluntates.* — *cap. 4.*
  - *Criminales* — Part. II.
- Actiones — Tit. III.
  - *Civiles* — *cap. 1.*
  - *Criminales* — *cap. 2.*

De modo quo jus illud inhibeatur. Tit. IV.

- *ante matrimonium* — *cap. 1.*
- *poſt matrimonium.* — *cap. 2.*

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATUS DE JURE CONJUGUM,

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

De poteſtate quam habet maritus in perſonam ſeu corpus uxoris.

Tandem miſſa fiant præliminaria, quæ ſi forſan quis pro mole operis æquo duxerit longiora, det ille aliquid argumenti iſtius nobilitati quod ſtatutorum nobis excitavit diverſitas, dignum ut continuò ac cohærenter traderetur in univerſum. Conſequens eſt ut ipſum tandem, quem in manus habemus, Tractatum auſpicemur. Diſtinximus eum in Libros duos. Primò nos acturos polliciti de poteſtate maritali. Et quidem inter eadem præliminaria demonſtravimus, quomodo viro in uxorem competat imperium jure naturæ æquè ac divino; additis nonnullis, quæ mariti poteſtatem reſpiciunt conſideratam in genere. Reliquum erit, ut jus mariti intueamur in ſpecie, quibus nimirum in rebus conſiſtat illud, ac quomodo inhibeatur. Ut autem ſtatim conſpici poſſit

Digitized by Google

operis ordo, exhibemus hic in ingreſſu tabulam, qua velut faciem totius libri ponimus ob oculos. Potuiſſem longè alio, & forſan rectiore ordine uti: conſideranti enim quibus in rebus virilis in uxorem poteſtatis effectus potiſſimùm elúcet, ei videbitur omnium ferè ſummam diviſionem in duo genera poſſe deduci. Aut enim in judiciis conſpicitur, aut circa res verſatur extrajudiciales. Judicialia in aperto ac quaſi in propatulo poſita ſunt. Extrajudicialia concluſa ferè manent intra notitiam eorum quos contingunt. Quare de judicialibus tanquam de parte magis illuſtri, potiorique prius nobis dixeris commentandum. Eo magis quod à judiciis ad contractus proclivior, quàm è contra ſit argumentationis deductio, cum qui ſuo nomine ſtandi in judicio, idem & contrahendi habeat facultatem, non habeat ſemper è converſo: quemadmodum & apud Romanos apparet minorem contraxiſſe efficaciter, litigaſſe non item, ſuo nomine litem ſuſcipiente curatore. Sed antiquius mihi fuit noto juriſconſultis ordini inſiſtere, quam novum componere de meo. Preſſi itaque veſtigia Triboniani noſtri, qui juris elementa eo contexuit ordine, ut primò egerit de perſonis, dein de rebus, poſtremò de actionibus. De viri imperio, quod in perſonam ſeu corpus habet uxoris jam monuimus in veſtibulo non eſſe nobis decretum in hoc Tractatu diſſerere. Quouſque enim ſe protendat viri in caſtiganda uxore imperium, ad quæ obſequia ſibi præſtanda vir jus habeat compellendæ uxoris, obvia tractatio eſt apud Politicorum ac œconomicorum filios, quorum frugem demetere mihi non eſt pro-

propoſitum, qui habeam in animo id juris tradere, quod ſolius eſt JCti, adeoque quo conjuges de rebus utuntur ſuis, ac conſequenter de illa poteſtate maritali, quæ vires explicet in uxoris bona. Quanquam, ut nunc ſunt mores, fruſtrà fuerim, ſi jus & majeſtatem virorum aſſerere inſtituerem, quam illi ipſi quà publicè, quà privatim obteri paſſim & calcari ſinunt. Honos quidem habendus, dictante ſacra Pagina, mulieri, tanquam vaſculo infirmiori, ne ſcilicet conculcetur à viro, ſicut honos habetur cryſtallinis, quia ſollicitè tractantur: nec enim plagas putaverim conducere ſterilibus ad fæcunditatem, gravidis ad faciliorem partum, ut perſuaſêre ſibi Romanæ illæ mulieres diſcurſantes in Lupercalibus; de quibus Plutarchus *in Cæſare*. Nec iis aſſentior, qui proptereà mulieribus relinqui crines dicunt, ut habeant mariti, quo eas trahere poſſint & ligare, ut voluit par illud Juriſconſultorum citatum Arniſæo *de jure connubior. cap. ult. ſect.* 1. *num.* 4. cæterùm tamen non ita laxandæ uxoribus habenæ, ut gemmis auroque ad invidiam ornatæ vel potiùs oneratæ (navis enim & mulier nunquam ſatis ornantur, Comico teſte.) magnificè ſuprà ora virorum incedant, aliorumque oculos in ſe prolectent; non ut primus eis cedatur locus; non ut in conviviis, conciliabulis, viris obſtrepant, ſilentium imperent, ac loquendi appetant principatum; non ut illis impunè placita maritorum ſpernere, his contra fas ſit juſſa uxoria capeſcere, vir in uxorem non audeat hiſcere, mulier vel in tantillo ſibi non audienti marito jugiter obganniat ad aures. Turpi profectò ac miſeranda mari-

talis majeſtatis diminutione, ut vir ſerviat, qui caput eſt: niſi forſan ceſſerit illi matrimonium in ſervitutem pœnæ, quæ ſoleat inferre capitis diminutionem. Ego, ſerio, non liberos homines, ſed ſervos habeo, qui gaudent haberi ab uxoribus: nec enim liber eſt, inquit Cicero, cui mulier imperat, cui leges præſcribit, jubet, vetat quod videtur, cui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet. Si poſcit, dandum eſt, ſi vocat, veniendum, ſi ejicit abeundum, ſi minatur, extimeſcendum. Ut ego viros rectè monitos à Catone putaverim, ne dent frænos impotenti naturæ & indomito animali, quod modum licentiæ mulieres facturæ non ſint, niſi mariti faciant, quod omnium rerum libertatem, imò licentiam deſiderent; extemplo, ſimul ac pares eſſe ceperint, ſuperiores erunt. Quæ utinam videas hodie tam ſervata, quàm vulgò nota ſunt; ſed quid agas ſæculo invito?

TITU-

TITULUS SECUNDUS.

PARS PRIOR.

CAPUT PRIMUM.

De poteſtate mariti in obliganda uxore per contractum.

SUMMARIUM.

I. *A jure maritorum proficiſcitur obliganda uxoris poteſtas, non à rerum communione.*
II. *Pinguius illud jus curatoris aut tutoris poteſtate.*
III. *Ex omni utili vel ſaltem non damnoſa adminiſtratione obligatur uxor à viro.*
IV. *An ſine conſenſu mariti præſentet mulier patrona?*
V. *Quid dicendum de inutili & detrimentoſa mariti adminiſtratione?*
VI. *Quid de iis quæ Venere aut Baccho diſſipavit maritus?*
VII. *Cur uxor luat una partem illius diſpendii?*
VIII. *Quid ſi donaverit maritus? quid ſi fidejuſſerit?*
IX. *Quid de cæteris prodigalitatis ſpeciebus?*
X. *An & in fraudem uxoris vir poſſit donare, & quando præſumatur fraus interveniſſe?*
XI. *Contra fraudulentas alienationes accommodatur uxori quaſi Pauliana actio.*
XII. *Si vir dotaverit filias prioris matrimonii, an ſolvenda ſit dos ex mariti duntaxat bonis, an verò imputanda ſocietati?*
XIII. *Differentia ſimplicis omnium bonorum ſocietatis, & ejus quæ connubialis eſt.*
XIV. *Quid in ſocietate duntaxat quæſtuum, &*

quid ſi

quid ſi paternæ hæreditati filia ita dotata abſtineat?

XV. *An in univerſali ſocietate privigna conferat dotem ſuperſtiti, & quid, ubi in commodum ſuperſtitis non obtinet collatio?*

XVI. *Dos à marito data conſanguineo ſibi ſucceſſuro, an matrimonio ſoluto imputanda dotanti?*

XVII. *An fœminæ apud Romanos remotæ prorſus à negotiatione?*

XVIII. *An apud Hollandos?*

XIX. *Quod mercatrix obliget virum ab hujus eſt voluntate.*

XX. *Minuta debita contrahere permiſſum maritatæ.*

XXI. *Ratificatio mariti æquipollet ejus mandato.*

XXII. *De muliere mariti abſentis, furioſi, qui bonis ceſſit, qui ſeparatus eſt ab ea cenſu, remiſſivè.*

XXIII. *An ſine marito nupta poſſit dotare?*

XXIV. *An teneat promiſſio nuptæ pro mariti redemptione?*

IUris maritalis beneficio conſequitur vir apud nos liberrimam bonorum uxoris adminiſtrationē; ut quicquid contractum ab eo ſeu geſtum fuerit non ſuo duntaxat, ſed & tutorio uxoris nomine actum cenſeatur, adeoque ex quocunque mariti contractu comparata ſit actio creditoribus in ambos conjuges, ac utriuſque hæredes. Dicimus è jure mariti proficiſci id juris, ut geſta conſtante matrimonio utrumque conjugem adſtringant, ne quis ejus originem arceſcat à rerum inter conjuges communione, nupta quippe in poteſtate viri eſt, licet non ſit communis in bonis ut rectè notat Chopin. *ad leges Pariſienſ. lib. 2. tit. 1. n. 19. in margine.* cujus quidem communionis ratione eſt ut alter alterius

I. *A jure maritorum proficiſcitur obligandæ uxoris poteſtas non à rerum communione*

terius debitis antè matrimonium contractis obligetur; cæterùm ut geſtis à marito eo conſtante involvatur uxor, creditoris adſpectu, ſola maritalis poteſtas in cauſa eſt: ut latiùs adſtruximus alibi. Verùm & illud hic repetendum videtur; quod & inter præliminaria monuimus, jus adminiſtrandi maritis indultum moribus, longè aliud eſſe à tutorum, curatorum, ac procuratorum adminiſtrandi poteſtate, ut quæ de eorum incuria ſtatuta ſunt, huc trahenda non videantur; quippe marito cura ſua commodum & honos eſt, rationum redditionis immuni: tutoribus & curatoribus officium oneri & periculo eſt. Procuratoribus ex mandato & præſcripto curanda ſunt negotia; mariti autem peculiari quadam ac laxiore poteſtate tuentur uxoria. Undè conſequens eſt ut duo videamus.

II. *Pinguius illud jus curatoris aut tutoris poteſtate.*

Primum, an ex qualicunque mariti contractu teneatur uxor?

Alterum, an non & ipſa aliquando ſe virumque obligandi facultatem habeat?

Et quidem perpetuum apud nos eſſe videtur, ut quælibet mariti obligatio una adſtringat uxorem, ut vix, imò ne quidem exceptioni locus eſſe videatur. De utili mariti adminiſtratione nemo dubitaverit, nec quoque de ea forſan, quæ ſicut utilitatis, ita nec diſpendii quicquam habet, ejuſmodi concernens actus, qui non tam in utilitate quadam, quàm in honore & prærogativa conſiſtunt. Poſterioris tamen notæ illa ſpecies eſt, ſuper qua diſceptant Doctores. An mulier nupta, Eccleſiæ patrona poſſit præſentare abſque conſenſu mariti. Tiraquellus ſecutus Lambertinum. *ad ll. connub. gl.* 5. *num.* 221. putat

III. *Ex omni utili vel ſaltem non dãnoſa adminiſtratione obligatur uxor.*

IV. *An ſine conſenſu mariti præſentet mulier patrona?*

Digitized by Google

eam jus præſentandi ſine marito habere, hoc potiſſimum ductus argumento, quod & pupillus poſſit præſentare ſine tutoris auctoritate, & quod in hujuſmodi rebus ſpiritualibus non curetur auctoritas aut poteſtas aliena, utpotè ſolum rerum externarum ſeu ſæcularium gratia comparata. Juvat tamen videre, quomodo idem Tiraquellus alibi *gloſſ. ult. num.* 5. *& ſeqq. uſque ad finem*, locos affectet, & texens lexica conquirat utrinque argumenta & Doctores, ac tandem dimittat lectorem illo ſibi non infrequenti epiphonemate, *ideò cogita*: æquè incertum, ac Terentianum illum Demiphonem dimiſit trias illa advocatorum. Mihi non videtur dubitandum jus præſentandi maritis competere, conſentiente Sarmient. *lib.* 3. *cap.* 10. *in fin.* conſtat enim inter omnes jus illud eſſe in fructu, ut & una cum univerſitate rerum tranſeat in uſufructuarium, qui ſolus, domino proprietatis inconſulto, præſentandi jure defungitur, ut & non ita pridem ex reſponſo ICtorum definierunt Provinciæ Ordines in cauſa *vanden Heere van Wittenhorſt* nomine uxoris; quemadmodum & jus illud tranſit in conductorem univerſitatis, repulſo locatore *C. ex literis De jure Patronatus*. Tiraquell. *d. gl. ult. nu.* 7. Quare rationis eſt eo jure gaudere & maritum, ad quem fructus ſpectant univerſitatis, adeo ſolus eos colligere, divendere, donare, quinimò (ut apud nos ſe mores habent) diſperdere poſſit. Quæſo quod colono, quod uſufructuario conceditur, non obſtante putativa illa, ut ita loquar, ſpiritualitate num denegabimus marito? A tutore deprromptum argumentum nihil ſtringit. Longè aliud ac pinguius jus

mariti

Digitized by Google

mariti, quam tutoris eſt. quid? an alio jure cenſeretur jus præſentandi, alio caſtrum ipſum ſeu univerſitas, cujus ratione competit illud? Maritus de caſtro ipſo, ac caſtri illius aut univerſitatis fructibus diſponit omnibus; quid ni igitur & de illo præſentandi jure aut fructu, quod non niſi cum univerſitate tranſit, ſeparatam ab ea cauſam non habens. Apud Hollandos penes maritum quemcunque jus eſt bona uxoria alienandi, apud noſtrates penes eum qui non ſit improlis. An igitur mariti erit alienare ipſum caſtrum vel univerſitatem, fructus non item? Undè & in dicta cauſa maritus jus illud nomine uxoris ſibi competere aſſeruit, obtinuitque. Ex his apparet fruſtrà nos jam quæſituros, præſentante conjuge utroque, utrius præſentatio præferatur? An præventioni inter eos ſit locus, aliaque tradita apud Doctores operosè. De inutili mariti adminiſtratione potiſſimum eſt quod addubitaveris, an nimirum adeo diſtrictè atque utili uxor ea teneatur. Rem pauló diligentiùs exſequar, vel ideo quod eam apud DD. certo ordine certiſque regulis aut fundamentis traditam non reperierim, cum tamen ratione ac methodo agentibus in more poſitum ſit, ut primò regulas conſtituant generales, tum ſubjungant articulos de particularibus. Ego hanc tractationem redigam ad tria Capita ſeu communes Regulas, ad quas referantur ſingula.

V. *Quid dicendum de inutili & detrimentoſa mariti adminiſtratione?*

Quicquid geritur à marito, aut fit animo adminiſtrandi citra diſſipandi mentem.

Aut mera prodigalitate ac profuſione.

Aut denique in ſuam ſolius utilitatem aut contemplationem.

Si

Si quæratur de geſtis à marito adminiſtrandi animo, ut ſi fortè gerendis negotiis ineptus, vel oſcitantia quadam aut facilitate nimia ductus maritus bona conſumſerit, æs alienum contraxerit; ratus tamen hoc ex re fore ſocietatis, adeoque ſe fungi in eo partibus adminiſtratoris, malè quanquam, inſulſè, inſipidè, nullumque inde ad ſocietatem compendium redierit: nemo non videt hoc uxoris juxtà ac mariti diſpendium eſſe, ne ſi aliter ſtatuamus marito eodem edicto interdicamus commercio, aut jus ejus ac poteſtatem coërceamus intra tutoris aut alterius cujuſdam adminiſtratoris cancellos, quos non admittere eam ſæpiùs adſtruximus, & jam obſervatum vidi Gomeſ. *ad l.* 50. *Tauri. num.* 73. *in medio.*

IV. *Quid de iis quæ Venere aut Baccho diſſipavit maritus?*

Plus difficultatis in eo eſt quod maritus prodegerit, diſſipaverit, abliguriverit, alea, Baccho, Venere. Sunt enim qui id damno ſolius mariti cedere juris & æquitatis eſſe propugnent. Quos inter Harbajus in libello illo numero juxta ac elegantia ſingulari *de reb. quotidian. cap.* 14. ibi, *quid enim ſi manifeſtiſſimè prodegerit maritus &c.* latè Valaſcus *de partic. cap.* 24. & alii prætereà multi relati apud Chriſtinæum *ad leges Mechlin. tit.* 9. *art.* 11. *num.* 10. circa finem, & poſt viſus Solis *in tract. de bonis conſtante matrimon. acquiſit. quæſt.* 23. *per totam.* Qui, ſi jus civile adſpiciant, exigentes quæſtionem ad normam ſocietatis ſimplicis, non aberrant à vero: exſtat enim in iſtam ſententiam textus ſatis apertus *in l.* 59. *in fin. ff. pro ſocio* Cæterùm multoties antè oſtenſum eſt jus obligandi uxorem promanare à viri in uxorem imperio, non à rerum inter eos ſocietate

cietate, ac præterea mariti jus ſocii alicujus adminiſtrantis cancellis minimè apud nos circumſcribi. Unde maritalis poteſtatis effectus hic maximus elucet, ut culpam prodigalitatis una luat uxor, & ita quoque eam nobiliores Belgici Scriptores videntur exaudire, Burgund. *in tract. de Evict. cap.* 34. *num.* 1. *&* 4. Neoſtad. *de pact. antenupt. obſ.* 9. *in not. circa finem:* Grot. *in ſua Manud. d. part.* 5. *verſic. uyt kracht van deſe voochdye in verb. uyt wat oorſaeck het ſoude &c.* Joan. à Sand. *lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. & noviſſimè Groenewegen *ad tit. C. ne uxor pro marito.* Non tamen hoc propterea duntaxat receptum putaverim, ne ſuper mariti moribus rigidior inſtituatur inquiſitio, adeoque anſa præcidatur litibus eo nomine exorituris, ut nonnulli tradunt: rationem namque illi, quæ nonnihil adminiculatur, adducunt, veram ac primariam rationem non adducunt. Valet quidem in dubio illa ratio, ne traducantur aut diſpaleſcant foras, domi duntaxat noti mores. Cæterùm tamen quid ſi manifeſtiſſimè prodegerit maritus, cujuſmodi ſpeciem proponit Harbajus *d. loc*? Quid ſi palam totum ſe Baccho Cererique mancipaverit? Quid ſi paſſim ſuum jactando cuivis ferè aliquid elargiatur? certè nulla hic opus inquiſitione, nedum lis aliqua extimeſcenda, ac ne quidem denudandi mariti mores cuivis hactenùs non manifeſtiſſimi. Quare vera ratio illa eſt, quæ deducitur à jure ac Poteſtate maritorum, majoribus noſtris tantum non deſpotica, de qua plura in Præliminaribus. Nec eſt quod arbitretur aliquis rationem hoc non habere. Quid? num mulier gravabitur bona ſua ejus arbitratui ſubmittere, cui ſeipſam quaſi mancipavit.

VII. *Cur uxor luat una partem illius diſpendii?*

Digitized by Google

cipavit. Quid? nonne de ſe queri ſibique imputare debet, quod cum deterioribus moribus maritum elegiſſet, aut cum videret eum, qui anteà frugi erat, aut Curios ſimulaverat, moribus retrò lapſis, aut ingenio poſteà prodito; decoctorem agere, non fuerit uſa remedio in hoc ſibi jure comparato, ut ei tanquam prodigo bonorum adminiſtratione curaverit interdici.

VIII. *Quid ſi donaverit maritus? quid ſi fidejuſſerit?* His ita poſitis, non eſt obſcurum quid ſtatuamus de duabus maximè celebrioribus quæſtionibus. An ſcilicet ea quæ donando, quæve fidejubendo conſumpſit maritus, utrumque conjugem æquo onere premant. Vix enim eſt ut non ambæ ad alterutrum horum Capitum commodè referantur. Siquidem enim eo animo interceſſit maritus pro alio, ut viciſſim paria officia quandoque exſpectet, vel ob mutua inter homines commercia, aut ſi donaverit quis ob id ipſum, quod exiſtimaret ita ex re ſocietatis fore, ſuaque quàm maximè referre, ut devinctum habeat eum, apud quem beneficium collocatur, licet in illo ſpes eum eventuſque fefellerit, perſpicuum eſt id omne egiſſe maritum adminiſtrandi animo, adeoque pertinere ad Caput primum: ut proinde ſe rectè habeant ea, quæ ſcripſit Chopin. *ad Conſuet. Pariſienſ. lib.* 2. *cap.* 1. *numer.* 10. Quod ſi verò donaverit inconſultè, aut paſſim pro quovis ſuſceperit fidejuſſiones, non minus planum eſt rem incidere in meram prodigalitatem, perindeque eſſe atque ſi Baccho prodegiſſet maritus, aut Venere, ac conſequenter ſpectare ad Caput alterum. Unde conſequens eſt dicere audiendum apud nos non videri Joan. à Sand. *d. loc.*

ut

ut obſervatum Groenewegen. *ad tit. C. ne uxor pro marito*, mulierem ex fidejuſſione non teneri ſcribentem. Pro quo tamen in Friſia complura exſtare judicata non eſt quod adeò mireris. In Friſia namque juris Romani ferè per omnia tenaci maritalis poteſtas longè contractior quàm apud noſtrates eſt, negata ibidem marito alienandi poteſtate, ac jure ejus ferè terminos curatoris cujuſdam aut adminiſtratoris non excedente, ut ipſemet obſervat Sand. *lib*. 2. *tit*. 4. *defin*. 2. Illud tamen ſubiit mirari, quod, cum quidquid maritus quoquo modo prodegerit, diſſiparit, communis diſpendii eſſe non vereatur aſſerere, neget tamen mulierem mariti fidejuſſione adſtringi: fidejuſſio quippe non ſtatim ſemper, certúmque damnum habet; habet prodigalitas. Fidejuſſio ad hominum mutua commercia conducere poteſt: non poteſt prodigalitas. Ex fidejuſſione nonnunquam compendium ad ſocietatem redire poteſt ab eo qui collatum in ſe officium agnoſcit: nequit omninò ex prodigalitate. Ne dicam quod fœdior atque turpior ſit per Venerem aut Bacchum, quàm per fidejuſſionem rerum profuſio.

Quare conſequens eſt & illos maritos una uxores adſtringere, imò inferre nonnunquam in pauperiem, qui conviviis ac helluatione patrimonium degulant, qui Veneri æs ſuum conſecrant, qui aleæ dediti ſunt, qui continuas lites in exercitio vel in amore habent, qui ſuprà vires patrimonii pretioſo & ſplendido amictu ſuperbiunt, ædificandi libidine pruriunt, promiſcua & vulgata fide pro aliis ſpondent, qui prædiorum emptione vel ædificiorum exſtructione inſaniunt, videri magis, quàm IX. *Quid de cæteris prodigalitatis ſpeciebus.*

quàm eſſe divites geſtiunt, qui per alchymiam propriæ ægeſtatis fuſores ſunt, qui quod canibus venaticis dent ad deglutiendum habent, quod ſolvant creditoribus non habent, & ſi qui præterea ſunt hujuſmodi virtutibus ornati homines.

X. *An & in fraudem uxoris vir poſſit donare, & quando præſumatur fraus interveniſſe?*

Quæ tamen hactenùs accepta velim, dummodò non fraude uxoris donaverit maritus: nam ſi conſtiterit id eum egiſſe, quo uxorem, ſuo vel ſuorum compendio, bonis interverteret, accommodandam uxori putaverim actionem ad revocationem exemplo actionis Paulianæ. Quid enim ſi uxore jam infirma vel morti vicina multum donatione inter vivos alienet? Quid ſi cuncta bona, vel maximam eorum partem citra ullam vel probabilem cauſam elargiatur? Utique in fraudem hæredum hoc factum quis non dixerit, præſertim ſi in perſonam conjunctam, liberos fortè prioris thori collata ſit donatio, cujuſmodi donationem non valere in Curia Mechlinienſi intellectum tradit Peck. *de Teſtament. conjug. lib.* 2. *cap.* 8. Atque eo ferè propendent DD. ad unum ferè omnes, vid. Charond. *en ſes Pandect. lib.* 2. *cap.* 5. *fol. mihi* 198. & *ſur les Couſtumes de Paris ad art.* 225. & *en ſes reſponſ. lib.* 8. *reſp.* 21. Chriſtin. *ad leg. Mechlinienſ. tit.* 9. *art* 2. *num.* 4. 5. & 6. & *in addit.* Gomeſ. *ad l.* 50. *Tauri num.* 74. Argent. *ad conſuet. Britann. ad art.* 408. *gl.* 4. *num.* 1. Mævius *ad jus Lubecenſ. lib.* 1. *tit.* 9. *art.* 11. *num.* 11. *poſt Chaſſan. Guitier. Tiraq. ibidem relatos.*

XI. *Contra fraudulentas alienationes accommodatur uxori quaſi Pauliana actio.*

Verùm quoniam contra fraudulentas mariti alienationes Doctores uxoribus ſuccurrendum cenſent ad exemplum Paulianę actionis, conſequens eſt dicere eodem modo ga-

viſuras

viſuras illas hac actione, quâ contendunt Pauliana creditores: ut ſi titulo lucrativo rem ſit adeptus poſſeſſor, illa omnimodò ei auferatur, ſin oneroſo, ita demum ſi fraudis particeps fuerit aut conſcius; quo tamen caſu poſteriori dicendum eſt, ceſſante illâ actione teneri maritum ad recompenſam, idque ipſum & à Coquille obſervatum vidi *ſur les Couſtumes de Nivernois tit. des Droits apparten. art.* 3. Gomeſiò placet hæc diſtinctio; ut ſi quantitatem fraudulenter alienaverit maritus, eo demum excuſſo, ſin ſpeciem, indiſtinctè poſſeſſor conveniatur Gomeſ. *ad art.* 50. *num.* 74.

Hactenùs de duobus membris prioribus, ſequitur poſterius, ea complexum, quæ nec adminiſtrandi animo nec per dilapidationem geſſit aut donavit maritus, ſed ſuâ ſolius gratiâ aut contemplatione ſuorum donandi cauſa ad unum maritum ſpectante; ut puta, ſi dotaverit filias prioris matrimonii. Ad jus mariti ſi adſpexerimus, utique is donandi ſeſeque quocunque modo obligandi, poteſtatem habet, ſecundum ea quæ diſſeruimus ſuprà, & quæ de hac ipſa quæſtione commentatur Chopin. *ad leges Pariſienſ. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 11. *in margine.* Cæterùm tamen illud videndum, an non æquum ſit uni marito donatum illud imputari, ſervatâ uxore indemni, data nimirum ei actione, quâ ſoluto matrimonio communioni tantundem rurſus inferendum, vel ex bonis communibus à ſe præcipiendum eſſe poſtulet. Cujus quæſtionis decidendæ ratio cum in modo potius ac qualitate communionis inter conjuges introductæ, quàm in maritali conſiſtat poteſtate, tractatio ejus alterius loci eſſe videtur. Attamen cùm valdè

XII. *Si vir dotaverit filias prioris matrimonii, an ſolvenda ſit dos ex mariti duntaxat bonis, an verò imputanda ſocietati?*

Digitized by Google

ſit affinis materiæ noſtræ, ac viderim Chopinum *d. num.* 11. referre illam ad frenos quoſdam quibus poteſtas maritalis coërcetur, & juſtos intra modulos coarctatur, non ægrè feret lector, ſi quid mihi ſuper hac re ſit ſententiæ, non potiùs, quàm alias, exponam. Status igitur quæſtionis eſt, utrùm hæc dos imputanda ſit dotanti ſocio, an ſocietati? Quæſtio apud Doctores ſatis eſt nobilitata, doctiſſimoque Fabro anceps viſa, & magnis in utramque partem rationibus ſuffulta. *In Rationalib. ad l.* 81. *ff. pro ſocio.* Communior eorum ſchola non malè exiſtimat contracta bonorum omnium ſocietate, eidem imputandam eſſe dotem ab uno ſociorum promiſſam, particulari verò, qualis eſt damnorum & quæſtuum, non item. Doctores laudantur à Surdo *de Aliment. tit.* I. *quæſt.* 86. *num.* 7. *& tit.* 6. *quæſt.* 13. *num.* 12. Chopin. *ad leges Andium lib.* 3. *tit. de donat. inter conj. numer.* 20. *in margine* quorum acervum more ſuo admetitur Harprecht *ad princ. Inſtit. de ſocietat. num. mihi* 25. adde Caſtil. *de uſufruct. cap.* 2. *num.* 42. *&* 43. Differentiæ ratio in eo collocatur, quod in ſocietatem omnium bonorum veniunt ut lucra, ita & damna qualitercunque & undecunque obvenientia: in poſteriorem verò ea tantum, quæ reſpectu ſocietatis contingunt, tradente Corenio *conſil.* 18. vel potius in univerſalem ſocietatem veniunt cujuſque debita antè matrimonium contracta, non veniunt in particularem. Dotis onus debitum ſocii patris eſt, ideoque à ſocietate ſuſtinendum; eo magis quod dotem ſuo tempore conſtituendam fore ignorare non potuit is, qui contraxit ſocietatem cum filiam habente, vid. Hect. Felic.

de

de Societ. cap.26. num.21. & alleg.ibid. & Donell. *ad tit. C. Pro ſocio num.* 19. Unde dotans hic maritus non tam donare dicendus ſit, quàm debiti ſolutione defungi: adhæc cùm partem lucretur uxor in legitima, ad quam ſibi debitam portionem ex ſui patris bonis contendit maritus, cur non quoque partem & ſuſtinebit uxor in dote, quam filius mariti tanquam ſibi debitam exegerit à patre, dote illa legitimæ vicem exhibente vel ſaltem in eandem cedente. Nonne ita ferè toto jure comparatum eſt, ut commoda incommodis, & contra ſint conjuncta? Aliter atque comparatum eſt cum dote voluntaria, quæ nullâ neceſſitate cogente mera ex liberalitate proficiſcitur, & in hanc ſententiam rectè diſputatum eſt à Chopin. *d. num.* 11. adducto & eo argumento, quod coito univerſarum fortunarum conſortio impendium commune fiat cum lucro: quæque in honorem alterius liberorum erogata eſſent, utriſque imputentur *l. ſi ſocietatem univerſorum l. cum duobus, §. ſocium univerſa ff. pro ſocio.*

XIII. *Differentia ſimplicis omnium bonorum ſocietatis & ejus quæ connubialis eſt.*

Ne dixeris aliam eſſe rationem ſocietatis univerſalis æſtimandæ ex jure civili, aliam connubialis conſuetudinariæ; ab illa quippe ad hanc ſocietatem negativè deſumptum argumentum rectè non admiſeris, ut puta non venit in legalem illam, ergo nec in conſuetudinariam illa uberiorem: cæterùm affirmativa inde petita argumentatio adeo non rejicitur, ut & de majori ad minus, vel, ut cum Doctoribus loquar, in terminis fortioribus collecta ſit conſequentia: vel ideo quod longè amplior diſponendarum rerum libertas permiſſa ſit marito quàm alii ſocio adminiſtratori.

Socius omnium bonorum plus ſua parte alienandi jus non habet; habet maritus. Socius ex mutuo ſocii non obligatur, niſi in communem arcam pecuniæ verſæ fuiſſent, *l.* 28. *ff. pro ſocio.* Marito cujuſlibet, uxori vix ullius æris alieni contrahendi licentia eſt. Quidquid alea perdiderit ſocius è medio non eſt laturus *l.59.§.1.ff.eod.* A marito autem quicquid mutuo ſumptum, decoctum, vel luſu diſperſum eſt, cedit diſpendio utriuſque. Itaque quis non perſpicit vim argumenti, ſi dixerimus, dos data filiis imputatur ſocietati legali, imputabitur ergò & connubiali illa lagali ampliori.

XIV. *Quia in ſocietate duntaxat quæſtuum, & quid ſi paternæ hæreditati filia ita dotata abſtineat?*

Quid igitur, num in particulari ſocietate reſtituet dotata de communi privigna dotis dimidium novercæ? nequaquam, ſed pater, ejuſque ſucceſſores in communem cum noverca ſubſtantiam communioni reddent, imputabuntque, ut rectè annotatum à Chopin. *d. num.* XI. *in margine.* Cave dixeris in fraudem uxoris conſtitutam dotem; quæ enim fraudis ſuſpicio premit eum, qui dat juſta ex cauſa, imò ex neceſſitate? ut hæc res eadem in cauſa ſit, ac ſi maritus debitum aliquod aliud antè matrimonium à ſe contractum perſolviſſet ex communi cum ſecunda conjuge pecunia: quando nimirum idem id juris eſt ut præcipiatur tantundem ab uxore in diviſione, niſi forſan immodicam pecuniæ ſummam doti dixiſſet maritus, fraudis exinde arceſſens in ſe ſuſpicionem. Unde ſi renuntiaverit filia paternæ ſucceſſioni, nulla novercæ ſupereſt condictio pecuniæ in privignam, aut ejus maritum, qui eam receperunt; idem notante Chopino *ad leges Andium d. num.* 20. *in margine.*

Quid

Quid igitur, ſi coita univerſali inter conjuges ſocietate filia à vitrico dotata diſſoluto matrimonio hæreditatem maternam creverit, revocabitúrne in medium quod datum eſt? diſtinguendum videtur. Eſt ubi collatio fit etiam in commodum ſuperſtitis, ut apud Hollandos, teſte Groenew. *ad l.* 14. *C. de jur. dotium & ad tit. de Collat.* Eſt ubi non fit, ut apud Mechlinienſes, Chriſtin. *ad leg. Mechlin. titul.* 6. *articul.* 4. Ubi collatio ſuperſtiti non proficit, fruſtrà compelletur filia ad dotis contributionem. Cæterùm commodo ſuperſtitis ubi frequentatur collatio, & hìc eadem facienda videtur. Nec eſt quod objeceris in omnium bonorum ſociis conjugibus dotem de communi conſtituendam eſſe, non aliter ac ſi debitum ſocii quodcunque aliud perſolvatur, ut conſequens eſſet dicere dotem ſocietati ſuperſtitis adſpectu non eſſe reddendam; dos quippe ac legitima debita quidem ſunt à patre vel ex bonis ejus perſolvenda, cæterùm confertur illa, & hæc partem facit in ponenda ratione portionis hæreditariæ: ſecus quam ſi quis dote contentus paternâ hæreditate abſtineat. Proinde, ut hoc addam, utrobique obtinebit, ut eorum quæ in honorem filii ſunt erogata, pars dimidia uxori non reſtituatur, quod nulla in iis obtineat collatio *l.* 1. *§.* 16. *ff. de Collat.* ſed ſociis utriſque imputentur *d. l. ſi ſocietatem univerſarum.* XV. *An in univerſali ſocietate privigna conferat dotem ſuperſtiti & quid, ubi in commodum ſuperſtitis non obtinet collatio?*

Quid autem ſi non liberis, ſed conſanguineo alicui dotem erogarit vel promiſerit maritus? Exſtat judicatum apud Charondam *en ſes Reſponſ. lib.* 6. *Reſp.* 83. quo cognatæ datam dotem ſocietati non iri redditum Curia Pariſienſis cenſuit. Contra ejuſdem Curiæ ſenatorium XVI. *Dos à marito data conſanguineo ſibi ſucceſſuro, an matrimonio ſoluto imputanda dotanti?*

 torium

Digitized by Google

torium decretum laudat Chopinus *de morib. Pariſ. lib. 2. tit. 1. num. 32. in fin.* quo placuit uſque adeo ſinceram fidem in ſocietate conjugali exigi, ut à marito donata ſorori fratriſve filiis in medium revocari oporteat, ac diſſoluto matrimonio ab uxore dividi cum donatoris hæredibus ac donatariis. Aliud itaque atque aliud ſub eodem tecto judicatum dixeris, niſi forſan Chopini decreto lucem fœneremur ab ejuſdem ſummario, quo ſcribit marito nefas eſſe conjuncto dare in fraudem uxoriæ communitatis: ut videatur innuere pro fraudulenta habitam ejuſmodi largitionem, tanquam factam citra probabilem cauſam, cum apud Charondam dos eſſet data cognatæ, marito ſucceſſuræ, & quidem mediocris, ut illud judicatum interpretatur Papon *lib 25. tit. 2. arreſt 24. in notis*, ut dotis illa mediocritas videatur omnem fraudis ſuſpicionem excluſiſſe. Quid igitur; an conſanguineus à marito, cui ſucceſſurus erat, dotatus, ſibi habebit donatum, non refuſa ſuperſtiti dimidia dotis quantitate? Non malè mihi videor tentare æquum eſſe, ut fiat uxori refuſio: cùm enim donaverit maritus ei, qui ſibi quandoque futurus eſſet hæres, oportet illud haberi factum, ſaltem uxoris adſpectu, in anticipationem hæreditatis. Equidem modica ſi ſit donatio, negaveris forſan ejus habendam eſſe rationem, ſin autem ſit momentoſa, dixeris eam ab hærede donatario retineri vix poſſe, quin in fraudem uxoris apertè redundet liberalitas. Quare Molineus, ingens quondam fori Gallici ornamentum, Pariſienſem legem, quâ citra fraudem maritis diſponendi conceditur facultas, ita interpretatur

tatur; dummodò non ſibimetipſi, aut ei qui ſibi futurus ſit hæres, adjiciat aliquid, quod communioni detraxerit, ut laudato eodem Molineo tradit Buridanus *ad Conſuet. Veromanduor. art.* 18. Et profectò quis non dixerit, quanto magis ſponte ſua nullo jure cogente dotat maritus, tanto minus æquum eſſe partem uxori imputari. Ne dicam, quod conceſſa maritis proximos quoſque conſanguineos, eoſdemque hæredes futuros dotandi libertate, via ſterneretur, quâ mariti uxores tantum non fortunis evertant, aut hæredibus ejus ſucceſſionem reddant inutilem, adeoque & publicè interſit ejuſmodi exempla non admitti. Quæſo quid iniquius, quàm uxorem à marito bonis privari, ut ditentur hujus conſanguinei, illam non contingentes? Itaque nihil ab æquitate alienum traditurus videor, ſi cum Chopino & Molineo fraudis arguerim dotationem: ſive ita potiùs diſſeruerim, exſtare adhuc intelligi & marito adeſſe, quicquid eſt apud ejuſdem hæredes, adeoque cum utilitas erogati, alteri tantum è conjugibus cedat, extare potiùs pecuniam videri, de communi ſumptam, quàm conſumptam, adeoque ad exæquanda ſocietatis jura rationem exigere, ut tantundem à muliere aut ejus hæredibus in diviſione præcipiatur; cujuſmodi repræſentationem non ineleganter ſibi fingit alibi doctiſſimus Argentreus *ad art.* 408 *gloſ.* 6.

Atque hæc quidem dicta ſufficiant, quatenùs viri contractus adſtringit uxorem; non quod omnes hic exhibuerim ſpecies, quæ ſuper eo poſſent moveri: Tiraquelli iſte labor fuit, qui nihil non, etiam quod extra dubita-

Digitized by Google

tionis aleam ſit poſitum, more ſuo congeſſit copioſè; ſed quod eas tractaverim hypotheſes, quæ JCto. adferre poſſent ancipitem curam dubitandi. Nunc deinceps videamus, an non & uxor aliquando ſine viro contrahendi habeat facultatem. Sanè ſi propalam tractet mercimonia, vel una cum viro, vel ſola, ita ut ille non veniat in partem laboris, vulgatum eſt geſtis uxoriis, mercaturam illam concernentibus, teneri maritum. An mercatrices eiuſmodi publicas Romana vetuſtas habuerit operæ pretium non eſt inquirere; cùm mores eas paſſim admittant. Quanquam non acceſſerim Coraſio, qui *lib. 3. miſcellan. cap. 5. numer. 1.* ex *l. penult. ff. de edendo,* colligit mulieri vetitam negotiationem, cum illa lex ſcripta ſit de argentaria, cujus officium publicam quodammodò cauſam habere dicitur *l. Argentar. ff. de edendo* Rectiùs mihi ex *l. pediculis 32. §. idem cum quæreretur, ff. de auro & argento legato.* colligi videtur & apud Romanos fuiſſe mulieres, quæ negotiatrices eſſent. Illud quidem conſtat colus, lanæ, lini, exercitium plus decere mulieres, quàm quodvis aliud, graviorumque operum tractationem iis eſſe negatam. Ceterùm tamen apud multas hodiè gentes, & jure quidem præcipui in æquoreis Batavorum locis ejus induſtriæ ſe probavêre mulieres, ut quævis ferè mercimonia tractent. Modus tamen olim fœminis Hollandicis datus eſt, ultra quem maritos non obligarent, ſi nimirum cereviſiæ cocturam curaret uxor, vel piſtrix eſſet, ultra unius cocturæ pretium, nulla viro ab ea obligatio: nec iis, qui lini, lanæ, fili negotia tractant, plus diſpendii viris adferre poteſtatis erat, quàm pon-

XVII. *An fœmina apud Romanos remota prorſus à negotiatione?*

XVIII. *An apud Hollandos?*

Digitized by Google

ponderis cujuſdam, vernaculo ſemone *ſteen*, narrante Grotio *in ſua Manuduct. lib. 1. part. 5. verſic. hier jeghens een gehoude Vrouwe.* A quo Hollandorum more non longè abludit lex illa Attica, quâ ſpeciatim mulieribus præſcribebatur certus commerciorum modus, ne ultra ſex modios hordei poſſint mercari, ut Dion Pruſienſis tradit libro de non temerè credendo. Quod tum temporis apud Hollandos in magna veterum paupertate ſuffeciſſe dicit Grotius. Verùm poſt, commerciis atque opibus accreſcentibus paſſim mulieribus quævis ferè mercimonia tractandi libertas data eſt, nec id quidem diſpendio virornm, quibus ſæpè per otium atque ignaviam ætatem agentibus quæſtum uxores uberrimum, tanquam aureum imbrem, in ſinum effundunt.

XIX. *Quod mercatrix obliget virum, ab hujus eſt voluntate.*

Ne tamen hoc ita accipito, ac ſi mulieres illa ſua negotiandi ſolertia id privilegii demeruerint, ut ad tractanda mercimonia, quandocunque libuerit illis, valeant accedere viris vel reclamantibus: cederet enim hoc in imperii maritalis imminutionem, quod viris illibatum ſervari conveniens eſt. Quare ita dicendum, mulieres mercandi induſtria à viris hoc impetraſſe, ut tam frequentes hodie negotientur, quæ cum mercentur palàm, viri id habentur agere voluntate ac mandato, tanquam qui uxorem ei negotiationi præpoſuerit, ut ſuo vir facto dicendus ſit ſemetipſum adſtrinxiſſe; cùm non ad ſingula tantum negotia, ſed & in univerſum genus aliquod maritum conſentire poſſe jam antè tradiderimus. Unde conſequitur ſi quid geſſerit uxor fines negotiationis excedens, id maritum non obligare, tanquam in hoc à viro non conſtituta,

nec mandatum habens, adeoque ſi fidejuſſerit mercatrix , vel judicatum ſolvi, vel de judicio ſiſti, viri diſpendio non tenet ad commercia non ſpectans obligatio; laudat judicatum Mævius, quo ſua ex fidejuſſione, pro conductore fundi interpoſita, ad tabernam non pertinentis, conventa mercatrix litem pro ſe abſtulit *lib. tit.* 10. *art.* 1. *num.* 70.

De eo qui patitur uxorem negotia ſui muneris explicare.

Plerique qui mulieris maritatæ contractus ratos eſſe jubent, intra negotiatricis ſpeciem conſiſtunt: & quidem Argentreus adeò diſtrictè, ut ſtatutum patrium, quo mulieri mariti obligandi facultas extra negotiatricis ſpeciem denegatur, eo nomine reprehendat quod citra particulam taxativam, *ſolam*, conceptum ſit: ut videatur ille caſum prætereà nullum admittere. Verumenimverò fac pati virum, cùm quæſtor ærarius vel theſaurarius eſſet, aut ſimili in officio poſitus, ut uxor recipiat pecunias, apochas det, adeoque per omnia in fungendo munere ſuas vices expleat, num aliud à mercatrice reſpondendum videretur? minimè: cum enim in negotiatrice ſolus mariti conſenſus ſit in cauſa, ut ab uxore obligetur, utique & hic conſenſum ejus qui paſſus eſt uxorem palam ſuum munus obire, tantundem valere oportere rationis eſt. Quæ tamen cum hac mica ſalis accepta velim, ut bonâ fide tranſigantur omnia: quid enim, ſi negotij aut muneris terminos exceſſerit uxor , ut cum ad illius explicationem aut exercitium unum alterumque mille ſufficerit, illa centena aliqua mutuo ſumat? Utique partes judicis erunt pro natura negotii ita conſtituere, ut nec maritus ultra intentionem æri alieno nimium implicetur, nec magno præ-

præjudicio adficiantur qui cum muliere bonâ ſide contraxerint. Adſtipulatorem habeo Cocquille *en ſes Queſtions. q.* 103. Nec ab eo videtur alienus Gomeſius *ad. l.* 54. *Tauri num.* 6.

Eſt & illa exceptio patriæ civitatis ordinatione comprehenſa *Rub.* 22. §. 4. quâ mulieri nefas eſſe ſtatuitur obligare virum debito aliquo, quod magni ſit momenti, vernaculè *eenighe notabele, ofte merckelijcke ſchulden*, quam exceptionem coincidere putaverim cum eo quod apud Doctores traditur, contrahere poſſe & obligari mulieres nuptas in iis, quæ œconomiam ipſis demandatam concernunt: veluti cum quid familiæ exhibendæ cauſa geritur, de quo Harbajus §. 20. Sand. *Deciſ. Friſicar. dict. defin.* 8. Groenewegen *ad tit. C. ne uxor pro. mar.* Si enim grande æs alienum conflaverit uxor, velut in familiam impenſura, rectè Harbajo placuit in arbitrio judicis eſſe, an maritum aut ſemetipſam obligaverit, rem ſcilicet æſtimaturi ſecundùm viri dignitatem, conjugum opes, & familiæ numerum. Ut hæc exceptio rectiùs expreſſa videatur Statuto noſtro, quod debiti contracti quantitatem æſtimandam conſtituit: quâ oratione, grandia debita comprehenſa non dixeris. Hinc cùm non ita pridem uxor viri noſtratis (nomen non eloquar) in re ſatis lauta verſantis, gemmas ac lina pretioſa coëmiſſet, eaque viro deſerto ſecum abduxiſſet in fugam, ac creditores egiſſent in virum: multis dominorum videbatur non eſſe, ut vir ſolutionem effugeret, eo quod ſæpiuſculè uxorem paſſus eſſet ejuſmodi res pretioſas mercari. Verùm judex ad ſententiam non proceſſit, viro per ſolutionem damnationem antevertente. Ut dubi-

XX. *Minuta debita contrahere permiſſum maritæ.*

dubitem an rectè reſponderit Argentreus *ad art.* 424. *gloſ.* 2. *num.* 2. denegandam creditori actionem adverſus inſcium maritum, de eo quod impendiſſet uxor, quæ magnam vim ſerici ſumpſiſſet de mercatore data ſyngrapha, cùm tamen ex conditione perſonæ ultra modum factum non eſſet, eo quod neget ille modi arbitrium in poteſtate alterius eſſe debere, quam mariti, ſi præſens eſt, nec præterea rationis eſſe, ut maritum inſcium obliget mulier ſumptibus non neçeſſariis. Nam, ut mihi videtur, licet in creditoris arbitrio hujus rei æſtimatio non ſit, eſt tamen in judicis: qui utique eam pro conditione perſonarum exequetur, non commiſſurus, ut creditor, qui habitâ ratione conditionis illius cum maritata bonâ fide in creditum iverit, eo nomine careat actione. Temperanda proinde res eſt, ut nec facilè maritus per uxorem ære alieno involvatur, nec damno afficiatur is, qui bonâ fide contrahens ſtetit intra illum modum, qui à conditione perſonarum determinatur. Obiter & illa attexenda exceptio eſt ſtatuto patrio comprehenſa, qua tenetur vir contractu uxorio, quo facti ſunt ambo locupletiores: neminem enim cum alterius jactura fieri debere locupletiorem jus ratioque juxtà dictant.

XXI. *Ratificatio mariti æquipollet ejus mandato.*

Porrò neceſſe non eſt ut in ipſo contractu accedat mariti conſenſus: ſuffecerit quippe quandocunque ac quomodocunque conſtare de conſenſu ejus aut ratihabitione Harbaj. §. 18. Sand. *Deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit:* 4. *defin.* 3. cùm enim non ob formam actus, ſed propterea duntaxat vetita ſit apud nos citra maritum uxoria obligatio, ne ſcilicet fiat præjudicii

dicii quippiam viro nolenti, conſequens eſt dicere, ſimul atque de ejus voluntate conſtiterit, nihil ultra dari quod obligationi roborandæ ſit impedimento.

De ea muliere, quæ contraxit utiliter, quæ bonis à viro ſeparata eſt, cujus maritus ceſſit bonis, abſens vel furioſus eſt, vel recuſat auctor fieri & quæſtionibus conſimilibus videbimus infrà titulo de actionibus, ubi ſingula illa excuſſimus fusè. XXII. *De muliere mariti abſentis &c.*

Tandem ut huic Capiti imponamus colophonem: adeóne diſtrictè vetitum eſt uxori contrahere, ut nec liceat ei filiæ doti quippiam dare? Omninò: favor enim dotis nihil hic derogat poteſtati virorum, quorum intereſt ſibi jus & arbitrium de rebus uxoriis diſponendi conſervari illibatum. Conſentit Boër. *ad Conſuet. Bituricenſes Rub. des Mariages & Douaires* §. 1. *num.* 11. vid. Charond. *en ſes Reſponſes lib.* 2. *cap.* 48. quamvis in ſententiam contrariam citet arreſtum Buridan. *ſur les Couſtumes de Vermandois art.* 19. XXIII. *An ſine marito nupta poſſit dotare?*

Plus difficultatis in eo eſt, an ſubſiſtat uxoris promiſſio facta pro mariti redemptione, eo inconſulto? Et proclivius itum eſt in partem affirmativam, argumento ducto ex *l. ſi pro aliquo* 21. §. 1. *ad S^tum. Velleianum*, qua negatur S^to. tutam eſſe mulierem, quæ quid liberaliter fecerit pro patre, ne ſcilicet ille judicatus propter ſolutionem vexaretur. Ac præterea quod ſumma ſit ratio, quæ pro hac religioſiſſima obligatione facit. Plura cumulat Annotator ad Loüet *lit. A. cap.* 9. *lit. B.* Tiraquell. *de legibus connubial. gloſ.* 8. *num.* 228. quem laudat Mornac. *ad l. cum is qui*, §. *mulier ſi in ea opinione ſit, ff. de condict. indebiti*, id protendens

ad

ad ſorores. Quod tamen ita demum admiſerim ſi mariti negotium geſſerit non adeo inutiliter. Contra erit ſi minori ſumma alióve modo manifeſtum fuerit potuiſſe virum liberari. Cæterùm id ipſum ſi ſit in ambiguo, quanquam præſtitiſſet tum judicis auctoritatem fuiſſe adhibitam, non puto tamen eum peccaturum, qui communi opinioni adhæſerit. Quemadmodum & in hac ſpecie, ubi eadem illa pietas cauſam obligationi dederat Senatus Pariſienſis judicavit adſtringi mulierem, quæ caviſſet apud acta judicio ſiſti pro marito, eapropter carcere liberato: pietatis quippe cauſa valere juſſit Velleiani apices inquit Mornac. *ad d. l. ſi pro aliquo.* Qui tamen vereor ut ſatis appoſitè hæc ipſa limitaverit, niſi vis adſit *ad d. l. cum is qui.* Exceptio enim illa non magis ad hanc, quàm ad aliam quamvis metu contractam obligationem pertinet: adeoque ad generalem illum locum, quo quæritur, an vi metúſve cauſa geſta, rata firma ſint?

CAPUT. II.

De jure maritorum circa quaſi contractus.

SUMMARIUM.

I. *An uxor hæreditatem ſibi delatum poſſit adire?*
II. *An apud noſtrates?*
III. *An ibidem maritus improlis?*
IV. *An tutò ſolvatur uxori clam viro?*

I. *An uxor hæreditatem ſibi delatam poſſit adire?* Quemadmodum per contractum uxorem obligat maritus, ita & per quaſi contractum, qui locus adeo non videtur obſcurus,

rus, ut opus ſit ſingulatim ſpecies ejuſdem excutere. De hæreditatis aditione Gallorum dubitatio eſt, apud quos maritalis poteſtas contractior eſt, quàm apud noſtrates, ut ſuper hoc ipſo fidem faciunt diſputata *Loüetii en ſon Recueil. lit. M. cap.* 25. Illud tamen mireris, quod abnuente marito auctoritatem conjugi hæredi, quo delatam ſibi hæreditatem poſſit adire, judex eandem interponat citra diſpendium viri, ut executio fiat in uxoris patrimonia ſola. Chopin. *de morib. Pariſior. lib.* 2. *tit.* 1. *de communicatione bonorum inter conjuges num.* 15. *in medio.* Quæſo? qui poterint executi patrimonia uxoris citra viri diſpendium, qui ſtante matrimonio ferè partem fert in fructibus & reditibus. Deinde nec diſſoluto matrimonio creditoribus in uxorem actio eo nomine comparata eſt; quæ cùm ſit in poteſtate viri, neque adire neque repudiare hæreditatem potuit *Arg. l.* 6. *qui in aliena l.* 18. *is poteſt ff. de acquir. vel amittend. hæredit.* quarum legum argumento idem ex Hollandorum moribus probat Groenew. *ad l.* 5. *ſervus dotalis ff. ſoluto matrim.* Jure tamen patrio, cum uxor è contractu ſtante matrimonio inito, efficaciter teneatur ſoluto, conſimiliter tum eam ex hoc quaſi contractu conveniri poſſe putaverim à creditoribus hæreditariis. Quod autem Chopinus tradit maritum abnegantem auctoritatem uxori hæreditatem adeunti, hac profeſſione ſemet eximere, ſuaſque res connubialis ſocietatis, recipit forſan interpretationem ex ejus ſummario, *ad leges Andium lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 19. quod ita habet, *de hæreditariis debitis maritum non teneri, ſed hæreditaria bona duntaxat.* Quid autem, an noſtras maritus, qui ex uxore

II. *An apud noſtrates?*

III. *An ibidem maritus improlis,*

re

re liberos non habeat, cuique immobilium alienatio citra uxorem interdicta ſit, delatam hæreditatem poterit adire? Dicendum videtur, cum per contractum, quilibet maritus obligandæ uxoris jus habeat, poſſe eum & hæreditatem adire, quâ aditione non alienat, ſed quaſi contractu perſonali actione ſe creditoribus obligat. Utrùm autem repudiandæ hæreditatis jus habeat conjugum quilibet dicemus Capite ſequenti.

IV. *An tutò ſolvatur uxori clam viro?*

Diximus de contractu juxtà ac quaſi contractu, ſubjiciamus quod ad utrumque pertinet. An nimirùm ex contractu vel quaſi contractu debitor uxori ſine marito ſolvat tutò. Et magis eſt, ut nec contrahere, ita nec contractum diſtrahere uxorem poſſe: vertitur enim utrimque diſpendii maritalis ratio, cujus intuitu commerciis arcetur illa. Undè ſupremæ Curiæ Hollandiæ deciſionum octuageſima-nona cum hac inſcriptione comparet. Qui inſcio marito uxori ſolvit, debiti ſolutione non liberatur, niſi id quod ſolutum eſt in rem mariti verſum eſſe probetur. Proinde multo minus continget liberatio ejus, quod ipſi marito promiſſum eſt: Curiæque noſtræ aliquoties probatum ſolutione factâ uxori non liberari debitorem à maritali actione, In cauſa *van Aert van Charlois, contra Ior. Balthaſar van Buyren* 1. *Februarii* 1591. & in cauſa *van Aert Steen contra Geerloſ Aelbertſen den* 22. *September* 1550. Et non ita pridem me præſente in reauditione: Ut merito mireris, quod ſic ſcribat in Topicis Cicero, non, quemadmodum quod mulieri debeas, rectè ipſi mulieri ſine tutore auctore ſolvas: ita, quod aut pupillæ aut pupillo debeas, rectè poſſis eodem modo

modo ſolvere. Hæc tamen apud nos hoc temperamentum receperint, ut ſi non adeo magnæ quantitatis ſit debitum quod uxori ſolutum eſt, debitor liberetur: cum enim ſuprà ſtatuto patrio cautum eſſe dixerimus inhiberi duntaxat mulierem contrahere debitum, quod ſit momentoſum, ſequitur nec liberare eam poſſe debitorem magnæ aut conſiderandæ quantitatis, adeoque per contrarium minima nomina tutò à muliere expungi, quæ res pendet ab arbitrio judicis.

CAPUT III.

De Poteſtate alienandi inter vivos.

SUMMARIUM.

I. *Apud Hollandos cuilibet marito alienare licet.*
II. *Apud noſtrates ei duntaxat, qui prolem habuerit.*
III. *Diſquiritur de patria conſtitutionis ratione.*
IV. *De viro ab uxore ſeparata, de Hollando res Vltrajectinas alienante remiſſivè.*
V. *An in quoſlibet reditus ſcripta conſtitutio?*
VI. *An in reditus debitos à Provinciis?*
VII. *An in bona Hollandica?*
VIII. *An in diviſionem hæreditatis?*
IX. *An in ſervitutis impoſitionem?*
X. *An in alienationem cauſa dotis?*
XI. *An in hypothecam legalem?*
XII. *An in hypothecæ diſſolutionem?*
XIII. *An omittendo rebus immobilibus excidat maritus improlis?*
XIV. *An committendo?*
XV. *An repudiet hæreditatem?*
XVI. *An tranſigat de re immobili?*

XVII. *An uxoris ratihabitione convaleſcat alienatio?*
XVIII. *An nulla ſit alienatio in totum?*
XIX. *Quid ſi emptor agat quanti interſit res habere?*
XX. *An uxor mercatrix alienet res ſoli?*
XXI. *De muliere à viro ſeparata, mariti furioſi, abſentis.*

De contractibus & quaſi contractibus hæc dicta ſunto, qui actionem generant perſonalem; progrediamur ad alienationes, quibus realis inducitur effectus. Et quidem primò videamus, quam alienandi poteſtatem

I. *Apud Hollandos cuilibet marito alienare licet.*

habeat maritus, deinde quam maritata. De marito apud Hollandos ita jus eſt, ut quaſvis ille res mobiles, vel immobiles, uxorias juxtà ac ſuas citra uxorem validiſſimè alienet. Patriæ verò civitatis conſtitutione temperamentum id juris recepit, ut ſi prolem ex uxore habeat maritus & immobilia ritè citra eandem alienet, aliàs non alienet. Exſtat articu-

II. *Apud noſtrates ei duntaxat, qui prolem habuerit.*

lus ſecundus *Rubrica 22. Ordinationis noſtræ* in hæc verba: *Man of Wijf, die geen geboorte met malkanderen hebben, en moghen geen huyſingen, Hof-ſteden, Erven of Renten, overgeven of weerloos worden voor't Gerecht, ten ſy met gheſamender handt. Id eſt.* Vir aut uxor, qui prole communi carent, ædes, prædia, res ſoli, vel reditus alienandi aut transferendi coram judicio, niſi conjunctim, jus non habeto. Defungat hic vice commentarioli, ut poſſim dubitationes ſuper eo provenientes excutere. Et quidem in initio eſt quod mireris, viro uxorique æqualiter, eodemque modo ſeparatam hanc alienationem tum inhiberi cùm liberos non habuerint; perinde ac ſi argumento, ducto à contrario ſenſu, ſuppetentibus liberis, viro uxorique juxtà

tà permiſſa eſſet ea alienatio : cùm conſtet ſolius mariti eas eſſe partes, uxori ad alienandi poteſtatem prole nullâ proficiente. Apparet hic orbo denegari, quod datur ei, qui liberos ex uxore ſuſtulerit: & ſubeſt ratio; quæ tamen cujuſmodi ſit videamus. Num conſtitutum id in præmium ſobolis procreatæ, ac utilis ea propter Reipublicæ operæ navatæ? Certè aliquando apud Romani juris conditores hic honos habitus eſt fœcunditati, ut ſimulatque alicui nomen contigiſſet, patris, hæreditatis & omnis legati, atque etiam caduci capax redderetur; Exprimente id Juvenale.

III.
Diſquiritur de patria conſtitutionis ratione.

Quod tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me,
Iura parentis habes, Propter me ſcriberis hæres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

An verò propterea id ſancitum, quod liberorum procreatione noſmetipſos eo arctiori nexu devinxerimus Reipublicæ, ut vel liberorum ergo commoda ejuſdem diligentius videamur procuraturi; unde & ad munera quædam orbos non admitti alibi mos habet, ut propterea & in noſtro caſu per liberos id privilegii videamur promeruiſſe. An potiùs, quòd una cum prole creſcat cura rei familiaris, & rerum tuendarum ſtudium, ut ſuum non præſumatur ille jacturus vel alienaturus inutiliter, cui præter uxoris, etiam prolis exhibendæ cura incumbit. Quæ ratio poſterior anteſtabit forſan prioribus, vel ſaltem ad naturam negotii hujus accedit proprius.

Miſſâ conſtitutionis ratione, diſpiciamus ſequentia.

Digitized by Google

Primo cujuſmodi maritus gaudeat alienandi jure.
Tum de quibus rebus teneat hæc alienandi prohibitio.
Deinde quo alienandi modo.
Ac denique de prohibita alienationis effectu.

IV. *De viro ab uxore ſeparato. De Hollando res Vltrajectinas alienante remiſſivè.*

De viro cenſu ab uxore ſeparato quæri ſolet, an uxoria bona alienet efficaciter: ſed de ea quæſtione quid reſpondendum exiſtimaverim aperui infrà cap. 1. tit. 3. De marito quoque Hollando, cui per leges domicilii permiſſa eſt indiſtinctè immobilium alienatio, an validè alienet bona Trajectenſia, ſi liberos non habuerit, quid reſpondendum exiſtimem, patet ex iis quæ de caſu converſo diſſerui fusè *tract. De jure quod oritur, cap. 5. num. 9.* In res ſoli, ac reditus ſcripta eſt hæc prohibitio. De prioribus vix ulla occurrit dubitatio.

V. *An in quoſlibet reditus ſcripta conſtitutio?*

De reditibus quæſiveris, an ii duntaxat intelligantur, quorum nomine conſtituta eſt hypotheca, an & alii quivis? Indefinita ordinationis oratio eſt, ut ea qualeſcunque reditus, quorum ſors alienata eſt, comprehendendi videantur. Nec enim facit ad ſummam prohibitionis, hypothecæne reditus innitantur, an non: illud facit, reditus omnes reſpectu uxoris eo animo conſtitutos haberi, ut ſint inſtar corporum ſtabilium, unde quotannis fructus percipiuntur, ut non minus eos conſervari, quam domos & prædia uxoris interſit; & quidem ſortis, qua comparatus eſt reditus, nulla unquam apud nos eſt repetitio, quod juris à Canoniſtis profectum durat etiamnum, qui damnatis in univerſum uſuris, remedium quoddam excogitarunt, quo per alienationem ſortis, & certi reditus emptionem,

nem, conſcientiam tranquillarent; aliud quanquam ſit, ſi pecuniam maritus mutuo dederit ad tempus, vel ad libitum repetiturus, una cum eo quod ejus interfuerit pecunia illa caruiſſe, ut tum in eadem cauſa rem eſſe ducant, ac ſi apud maritum pecunia aliqua numerata exſtaret, cujus illi ſit uſus quotidianus. Nec eſt quod adverſetur ſcriptam articuli prohibitionem in ejuſmodi reditus, quorum alienatio coram judicio peragitur: quippe tum temporis qualeſcunque reditus coram judicio tranſcribi lex erat; quin & mobilia coram eodem judicio alienanda præcipit eadem ordinatio *Rub. van overgiften ende maecken*, & quod Carolina conſtitutio jubeat immobilia transferri in judicio, jus illud non concernit, quod ſuorum reſpectu conjuges inter obtinet. Verùm ut maximè hæc differantur ſpecioſè, vereor tamen ut uſus ea receperit: cum enim in prohibitoria illa oratione rebus ſoli ſubjiciantur ac connectantur reditus, non inſulsè dixeris eos reditus intelligi, qui ad naturam rerum ſoli accedunt, quique rei immobilis hypothecæ innixi partem rei quodammodò conſtituunt. Cæterùm tamen illos reditus prohibitionis nexus tenere videtur, qui legitimè ſunt profeſſi à Provinciæ Ordinibus, qui eorum nomine Provinciæ bona omnia & obventiones hypotheca ſolent devincire: nec enim Princeps aut Reipublicæ univerſitas legibus illis eſt alligata, ut coram ſingulis ſuæ juriſdictionis judiciis, ubi bona conſtituta ſunt, pignori ea obligare habeat neceſſe, qua de re fusè egimus *in tract. Præliminar. de jure quot. tit. 2. cap. 2. n. 3.* Cujus tractatus *cap. 5. n. 9.* quæſivimus & illud, an ad

VI. *An in reditus debitos à Provinciis.*

VII. *An in bona Hollandiæ?*

ad bona ſita in Hollandia ſe protendat hæc prohibitio. In alienationem ſcripta eſt hæc ordinationis oratio. Quid igitur ſi familiæ erciſcundæ judicio cum cohæredibus rerum illarum immobilium diviſionem maritus improlis inierit, tenebitne citra uxorem negotii illius celebratio? Conſtat hodie diviſione illa recta via transferri dominia, citra ſolennem mancipationis interventum, unde negaverim mutuam hanc inter cohæredes alienationem viribus ſubſiſtere, niſi quâ perſonali actione ſe devinxerit maritus. An ſervitutem ſine uxore imponit validè maritus? *l. finali C. de rebus alienat. non alienand.* patet alienationis prohibitione venire & ſervitutis impoſitionem, quod & in noſtra ſpecie ita admiſeris, ſi ſervitus rem ipſam afficiat, ut quicunque ſingulares ſucceſſores eandem ſint debituri, niſi forſan temperare rem malueris, ut ſi exigui momenti ſit ſervitus, ſtillicidii forſan, aquæ pluviæ, aut ſimilis, maritus non habeat neceſſe advocare uxoriam voluntatem; ſi verò res ipſa ſervitute valdè depretiaretur, vel multo minoris eſſet, utique. An in dotem dat res ſoli? ne hoc quidem, quemadmodum & irritum eſſe contractum quo deſpondens filiam, non auctore marito, dotem dixerat uxor exiſtimavit Curia Pariſienſis apud Mornac. *ad l. 2. ff. ad SCtum Velleianum.* Ut dotis favore non roboretur actus. Hinc & Curia noſtra irritam declaravit alienationem à marito improli citra uxorem factam in cauſam dotis 5. *Martii* 1563. *tuſſchen Ian Dirck Coppenſz contra Frans Coſmuſz.*

VIII. *An in diviſionem hæreditatis.*

IX. *An in ſervitutis impoſitionem?*

X. *An in alienationem cauſa dotis?*

Quid autem ſi maritus improlis capeſſat tutelam, devincietne ſua juxtà ac uxoria bona taciti pignoris nexu? videtur in legali hypo-

hypotheca aliud dicendum eſſe à conventionali: hæc quippe ab homine contrahitur & expreſsè, illa venit tantum tacitè à lege & in conſequentiam actus; adſtipulatur Gamma *deciſ*.319. Unde & minorem videmus, qui prohibetur abſque decreto res obligare, eaſdem tacito pignori ſubjicere, ſi invexerit in domum conductam. Tractat noſtras Montan. *de Tutelis cap*.33. *num*.434. *&* 438.

XI. *An in hypothecam legalem?*

Quid ſi redempto à debitore reditu, qui fundo apud acta publica ſit impoſitus, ſolutionem profiteatur apud eadem illa acta ſine uxore maritus improlis? contingere dixeris debitori plenam liberationem & hypothecæ diſſolutionem, eo quod ad terminos adminiſtrationis, præſertim maritalis, pertineat liberandorum creditorum facultas, nec voluntarius hic actus, ſed neceſſarius ſit, quo non tam alienantur hypothecarii reditus, quàm per ſe expirant: ut alia hic ratio diſſolvendæ ſit hypothecæ, quam conſtituendæ fuit.

XII. *An in hypotheca diſſolutionem?*

An per omiſſionem mariti improlis res ſoli cadere poſſint in commiſſum, aut præſcribi? Poſſunt: venit enim hæc alienatio ex conſequentia actus, non voluntariò, adeoque ex mala mariti adminiſtratione, cujus culpam una luit uxor, adeoque ſi ceſſaverit maritus in ſolvendo canone, re emphiteuticaria excidet conjunx uterque, ſi ſcriptura commiſſi legem continuerit; arreſtum producit Loüet *en ſon Recueil. lit. F. num*. 15. quæſtionem tractans ea in ſpecie, ubi alienatio fundi citra uxorem marito prorſus inhibebatur: niſi fraus aliqua mariti intervenerit, quo fundum dedita opera detraheret uxori, ut eundem adjiceret alteri; extra quem caſum vix eſt ut

XIII. *An omittendo rebus immobilibus excidat maritus?*

Digitized by Google

uxor videatur juvanda, ne quidem ope reſtitutionis, quamvis Harbajo placuit negligentiam mariti uxori non debere obeſſe *cap.* 13. §. 6. eo quod adempta ſit uxori agendi aut adminiſtrandi facultas & non valenti agere non currat præſcriptio, aut impedito tempus. Verùm apud Friſios hæc forſan admiſeris, ubi maritalis poteſtas contractior eſt noſtrate, apud Hollandos verò ac noſtrates ubi ea liberrima, non æquè; quanquam ſi diſſoluti & negligentes ſint mariti caveri in hunc caſum oportere non abnuerim, ne ex mariti negligentia res uxorię periclitentur, juxtà Argentr. *ad art.* 427. *gl.* 2. Quod tutor (inquit ille) negligenter agit pro modo culpæ coërcetur, procurator, œconomus, & rerum alienarum adminiſtratores, pro arbitrio revocantur, prælatis coadjutores adjiciuntur, judicantes plectuntur, Reges ipſos ſoliis deturbari ſine exemplo non eſt, & maritis impunè erit negligentia? ferendum non eſt. Hæc Argentreus.

XIV. *An committendo?* Idem dicendum putaverim, ſi maritus feloniam commiſerit adverſus dominum ratione feudi uxorii: Argentreus tamen *ad art.* 423. *gl.* 2. *n.* 6. plures & meliores repugnare ait, & mediam viam ſequentes putare fructus tantum, qui ad maritum ſoli pertineant, quoad vitam viri, committi, cætera manere mulieri integra. Quod ita forſan probaveris, ſi offenſam in domini perſonam punibilem, & quæ per ſe de genere delictorum ſit, admiſerit maritus: æquitatis namque ejuſmodi temperamentum nuper Curia noſtra ſecuta eſt, ut exercitio juriſdictionis feudalis privaret dominum, qui pravè eadem eſſet abuſus, non ipſa juriſdictione; in ſpecie illa cujus

Digitized by Google

cujus meminimus ſuprà *tit.* 2. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 17. *tract. de jure quod.* Sin autem à contractu, & conceſſione civili feudi incipiat mariti delictum, utique illud domino committetur, etiam diſpendio uxoris, quæ nihil commiſit; niſi forſan perſona uxoris ſolenni conceſſione ad dominium, poſſeſſionemque admiſſa ſit (nam & mulieres feudorum apud nos capaces eſſe ſolent) utique uxori tum fraudi non erit admiſſum mariti, qui non eſt in domini fide. De eo forſan dubitaveris, an repudiare poſſit hæreditatem citra conſenſum uxoris? lucroſæ hæreditatis repudiationem inter prohibitæ alienationis ſpecies enumerat Argentreus *art.* 419. *gl.* 2. Et quidem in favorem uxoris, cùm ſcripta ſit hæc prohibitio, largiorem forſan ea receperit interpretationem, valere juſſa Romani juris ſubtilitate, quod negat eum alienaſſe intelligi, qui occaſione acquirendi non utitur *l. alienat.* 28. *ff. de verb. ſignificat*, eo magis quod eadem hic ſubſit ratio, quæ cauſam conſtitutioni dederit, ne nimirum rebus ſoli citra conſenſum ſuum evertatur uxor. Quemadmodum & tutor, cujus vicem in capite uxoris exhibet maritus, repudiare hæreditatem nequit, licet eandem poſſit adire *l.* 8. *ff. de bonor. poſſeſſ.* adeo ut quoties quis alieno nomine, non ſuo quid agit, id juris locum videatur habere. Verùm contra regula juris dictat poſſe eum repudiare habere. Verum contra regula juris dictat, poſſe eum repudiare hæreditatem, qui poteſt adire *l. is. poteſt* 18. *ff. de acquir. vel repudianda hæred.* Propterea quod ejus ſit nolle, qui poteſt & velle *l.* 3. *de reg. jur.* maritum autem jus adeundæ hæreditatis habere jam antè tradi- XV. *An repudiet hæreditatẽ?*

P 5 dimus,

dimus, & id quidem in eo diverſum à tutoris poteſtate, quod hujus adeundæ hæreditatis facultas plena non ſit, reſtituitur enim adverſus tutoris aditionem minor, ſi læſus ſit, vel datur ei in tutorem actio in id quod ejus intereſt hæreditatem aditam non eſſe; cùm mariti aditio teneat omni modo, nec uxori eo nomine in maritum ulla moribus comparata ſit actio; ut non neceſſe videatur huc deducere argumentum ab eo, quod non alienat, qui duntaxat omittit poſſeſſionem *l. 19. de reg. jur.* quod aliud ſit amittere, aliud omittere, amittaturque id quod jam acquiſitum habetur, omittatur autem, quod nunquam acquiſitum fuit; quemadmodum nec illud quod creditores fraudari, non dicantur ſi repudiat debitor delatam ſibi hæreditatem *l. qui autem 6. ff. quæ in fraud. cred.* adeoque tam jure civili, quàm moribus noſtris nihil vetare, quo minus filius paternam hæreditatem, adeoque & ipſam legitimam creditorum præjudicio poſſit repudiare, teſte Gronew. *ad l. 6. ff. quæ in fraudem cred.* exceptis iis locis, ubi mortuus ſaiſit vivum. Groeneweg. *ibid.* & in hanc ſententiam, laudato Regni Luſitaniæ judicato, concedit Goris *in Adverſar. tract. 3. part. 2. cap. 6.*

XVI. *An tranſigere de re immobili?* *num.* 11. Alienationis hac prohibitione venit tranſactio, cùm & illa ſit alienationis ſpecies *l. 1. §. at ſi tranſegit ff. ſi quid in fraudem patroni. notant* Goris. *d. cap. 6. numer. 12.* Argentr. *ad d. art. 419. gl. 2. num. 12.*

XVII. *An uxoris ratihabitione convaleſcat alienatio?* Illud quæritur an neceſſe ſit una adeſſe uxorem in transferendo dominio, an verò ſufficerit eam poſt ratam habuiſſe mariti alienationem? Mechlinienſium legibus, unde noſtrarum plurimæ deſumptæ, requiritur utrumque,

que, ut & authore marito in hoc ipſum conſentiat uxor, & in transferendo dominio una adſit *tit.* 9. *art.* 3. quod & verbis illis patriæ ordinationis proprius videtur accedere, *ten ſy met geſamenderhant:* quamvis ab illis abeat Amerſurtienſium ordinatio, alterutrum vel præſentiam utriuſque, vel conſenſum deſiderans, vernaculè, *of met gemeen conſent.* Pro priori tamen interpretatione ſtant plerique conſuetudinum Interpretes, quod actus à principio ſit habendus nullus ob defectum formæ. vid. Goris. *d. cap. num.* 7. Chriſtin. *ad d. art.* 3. *num.* 8. Cæterùm ſi verum amamus, verborum potius quàm rerum differentia hæc eſt: quid quæſo ad validitatem actus intereſt, an ab initio probaverit eundem mulier, an poſteà ratum habuerit? quæ ratificatio mandato æquiparari ſolet: nec enim hic uxoris partes ſunt aliæ, quàm ut ratione ejus quod ſua intereſt, alienationi accommodet conſenſum, non ut authoritatem aliquam adjiciat marito, aut formam actui: unde jure merito Argentr. *ad artic.* 419. *gloſ.* 1. laudatus Ferrerius, quod diceret ad minutias juris talia pertinere. Proinde, ſi mulier in eodem judicio ac eadem ſolennitate, qua peracta eſt à marito ipſa effeſtucatio, poſt eandem ratam habuerit, nullus dubitaverim alienationem convalituram, ne duriore in cauſa ſit maritus, qui rem uxoris, aut communem vel etiam propriam (nam ad eas omnes pertinet hæc prohibitoria oratio) alienaverit, quam ſi rem alterius cujuſcunque tranſtuliſſet extranei, cujus conſenſus ſi poſtmodum alienationi acceſſerit, utique ea retrò viribus ſubſiſtet. Quæ tamen ita accepta velim, ut ab eo tem-

Digitized by Google

tempore, quo ſupervenit uxoria illa ratificatio, teneat actus, non à mariti translatione; quod in retractu, ac eorum reſpectu, quibus interim jus eſt quæſitum, obſervaſſe non exigui momenti eſt.

XVIII. *An nulla ſit alienatio in totum?*

Hactenùs de modis, in quos ſcripta eſt hæc alienationis prohibitio. Videamus quem effectum habeat mariti alienatio? Videri poſſet pro parte, quæ maritum contingat, tenere alienationem: ſed magis eſt eandem irritari in univerſum, & ita Curia noſtra ejùſmodi alienationem vel dotis cauſa factam reſcidit in totum, judicato ſuprà hoc capite mihi laudato.

XIX. *Quid ſi emptor agat quanti interſit rem habere?*

Quid autem ſi ánnullatâ alienatione agat emptor in maritum quanti ſua pecuniariè interſit rem habere, an oneris ejus particeps erit uxor? Non eſſe conſortem tradit Chopin. *de morib. Pariſior. lib. 2. tit. 1. num.* 30. tanquam illud nomen ſit immobile & ſuccedaneum in vicem evictorum prædiorum: ac prætereà quod fraus ſterneretur vetanti legi, ſi teneretur mulier emptori, pretii petitione & utilitatis fundi. Verùm aliter me putare apud nos ſe mores habere pluribus ſuprà diſſerui *tit. 2. cap. 5. n. 9. de jure quod oritur.* Nulla quippe nobis venditionis prohibitio, ſed judiciali duntaxat effeſtucationi ea lex eſt poſita, ut una in transferendo domino coram judicio adſit uxor; alioquin maritus liberrimam habet adminiſtrationem, ut quovis ſuo contractu, perſonali actione, adſtringat ſimul uxorem, ac quodlibet æs alienum contrahendo cauſam dare poſſit neceſſariæ omnium facultatum diſtractioni, uſque dum ei adminiſtratione ſit interdictum.

Excuſ-

XX.

An uxor mercatrix alienet res ſoli?

Excuſſimus quam poteſtatem habeat maritus improlis, videamus quam maritata? & quidem de mercatrice vulgata doctrina eſt, poſſe eam creditoribus pro mercibus emptis bona quædam hypothecæ conſtituere: eo ipſo enim quod maritus eam mercari patiatur, conceſſiſſe videtur uxori ea omnia, ſine quibus id negotii commodè nequeat expediri Carpzov. *par.* 2. *c.* 15. *d.* 14. Mæv. *ad jus Lubecenſ. lib.* 1. *tit.* 10. *art.* 1. *nu.* 26. Grotius *in ſua Manuduct. lib.* 1. *part.* 5. *verſic: hier iegens een gehouwde Vrouw.* De alienatione dubitatum eſt, & quidem non immeritò: quippe immobilium alienatio non pertinet ad mercimoniorum tractationem, illud pertinet, ut creditoribus pignoribus caveat alioquin non contracturis, & hoc rectè obſervat Buredan. *ſur les Couſtumes de Vermandois ad art.* 19. & tenet Berlich. *part.* 2. *concl.* 17. *num.* 94. & ita Amersfurtenſis Ordinatio contrahendo ac bona hypothecæ obligandi facultatem dat mercatrici, alienandi non dat. Quod ſi tamen patriæ Ordinationis conſtitutionem ita acceperis, ut neceſſe ſit, in ipſo actu effeſtucationis coram judicio una adeſſe uxorem, ſequeretur mercatricem, cui à marito liberi non ſunt, hypothecæ dationem poſſe celebrare citra mariti præſentiam, quam ille peregerit fruſtrà ſine ea, atque ita tacitè maritum uxori accommodare poſſe & auctoritatem & conſenſum, uxorem marito ne quidem conſenſum, niſi in ipſo tranſactionis actu interpoſitum. Unde tutiùs forſan exiſtimaveris, ut mercatrix, cui vir improlis eſt, una cum viro bona ſupponat hypothecæ.

De muliere à viro cenſu ſeparata videbimus

mus infrà, cum excutiemus an ea rem immobilem viro non auctore poſſit in judicium deducere, quo loco & de mariti furioſi vel abſentis uxore diſſeruimus pluribus, quæ tamen poſteriora circa alienandi facultatem ita exaudienda putaverim, ut imploret uxor auctoritatem judicis, qui permittat ſibi bona pignori obligare, vel alienare, de qua re Chriſtin. ad leges Mechlinienſ. *tit. 9. art. 4. num. 24. & 25.*

XXI. *De muliere à viro ſeparata, mariti furioſi, abſentis.*

CAPUT IV.

De Poteſtate viri in teſtationibus uxoris, & an ac quomodo conjux conjugi donet, leget.

SUMMARIUM.

I. *Vxor rectè teſtatur viro non auctore.*
II. *An mortis cauſa donet?*
III. *Quid apud noſtrates?*
IV. *Apud nos omnis gratificatio inhibita inter conjuges extra mutui uſusfructus cauſam.*
V. *Permiſſa apud Hollandos ultima voluntate.*
VI. *Apud eoſdem ſi minorem ſummam pacto antenuptiali, majorem teſtamento conjux conjugi dederit, debetur utrumque.*
VII. *Quâ ratione vetita apud nos conjugalis munificentia?*
VIII. *Favorabiliſne ea prohibitio, an odioſa?*
IX. *An teneatur ea conjux miles?*
X. *An ſponſus?*
XI. *An qui ſe pro conjugibus habuerunt, tractarunt, cum verè tales non eſſent?*
XII. *An thoro & bonis ſeparati?*
XIII. *An exteri conjuges quoad bona apud nos ſita?*

XIV. *An.*

Digitized by Google

XIV. *An coniunx validè donet, leget alterius coniugis liberis?*

XV. *An gener ſocero, vel ſocrui?*

XVI. *An coniux coniugi adipiſcendi honoris cauſa?*

XVII. *An remunerandi?*

XVIII. *An in reciproco coniugum uſufructu locum habeat lex hac edictali?*

XIX. *An ulla inter coniuges celebrari poſſit tranſactio?*

XX. *Num liceat renunciare lucris quæſitis vel quærendis?*

XXI. *An igitur nullo pacto inter ſe contrahunt coniuges?*

XXII. *An in rebus fideicommiſſariis teneat uſusfructus conſtitutio?*

XXIII. *Confeſſio aut declaratio coniugum quid inter illos operetur?*

XXIV. *An conſenſus hæredis firmet prohibitam largitatem?*

XXV. *Quid ſi leget alter uſumfructum quoad vitam ſuperſtitis, alter uſque ad ſecundas nuptias?*

XXVI. *An liceat viro vendere bona feudalia, ut ita pretium cedat communioni?*

XXVII. *An legare vel addicere coniugi res alias in locum vel recompenſam alienatarum?*

XXVIII. *Quid ſi pactis antenuptialibus convenit, ut liceret legare proprietatem.*

XXIX. *An ad bona feudalia pertineat hæc prohibitio?*

XXX. *An liceat renuntiare hæreditati, quæ deinde perventura ſit ad uxorem?*

XXXI. *Quid ſi coniugum alter careat bonis?*

XXXII. *Quid ſi Geldri coniuges ſibi invicem legent uſumfructum, quorum alteri bona ſunt apud nos conſtituta, alteri non ſunt?*

XXXIII. *Quomodo uſusfructus legatum teneat in redditibus perſonalibus, ſeu vitalitiis?*

XXXIV. *Quomodo in terra paluſtri, ſeu famelicoſa?*

XXXV. *Quo-*

XXXV. *Quomodo in ſylvis & arboribus?*

XXXVI. *An in bona Hollandica ſcripta conſtitutio?*

XXXVII. *Quid ſi ſtante matrimonio vir emat bona ſita in Hollandia, quæ deinde legat uxori?*

XXXVIII. *Quid ſi conſenſerit coniux ut alter de ſuis bonis diſponat vel teſtetur?*

XXXIX. *Quid ſi vetuerit hæredibus, ne ſine conſenſu coniugis ſuperſtitis res alienent?*

XL. *Quid ſi dederit quid, aut legaverit uxori ad erogandum in pauperes?*

XLI. *An liceat legare uſumfructum rei, cuius tempore obitus adhuc uſusfructus eſt alterius?*

XLII. *De quadruplici apud nos permiſſo inter coniuges uſusfructus genere?*

XLIII. *De univerſali, & an liceat ab eo aliquid excipere?*

XLIV. *De uſufructu dato in certa bonorum quota?*

XLV. *In certo bonorum genere.*

XLVI. *De particulari.*

XLVII. *An liceat coniugibus ſibi invicem legare uſumfructum rerum, quas habent impræſentiarum?*

XLVIII. *An omnium, exceptis hæreditatibus poſt obvenientibus?*

XLIX. *Quid ſi pactis antenuptialibus conventum ſit, ne liceret coniugibus ſibi invicem legare uſumfructum?*

L. *An in dando uſusfructu adhibendæ apud nos literæ licentiæ?*

LI. *Quid ſi non ſimul dent legent coniuges, ſed diverſis temporibus?*

LII. *An reciprocus uſusfructus poſſit apud nos ab alterutro coniugum revocari?*

LIII. *An legatum dari mutui uſusfructus præiudicio?*

LIV. *An donari inter vivos?*

LV. *Quid ſi ſit inæqualis uſusfructus vel in rebus vel in quota?*

Qua-

QUatenùs uxoriis contractibus viri auctoritas, alienationibus conjugum conſenſus utriuſque neceſſarius ſit, diſſeruimus Capitibus ſuperioribus. Nunc videamus, an & in teſtamentis ſibi locum vindicet auctoritas maritalis. Moribus quibuſdam Galliæ ac Italiæ ſine marito non admitti conjuges teſtatrices; narrant Cocquille *en ſon Inſtitution au droict francois tit. des droicts des mariéz verſic. des couſtumes de Nivern.* & de utriſque Chopin. *de morib. Pariſ. lib. 2. tit. 4. de teſt. nu. 21.* Cæterùm tamen Europæ pars potior maritatæ teſtamentum admittit, viro licet non auctore conditum. Meliore, ut mihi quidem videtur, juriſprudentia; quid enim teſtandi libertati magis inimicum, quàm pendere eam ab arbitrio ac poteſtate aliena. Sanè apud noſtrates, cùm proptereà duntaxat interdicta ſit uxoribus alienandi ac contrahendi facultas, ne ea res fraudi ſit maritis, quid quæſo ad viros uxoria teſtatio, in caſum cum matrimonium eſſe deſinit? Proinde & nuptam mortis cauſa donare poſſe marito non aſſentiente, ſi poſt mortem demum exitum ſit habitura donatio, rectè traditum putaverim apud Harbaium §. 17. Sublato quippe tum illo mariti jure, nihil eſt ultra, quod donationi ſit impedimento; ut legato, quam donationi ſimilior habendus ſit actus; adſtipulante & vulgata DD. regula, quâ traditur, eâdem quando ſubeſt in donatione cauſa mortis & in legato ratio, idem quoque jus in utroque eſſe: quam regulam inculcat Peck. *de teſtament. coniug. lib. 4. cap. 41. n. 2.* Nequicquam contra ſcribente Fabro *de Error. Pragmaticor. decad. 46. error. 10.* quem tamen laudat & ſequitur Ioannes à

I. In teſtamentis uxorum, maritalis interquieſcit auctoritas.

II. An mortis cauſa donet?

Sand. *deciſ. lib* 2. *tit*. 4. *defin*. 4 *in fine*. Ad patriæ Ordinationis jus ſi exigatur ea quæſtio, res expedita eſt: licet namque contrahere apud nos mulieri ſine viro, dummodò non hic, ſed illa, aut hæredes illius conveniantur eo nomine, matrimonio ſoluto, adeoque ſubſiſtet quoque cauſa mortis donatio, cujus effectus in idem tempus mortis confertur, aut matrimonii diſſoluti. Laxatæ ſunt uxoribus in teſtando, virorum reſpectu, habenæ, ſed & eorundem intuitu adſtrictæ: nam cùm ſine marito cuivis leget, donet uxor, ipſi marito nec legare poteſt, nec donare. Exſtat in hoc ordinationis noſtræ articulus in hæc verba. *Extra mutui uſusfructus cauſam conjux conjugi nil donato, nil relinquito*. Placuit juris noſtri conditoribus Rubricam, cui ſubjectus eſt hic articulus, de pactis antenuptialibus, ac uſufructu inſcribere; cum tamen pactorum illorum ne gry quidem ſubjecti articuli meminerint, ac de uſufructu quoque extra hunc unicum, qui tractet, articulum, habeamus præterea nullum. Sed faceſſat hæc in inſcribendo oſcitantia, ipſum videamus articulum. Intra donationis prohibitionem Romana juriſprudentia ſtetit. Noſtra progreſſa ulteriùs & ad teſtationes eandem produxit. Illa conjugum perſonis conſuluiſſe contenta, famæ, concordiæ, rebus eorundem proſpiciens. Hæc ad legitimos conjugum ſucceſſores ſollicitudinem ſuam extendit, ne & illi ſpoliarentur hæreditate, eblanditis puta vel extorſis donationibus, aut legatis. Magnum hic cum vicinis Hollandis diſſidium. Patria illa ordinatione conjunx conjugi dans legans, extra mutui uſusfructus cauſam, nihil agit. Apud Hollandos

III. Quid apud noſtrates?

IV. Apud nos omnis gratificatio inhibita inter conjuges extra mutui uſusfructus cauſam.

V. Permiſſa apud Hollandos ultimâ voluntate?

dos contra vel ex aſſe ſe invicem hæredes ſcribere libertatis conjugalis eſt, donatione verò inter vivos vel tantillo proſequi, non utique. Convenit his cum Romanorum legibus: poſterioribus ſcilicet illis, non vetuſtis, quibus conjuges hæreditatis inter ſeſe capaces eſſe adeo non noluerunt Quirites, ut & ab inteſtato matribus familiarum maritorum hæreditates detulerint, narrante Gellio *cap. 6*. Porrò apud Hollandos tantum favoris conjugales promeritæ munificentiæ, ut cum nuper ex facto contigiſſet nuptiali inſtrumento virum uxori doarii nomine, quoad viveret illa, annuam nummorum quantitatem promiſiſſe, ultimo deinde elogio majoris ſummæ in annos ſingulos dediſſe legatum, nullâ factâ pactorum nuptialium mentione, ac Provincialis Hollandiæ Curia viduam, utrumque petentem, juſſiſſet eſſe contentam alterutro, ſupremus Senatus, retractata ſententia, litem ſecundùm actricem dederit; ex communiori illo DD. placito, quo negant compenſationi locum eſſe, ſi maritus poſt mortem ſuam uxori aliquid promiſerit, & deinde dederit legatum. Berlich. *Pract. Concl. part. 3. concl. 27. num. 5. 6.* Carpzov. *Defin. Forenſ. part. 3. conſtit. 30. defin. 5.* Mævius *ad jus Lubecenſ. part. 2. art. 12. art. 333.* Nec largior in conjugem, diſpendio hæredis, collata liberalitas effecit, quominus Senatus ultimam voluntatem plenius interpretaretur, duplicatam potiùs voluntatem, quàm alteram altera peremptam judicans. Victoriam obtinente nomine uxoris Gerardo de Rheede de Renswoude, apud noſtrates Equeſtris dignitatis inter Ordines viro. Lubet hanc

VI.
Apud eoſdem ſi minorem ſummã pacto antenuptiali, majorem teſtamento conjux conjugi dederit, debetur utrumque.

materiam proſequi fuſiùs; non quod ea propriè ſpectet ad maritalem poteſtatem, ſed quod ab illa non ſit adeo aliena, utriuſque conjugis poteſtatem in dando coarctans, ipſorum reſpectu, & vel maximè, quod quælibet arripienda videatur occaſio, quâ nobilitato patriæ ordinationis articulo lucem præſtare poſſem, vel aliquid commentarii.

VII. *Quâ ratione vetita apud nos conjugalis munificentia?*

Primò itaque quæram de prohibitæ illius inter conjuges gratificationis ratione, quæ cujuſque legis anima non immeritò audit; deinde num favorabilis ea dicenda ſit conſtitutio, an odioſa, quo vel largam vel arctam admittat interpretationem; tum de perſonis, in quas ſcripta prohibitio; poſtremò de munificentia ipſa, qua prohibita, qua permiſſa, hujus celebrandæ modo, ac celebratæ effectu.

Variam ſuæ prohibitionis rationem reddidêre Romani, tum ne nimio amore ſpoliarent ſe conjuges, tum ut famæ ac honori eorum conſuleretur, ne pretio magis quàm officiis amor inter eos conciliatus videatur, poſtremò ne diſcuti matrimonia ac diſſolvi contingeret, ſi non donaret is qui poſſet. Et quidem adeo rationi conſentanea viſa eſt hæc inter conjuges donationis prohibitio, ut eandem ſuas inter leges tota ferè Europa retulerit, teſte Scipione Gentili, qui de donationis iſtius prohibitione ſcripſit ex profeſſo. I. *cap.* I. *in fin. & cap.* 5. Cæterùm neſcio quomodo morte confirmari donationem permiſerint Quirites, cum idem illud honoris conſervandi ſtudium, idem profuſæ largitatis metus efflagitet, ut & ſucceſſorum habeatur ratio, ne blanditiis ſemet inter expoſiti conjuges

juges fraude illorum alter in alterum facultates effundant: & quidem hujus rei cogitatione abreptus Argentreus, more ſuo, paulò liberiorem vocem in jus Romanorum ſtrinxit, inſulſum vocans eorum inſtitutum *Rub. de Donation. in præfat. num.* 13. quo tamen longè modeſtius nævum hunc commonſtrat Charondas *ſur les Couſtumes de Paris ad art.* 283. Eundem viderunt & in Italia civitates nonnullæ. Viderunt in Gallia Provinciæ complures; adeoque vel generaliter aliquæ, ne ſibi quicquam relinquerent conjuges, vetuêre, aliæ ne tum relinquerent, cùm liberos haberent, nonnullæne, liberis quoque ſuppetentibus, ultrà mobilia ac immobilia ſtante matrimonio quæſita, largitatem producerent: morum hanc varietatem recenſente Mornac. *ad l. Iubemus. C. ad SCtum Velleianum.* Noſter Legiſlator non adeo diſtrictè vel amarè, velut inter infenſos, cum conjugibus agendum cenſens, mediam quodammodò viam ingreſſus eſt, uſufructu tenus donationes ac legata permittens; proprietate verò præcidens in univerſum. Juſto, ut mihi quidem videtur temperamento: cum enim alteri ex âlterius facultatibus tantum capiendi detur facultas, quantum de ſuis rebus bonus ferre ſoleat paterfamilias, ut nimirum utatur fruatur iis, quid quæſo habent conjuges, quod ultra poſtulent? ac è diverſo proprietate legitimis conſervata hæredibus, conſervatur una familiarum decus; ut rectè bonorum in familia cuſtodem morem hunc patrium appellaveris. Intereſſe itaque hæredum in conſideratione noſtratis Legiſlatoris eſt; non tamen eorum duntaxat qui ſuccedunt ab inteſtato,

Digitized by Google

quomodo Scriptores plerique loquuntur, quos adduxi alibi *in Tractat. Præliminar.* Quid enim ſi meritis ductus aut affectione extraneum hæredem ſcripſerit teſtator, poſteà forſan conjugi, blanditiis ejus abreptus, bona donaverit, legaverit, num ſubſiſteret propterea poſterior liberalitas, quod vel collabente ea, bona egrederentur familiam? non putaverim. Quare conſequens eſt dicere & hæredum legitimorum favore, & ſimul eorum, quos teſtator extra blandimenta conjugalia conſtitutus hæredes optaſſet, ſcriptum eſſe prohibitorium hoc edictum, nec non utcunque favore ipſius, qui dat, legat, ob veroſimilem metus coactæque voluntatis præſumptionem, inter tam conjunctos facilius, quàm extraneos capiendam. Hinc non in totum malè aſſertum eſt apud Afflict. *ad decis. 226. n. 6. in annot.* ſtatutum ne conjux conjugi leget in favorem ejus eſſe qui legat. Hinc Chaſſan. *Rub. de juribus §. 7. in text. per teſtam. aut diſpoſitionem n. 2.* Optimè, inquit, hoc ſtatutum, ne ſi nollent mariti legare iis, dimitterent maritos in infirmitate, & iis denegarent inſervire; adeoque cum hac declaratione exaudienda videntur, quæ de hac ipſa prohibitionis ratione ſuprà attigi. Quanquam, ut hoc obiter perſtringam, alia prohibitionis ratio redditur in pervetuſto legum patriarum Codice, unde pleraſque deprompſerunt hodiernæ Ordinationis concinnatores. Exſtat in eo Rubrica, *van heymelijck trouwe, van lijf-tocht ende van heylixe voorwaerden te maecken ende aen te brenghen*, ſub qua comparet articulus in hæc verba. *Want overlange jaerèn by den Raede oudt ende nieuwe overdragen is geweeſt, dat geen Man noch Wijf malkander*

geen

geen goet geven noch maecken en ſoude moghen dan lijf-tocht alleen. Want komen zy tot eenre tafel ende tot eenen bedde ſoo iſt gemeen : want ſy al een lijf ſullen weſen &c. Eadem hic adfertur prohibitionis ratio, quam Hotomannus adducit ex Plutarcho, quod ſacrorum ac bonorum omnium communio ſancita eſſet inter conjuges.

Hæc de ratione legis. Videamus de materia ſeu re ipſa quæ in prohibitionem cadit, odioſa an favorabilis ea ſit. Apprimè utilis erit hæc inveſtigatio, ut ſciamus utrùm laxa, an coarctans interpretatio capienda ſit. Protritum ſcribentibus brocardicum eſt, ſtrictè eſſe interpretanda, quæcunque juri civili adverſantur ſtatuta; ut proinde noſtrum quoque ſtatutum, quo juris Romani de donando inter vivos prohibitio protenditur ad legata ac inſtitutiones, ad corticem verborum, ut loquuntur, eſſet reſtringendum, adeoque verbis ejus inhærendum ad unguem; quaſi verò ſtatuta noſtra non perinde noſtrum nobis ſint jus civile, atque olim Romanis ſuorum leges fuêre. Quod quiſque populus ſibi conſtituit, jus ſuum civile eſt, pari pollens auctoritate cum legibus illis Romanorum, quas pro ſuis idem ille populus recepit, ac legum auctoritate donavit. Quare cauſæ nihil video, cur non in legibus, quas noſtrates tulêre, idem interpretandi modus adhibeatur, quem in ſuis valere voluerunt Quirites; adeoque cum omnes articuli ſpeciatim legibus non poſſint comprehendi, cur non is, qui juriſdictioni præeſt, ac ſimilia procedere poſſit, ac ea, quæ tendunt ad eandem utilitatem, ſuâ juriſdictione ſupplere *l.* 12. *l.* 13. *De legibus.* quam interpretandi poteſtatem ſi quis judici- VIII. *Favorabilisne ea prohibitio, an odioſa?*

 bus

bus noſtratibus in ſuis legibus ereptum iverit, næ ille rationem, æquitatem, ac legem ipſam eripuerit; ut vera non minus, quàm libera vox ſit Molinæi, quam in Brocardici illius propugnatores ſtrinxit. Porrò, inquit *ad conſuet. Pariſ. tit.* 1. *ad Rub. num.* 108. nihil ineptius quàm quod juvenes quidem inexperti, recens à Scholis reverſi, Scholaſtica Italorum argumenta adducunt; videlicet ſtatuta ſtrictè, & ad verborum proprietatem intelligenda, & paulò pòſt; noſtræ conſuetudines non ſunt jura mera municipialia, ſed jura communia cujuſque loci. Unde igitur eſt quod dignoſcamus, favorabile an odioſum ſtatutum ſit habendum? A materiæ ſeu rei ipſius natura, quæ in diſpoſitionem ſit deducta, ut, ſi pœnam contineat, ſi in tertii præjudicium tendat, ſi jus naturale aut gentium aliqua in re circumſcribat ſtatutum, dici oporteat odioſum, ac conſequenter interpretatione, quoad ejus fieri poteſt, coarctandum; ſin contra beneficium aliquod complectatur, inſignem habeat utilitatem, vel ſalùbriter quid pro utilitate hominum introducat, favorabile ſtatutum ſit dicendum, atque ita interpretandum benignius; adeoque & ſi qua ſtatuto expreſſa diſpoſitio non eſt, ſed expreſſæ ſic affinis & conjuncta, ut eodem ſpiritu, id eſt, ratione animetur, videri poſſit in mente ſtatuti intellecta & comprehenſa, quod voluntas ex eo poſſit colligi, cujus conditores interrogati, idem erant reſponſuri, ut rectè notat Argentr. *Rub. de donat. num.* 10. Quare, ut ad propoſitam quæſtionem revertamur, poneturne hoc noſtrum prohibitorium edictum inter ſtatuta favorabilia, an verò odioſa?

ſa ? Et magis eſt ut in cenſu poſteriorum collocetur; quod circumſcribatur eo liberum, quod cuique de re ſua naturaliter competit moderamen & arbitrium, & quidem diſpendio conjugis, perſonæ donanti dilectiſſimæ. Quod & Ordinibus à noſtris Reviſoribus reſponſum memini, ſuper ea quæſtione, an mutuus apud nos inter conjuges de mobilibus conſtitutus uſusfructus, teneat, quam adducta ejus quæſtionis deciſione retulimus infrà. Unde conſequens eſt permiſſam ſtatuto gratificationem largiùs, inhibitam ſtrictiùs interpretari oportere, nec hanc ultra perſonas prohibitas producendam; quod tamen poſteriùs ita exaudiendum putaverim, dummodò non in ejuſmodi perſonam conferatur donatio, ut veroſimile ſit fraudem fieri legi, mentemque ejus ac Sententiam circumveniri. quo caſu generaliter cum JCto. *in l.* 18. *ff. de legib.* dicemus, benignius leges interpretandas eſſe, quo voluntas earum conſervetur. Quemadmodum & Romani ſuam donandi inter conjuges prohibitionem ita interpretati ſunt, ut generaliter tenendum ſtatuerint, quod inter ipſos conjuges, aut qui ad eos pertinent, aut per interpoſitas perſonas donationis cauſa, agitur non valere *l.* 5. §. 2. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* de quibus omnibus agam fuſiùs, ubi devenero ad ſingularum ſpecierum diſcuſſionem. Undè ſit hæc concluſio. Prohibitoriam ſtatuti noſtri diſpoſitionem in eo quod plus habet, quàm Romanorum prohibitio, odioſam propterea dici non oportere, quod repugnet iſti Quiritum juri, ſed ideo potius interpretatione non extendendam, quod deroget naturali de rebus noſtris

 diſpo-

Digitized by Google

poſſe. Cui conſonant tradita eorum, qui conſimiles patriæ ſuæ prohibitorias leges Commentariis illuſtrarunt, videantur Carpan. *ad ſtatuta Mediolanenſ. cap. 295. num. 19. & alii ab eo allegati*, ut non ſit neceſſe hic eos adducere, qui de prohibita donatione inter conjuges tractantes exemplis utuntur deſumptis à perſonis militum. Et certè, ſi id pro beneficio militibus datum ſit, ut poſſint & incapaces inſtituere, nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducta ſunt, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem: tum quippe uxor à milite viro poſſet eblandiri donationem vel extorquere, miles ab uxore non poſſet, adeoque ea donandi poteſtas non commodo, ſed fraudi militis foret; quippe & favore ejus qui legat, mos hic prohibitorius utcunque obtinet, ut & ſuprà retulimus. Quod autem diximus licitum eſſe militibus incapaces inſtituere, de iis perſonis exaudiverim, quæ ob culpam ſuam aut vitium, quod ſuiſmet in perſonis reſidet, quales ſunt deportati & ſimiles, vetantur capere, non autem de iis, quæ tertii favore, aut inſtituentis intuitu, teſtamenti factionem paſſivam non habent. Quod & hinc elucet. In favorem liberorum prioris thori, à conjuge parente, ultra filialem portionem, conjugi alteri capiendi fas non eſt. Quid igitur? an militi, qui binubus ſit, ulterior legandi vel donandi facultas erit? non putaverim.

Ad perſonas donantis conjugis ſpectat & hæc quæſtio, ut videamus, an poſt ſponſalia celebrata, donationes aut gratificationes admittan- X. *An ſponſus?*

mittantur. Jure Romano non dubium eſt, donationes inter eos qui matrimonio coituri ſunt antè nuptias factas jure conſiſtere, etiamſi eodem die nuptiæ fuerint ſecutæ. *l.27. l.66. ff. de donation. inter vir. & uxor.* quo jure ſponſalia ſunt mentio, ac repromiſſio futurarum nuptiarum. Contra quidam putant eſſe in ſponſalibus de præſenti: ſponſam de præſenti appellatione uxoris contineri exiſtimantes. Argentr. *tit. des Donat. ad art.* 220. *gl.* 5. Chopin. *ad ll. Pariſienſ. l.* 2. *tit.* 3. *num.* 7. Coſtal. *in l.* 1. *ff. de ſponſal. & l.* 5. *ff. de donat. inter vir. & uxorem.* Scipio Gentil. *de donat. inter vir. & uxorem lib.* 4. *cap.* 1. Sand. *de Prohibit. rer. alien. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. & quidem apertiſſimè id evinci putant *ex. l. penult. ff. de donat. inter virum & uxorem.* qua negatur poſt conſenſum de nuptiis interpoſitum, antequam domum deduceretur ſponſa, aut tabulæ dotis ſignarentur, factam donationem valere. Verùm rationem reddit jus, quod matrimonium inter illos conſenſu fuiſſet contractum, nec attineret, an domum deducta ſit ſponſa, aut tabulæ conſignatæ eſſent, quod eæ tabulæ plerumque & poſt contractum matrimonium fierent; de vero itaque matrimonio agit JCtus ad cujus ſubſtantiam non eſt, ut illa duo quicquam conferant, non autem de ſponſalibus ullis, nedum de ſponſalibus de præſenti iſti juri incognitis. Sententiam hanc amplexi ſunt relati ab Argentr. *d. loc.* & Charond. *ſur les Couſtumes de Paris ad artic.* 283. & *en ſes Pandectes lib* 2. *cap.* 5. Atqui, inquiunt, ſponſalia de præſenti matrimonium perficiunt, etſi ritus quidam externi, adjici ſoleant actui perfecto, ad reverentiam politicarum eccleſiæ conſtitutio-

tutionum, ut loquitur Argentr. *d. loc.* Quæſo ſi matrimonium ſunt, qui poterint eſſe ſponſalia, ſi ſponſalia, qui matrimonium? Quare ita ſe res habet, ſponſalia de præſenti non ſunt verum matrimonium, ſed pro eo habentur, fidei invicem datæ ergo. Accuratius igitur locutus Mornacius ad *l. 8. de condict. cauſ. data cauſa non ſecuta* non valere hodie donationes inter ſponſos, ex uſu & Senatuſconſultis: & *ad l. 1. ff. de donationib. inter vir. & uxor.* nec non *ad l. penult. ff. eodem.* donare ſponſos non poſſe, quod contra rationem ſit prohibitorii Romanorum edicti, quæ venalia eſſe matrimonia prohibet.

Quid Iuvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor?

Fruſtrà igitur (inquit) in eo deinceps leges Romanæ. Vicit apud noſtros judices, quod æquius longè, ac melius. Verùm ut ad mores noſtrates deveniam, putaverim eos cum Hollandorum moribus hic ita convenire, ut quidquid antè contractum in facie eccleſiæ, aut coram Magiſtratu matrimonium, donatur, pro ſponſi, quicquid poſt, pro mariti liberalitate habeatur; eo quod apud nos, juxtà ac apud Hollandos, nudo conſenſu non perficiantur matrimonia, ſed vel partium mutuo diſſenſu, vel tertio aliquo proclamationi intercedenti, ſponſalia ſæpenumerò non ſortiantur effectum. De Hollandis atteſtantur Grotius, Neoſtad. Coren. relati à Groenewegen *ad l. 6. C. de donationib. ante nuptias.* Atqui ſubeſſe & hic videtur periculum, ne ſe mutuo amore ſpolient deſponſati, donationibus non tem-

temperantes, profuga erga ſe invicem liberalitate: quæ ratio Romanæ prohibitionis fuit, & movit quoque Patres Lutetianos. Verùm huic incommodo ita commodè occurritur, ſi dicamus quicquid contra tabulas nuptiales ſponſus ſponſæ vel contra elargiatur, vel ideo irritum eſſe oportere, quod repromiſſionis id loco habeatur interpoſitum contra bonos mores, cùm paſſim inhoneſtum viſum ſit talium pactorum vinculo matrimonia adſtringi, atque adeo publicè datam fidem pactionibus clandeſtinis interverti. Charond. *en ſes Pandectes lib. 2. cap. 5. fol. mihi.* 191. Loüet. *lit. C. cap.* 28. Anneus Robbert. *l.1. rer. judicatar. cap.* 2. Chopin. *de Privileg. ruſticor. lib.* 3. *cap* 10. *de hæreditar. actionibus n. 6.* Mornac. *ad l. penult. ff. donat. inter vir. & uxorem*, ac alii relati à Groenewegen, *ad l. 4. C. de dotis promiſſione.* Requiritur itaque de integro præſentia propinquorum, qui contractui matrimonii interfuerunt; non tam diſtrictè ab utriuſque contrahentium parte, quàm ejus quidem, qui fungitur liberalitate, quorumque illud ipſum intereſt, ut rectè obſervat & judicato comprobat Brodeau *ſur* Loüet. *d. cap.* 28. Fac autem antè pacta dotalia inter ſponſos celebratam clanculum donationem. Ne hanc quidem valere judicavit Curia Pariſienſis, ut maximè ſex menſibus antè matrimonium facta fuiſſet, teſte Papon. *lib.* 11. *tit.* 1. *Arreſt.* 15. *in appendice.* Non malè forſan: ſi jam tum Coridon ardebat Alexin.

Vel, ſi ſponſa gravi jam dudum ſaucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Quod

XI.

An qui ſe pro conjngibus habuerunt, tractarunt, cum reverà tales non eſſent?

Quod inter conjuges non ſubſiſtat donatio, num ad veros duntaxat conjuges pertineat, an verò etiam ad injuſtos & putativos (ut loquuntur) qui ſe invicem affectione conjugali habuerunt & pro conjugibus tractarunt, quæſtionis eſt? Mero jure dici poſſet donationem ſubſiſtere, prohibitione ſcilicet in virnm & uxorem ſcripta, & ceſſante hic quoque primaria ſanctionis ratione, quod futurum eſſet, ne diſcuterentur matrimonia, ſi non donaret is, qui poſſet. Verùm abſurdum fore; ut melioris conditionis ſit injuſtum, quam juſtum matrimonium, is qui deliquit, quam qui ſecundum leges ſe compoſuit, rectè cenſuit Romana juriſprudentia *l.* 3. §. 1. *ff. de donat. inter vir. & uxorem, l. ſi ex voluntate* 7 *C. eodem.* Lupo de Palatiis Rubeos *de donat. inter vir. & uxorem* §. 36. Scipio Gentil. *d. tract. lib.* 1. *cap.* 7. Undè non immeritò addubites, an rectè infirmaverit Præfecti Pariſienſis judicium Lutetiana Curia, confirmatâ donatione veterani Franciſci primi militis, qui focariæ ſuæ ſuperſtiti donaſſet mobilium quæſtuumque omnium proprietatem, hoc adjecto, vixiſſe ambos conjugali affectu, irruptaque conjugum per 25. annos copula, focaria præterea poſt efficiente, ut ritu ſolenni & verba præeunte Sacerdote pronubo juſta uxor fieret: cujus judicati rationem hanc adjicit Mornacius *ad l.* 3. §. 1. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* quod ſolum eccleſiam conficere nuptias conſtitutione cautum eſſet. Rectè ait Ulpianus. Apellandi uſus, licet frequens ſit, nonnunquam tamen benè latas ſententias in pejus reformat: neque enim utique melius pronuntiat, qui noviſſimus ſententiam laturus eſt.

Cæte-

Cæterùm hæc ita, ſi affectione uxoris habita ſit mulier, non concubinæ, quam diſtinctionem habemus in *d. l. 3. vid.* Lupo de Palatiis §. 37. Mantica *de Tacitis & Ambig. convent. lib.* 20. *tit.* 1. *n.* 9. & 10. & *lib.* 21. *tit.* 3. *n.* 8. & *ſeqq.* quod tantâ affectione in concubinam non feramur, atque in uxorem, ut illius amore noſmetipſos ſpoliaremus, nec adeo timendum ne ſeparentur eæ perſonæ, ſi non donaret quæ poſſet, ut potius illud ipſum publicè ſit exoptandum. Qui verò pro conjugibus ſe invicem habuêre, unaque conjugali affectu irruptaque diæta ætatem egere, non minus temperabunt donationibus, aut profuſam erga ſe invicem liberalitatem exercebunt; quam ſi re vera matrimonium fuiſſet aut conſtitiſſet inter eos; ſaltem nihil intererit propinquorum intuitu, quibus conſulere ejuſmodi prohibitoria edicta plerique Doctores teſtantur: ut huc non malè aptes, plus valere quod in illorum eſt opinione, quàm in rei veritate. Itaque quod in genere ſcriptum eſt apud Grotium *in ſua Manuduct. lib.* 1. *part.* 5. ex eo demum tempore, quo coram facie eccleſiæ aut Magiſtratus legitimè conjuncti ſunt vir mulierque, conjugii effectus initium ſumere, de rerum inter conjuges commmunione, juribuſque è matrimonio exſurgentibus exaudiverim, non de hac donandi aut legandi prohibitione. Et quidem, cum concubinæ mille ducentarum librarum uſumfructum in annos ſingulos teſtamento vir quidam magnus, idemque opulentiſſimus reliquiſſet, ſecundùm ejuſmodi affectionis fructuariam pronuntiatum eſſe teſtatur Mornac. *ad l. 4. ff. de condict. ob turpem. §. ſed & quod meretrici.*

Digitized by Google

trici. Diſputantur hæc ita ex norma juris civilis, quo conſtat concubinæ donari utiliter, nec ſi matrimonium poſteà contractum fuerit donatum intercidere: verùm ad mores aliorum ſi adſpexeris, damnantur in totum hæ donationes, tanquam inhoneſtæ: adeo, ut Argentreus non periclitetur dicere manere ejuſmodi donationes, probrum eſſe Chriſtiani Magiſtratus, probroſæ conſuetudinis mercedem & irritamentum *in præfat. de Donationib. num.* 4. Chopin. *ad leges Andium lib.* 3. *tit.* 3. *de Donat. inter conjuges num.* 15. Brodeau *ſur Louet lit. D. num.* 44. & allegati à Groenewegen *ad l.* 5. *affectionis ff. de Donation. & ad. l.* 2. *C. de naturalib. liber.*

XII. *An thoro & bonis ſeparati?*

Qui in thoro & bonis ſeparati ſunt conjuges habebuntne ſibi invicem gratificandi poteſtatem? Aliud atque aliud Scriptoribus placitum eſt. Chopinus *de moribus Pariſior. lib.* 2. *tit.* 4. *de teſtament. num.* 15. quem citat Chriſtin. *ad leges Mechlinienſes tit.* 17. *art.* 2. *ad num.* 4. negat valere eorum legatum, eo quod ſeparatione factâ matrimonium non ſit diſſolutum, ac conſequenter conjuges eſſe non deſinant; ac deinde cùm retineat maritus beneficium juris, ne in plus quàm facere poſſit, conveniatur *l. nec maritus C. ſoluto matrimon.* & hunc matrimonii effectum fas ſit retinere conjuges, ne rei legatæ vel donatæ inter ſe ſint capaces. Contra latè diſputans Peckius *de Teſtament. conjug. lib.* 4. *cap.* 19. tenet legatum ſubſiſtere: eo quod mens vel ratio ſtatuti potius ſit attendenda, quàm verborum cortex & ſuperficies, ut loquitur; gratificatio autem inter conjuges hanc rationem habeat, ne minis vel blanditiis adducti conjuges bona

ſua transferant extra familiam, quæ ratio facta diætę & thori ſeparatione ceſſet. Et in hanc Sententiam Charond. *en ſes Reſponſ. lib. 3. reſp. 76.* profert Pariſienſe judicatum ejuſmodi gratificationis confirmatorium, hac adjectâ ratione, quod conſuetudinaria hæc prohibitio locum non habeat diſſolutâ communione; cui conſonare videtur vetus apud nos ſtatutum, quo propterea inhibetur inter conjuges gratificatio, quod bona inter eos ſint communia; cujus ſtatuti verba deſcripſimus ſuprà hoc eodem capite. Verùm vix eſt, ut hæc poſterior opinio præponderet priori. Pro hac quippe ſtant ſtatuti verba viri & uxoris ſemet inter gratificationis ſimpliciter prohibitoria. Ac deinde licet in cenſu ac geniali thoro diſparatis conjugibus non tanta ſit blanditiarum, aut metûs præſumptio, non tamen ex aſſe ea evanuit: poſſet quippe priſtinus amor vel in ipſo mortis articulo reſuſcitari, vel, reſarcita jam inter valentes gratia, nollent conjuges vel ideo diętam vel cohabitationem reaſſumere, quo donationi aut legato conſtaret efficacia: ut proinde, ne anſa detur delinquendi, publicè potius interſit non ſuſtentari hujuſmodi donationes, quàm ut contra ſcripturam conſuetudinis laxarentur ad donandum conjugibus habenæ; ne dicam rationis non eſſe, ob malos alterius mores, ſeparatis licere, quod ſemper concordibus foret inhibitum. An autem & quando diſſolutâ habitatione diſſolvatur una communio, videbimus aliàs ſuo loco. Illud hic dixiſſe ſuffecerit, ceſſante bonorum ſocietate, non ceſſare apud nos prohibitorium hoc edictum, cùm vel excluſa pactis dotalibus communione,

ne, conjuges tamen edicto teneri non deſinant.

Utrùm autem in ſubditos ſcripta duntaxat prohibitoria oratio, an verò & exteri conjuges ea teneantur, ut bona apud nos ſita nequeant inter ſe invicem capere, tractavimus plenâ manu *in Tract. præliminari de iure quod orit. 2. cap. 5. num. 1.* XIII. *An exteri conjuges quoad bona apud nos ſita?*

Hæc de perſona donantis, legantis, videamus de donatarii, legatarii. Conjuges ſunt, qui prohibentur à ſe invicem capere. Quid ſi in liberos prioris thori à noverca vel vitrico collata ſit donatio, vel gratificatio? Diu multumque de eo apud Gallos dubitatum eſt. Quondam in fraudem legis liberorum perſonam interpoſitam eſſe interpretati ſunt togati Patres, adeoque indirectè donatum eſſe quod directè non concederetur. Mox ſuſtinuere legatum, ſi donationis lege comprehenſum eſſet, ne legatarii aut donatarii parens inde ferret compendium, aut liberis ſubſtituti eſſent alii, vel ſi profiteretur parens, liberis ſuis ſine prole decedentibus, bona reditura ad donantis hæredes, adeoque ſe in legato re & ſpe jus omne abnuere. Deinde alterius liberis largiri aliquid indiſcriminatim noluerunt, qualeſcunque tandem parentes declarationem interpoſuiſſent. Adeo variavit in eo Gallica Juriſprudentia, quod viderent obtentu ejuſmodi declarationis fraudes inſignes legi ſtrui, quæ non niſi difficillimè detegantur. Poſtremò Pariſienſis Curiæ conſtitutio donationes in privignos ac privignas indiſtinctè roboravit, ſi nulli donatori ſuppetunt liberi: quod tamen in cæteris Galliæ locis conſuetudinariis, donationis ſimplici- XIV. *An conjux validè donet, leget alterius conjugis liberis?*

 ter

Digitized by Google

ter prohibitoriis, necdum admiſſum eſt. Fuſè, accuratèque enarrat hæc omnia Brodeau *ſur Loüet lit. D. n. 17. in annot. lit. B.* adductis Chopino, Roberto, aliiſque Scriptoribus Gallicis: Cæterùm tamen Mornacio *ad l. 3. §. 3. & l. 60. ff. de Donationib. inter vir. & uxorem*, non malè notatum eſt aliud hic à jure civili moribus obſervandum, per rationem deficientis patriæ poteſtatis, cujus intuitu reprobatæ conjugis donationes factæ liberis alterius, quando illo jure donari non eſſe interdictum, ſi jus poteſtatis non verteretur, apertè tradat Ulpianus *in l. 3. §. 7. ff. de Donat. inter vir. & uxorem*; ac propterea nurum donare poſſe ſocrui; quemadmodum & eadem ratione generum poſſe donari eidem ſocrui rectè communiter colligatur. Gloſſa *in d. l. 3. §. ab uxorib. verb. ſocrui.* Mantic. *de Tacit. & Ambig. lib. 21. tit. 3. num. 30.*

XV. *An gener ſocero, vel ſocrui?*

Caſus converſus plus dubitationis habet, eaque nuperrimè apud nos in judicium deducta fuit. An gener ſocerum donatione, aut ultimæ voluntatis munificentia proſequi liceat, aut demereri. Illo præcedenti caſu, ex voto & intentione parentum, naturaliter, ac ordinariè liberi ſuccedunt parentibus; hoc non niſi perrarò, turbato mortalitatis ordine, contra commune ipſorum votum, parentes ſuccedunt liberis *l. 15. pr. ff. de inofficioſo teſtam. l. penult. §. ſed numquid 2. ff. de bonis libert. l. 7. §. 1. ff. ſi tabul. teſtam. extab.* triſtem autem eventum, adverſamque fortunam ſpectare & ominari portentoſum videtur, *l. inter ſtipulantem §. ſacram ff. de verbor. obligat.* Quod diſcrimen rectè notatum Bacquetio *au Traicté des droicts de juſtice cap. 21. n. 317. in fin.* Hujus quæſtionis defi-

Digitized by Google

definitionem ſi petamus ex jure civili, res expedita eſt eſt: illo quippe jure conſtat inter generum & ſocerum donationes non ſubſiſtere, quamvis & ſocrui à nuru, & contra donari non fuerit prohibitum, quod illic, non hic jus poteſtatis verteretur, *l.* 3. §. 6. 7. *l.* 32. §. 16. *ff. de Donationibus inter vir. & uxorem.* Unde illud ſupereſt diſquirere. An moribus, æquè ac Romano illo jure vetita habeatur inter ſocerum & generum donatio? Burgundus doctus Conſuetudinum Flandriæ Illuſtrator, &, quod difficillimum eſt, idem perornatus & brevis, in Prologo circa finem exiſtimat, ſeparatam liceat habeant legalis & conſuetudinaria prohibitio rationem; ut ſciamus tamen, quid ſit donare, & inter quas perſonas verè ſit prohibitum, hæc ferè nobis ex jure Romano petenda eſſe. Quod confirmari videtur ex eo quod Gentil. *lib.* 1. *cap.* 11. tradit, jus patriæ poteſtatis Romano Legiſlatori non alia in conſideratione fuiſſe, quam quatenùs inde reſultaret jus acquiſitionis & certa ſpes ſucceſſionis, quæ non erat in liberis emancipatis. §. 3. *I. de exhered. liberor.* cùm autem ea ſpes jure novo ſuos inter ac emancipatos ſit exequata, conſequens eſſe, ut & jam circa donationis prohibitionem æqualis utrorumque ſit ratio. Contra plerique alii à paterna Romanorum poteſtate proficiſci tradiderunt, ne gener donet ſocero; cujus poteſtatis vigore, pater & filius ita pro eadem perſona habebantur, ut filius patri acquireret, adeoque, cum moribus ſubtilis illa Romanorum fictio receſſerit ab aula nihil cauſæ eſſe, cur hodie non ſubſiſtat generi in ſocerum collata liberalitas, Groenew. *ad d. l.* 4. 5. *C. de donat.*

inter. vir. Loüet lit. D. arreſt. 17. ac alii à Groenewegio relati. Et hæc poſteriora ſuſtentant ea, quæ præcedente quæſtione attulimus.

Cæterùm tamen an non in fraudem legis gener ſocerum inſtituiſſe, aut ei donaſſe cenſendus ſit, interpoſita quaſi hujus perſona, ut vel eâ ratione corrueret gratificatio, videamus? Et certè Argentreo viro doctiſſimo probata eſt hæc diſtinctio, ut in linea directa fraudis capiatur conjectura, in collaterali non capiatur *tit. de donat: art. 218. gloſ 9. n. 3. 4. 5. 7. & 8. & art. 220. gl. 8. n. 13.* Boërius quoque *ad Conſuetudines Bituricenſes tit. 8. des Mariages §. 1. n. 3. verſic. Quid ſi uxor velit inſtituere ſocerum.* ut jure, ita perinde conſuetudine reprobari tradit generi largitatem erga ſocerum: adductâ tum lege 3. §. *non tantum ff. de Donat. inter vir. & uxor.* quâ dicitur, non tantum autem per ſe maritus & uxor, cæteræque perſonæ donare non poſſunt, ſed nec per alias interpoſitas perſonas; tum illâ ratione, quod ita occurratur fraudibus, quibus alioquin in perſonis tam conjunctis palam eſt aperiri feneſtram patentem: vel ille ait, *propter fraudes, quæ circa hæc fiunt.* Unde apparet in noviſſima editione pro vocabula affirmativa, *ſic,* quam habet vetus editio, negativam, *non,* irrepſiſſe: lege ſcilicet illa, ratione, & æquatione juris Romani cum conſuetudinario, ac denique ipſo marginali fidem de eo ſatisfacientibus. Quin & olim apud veteres ſuſpectam de fraude fuiſſe hujuſmodi in ſocerum largitatem colligitur è Plutarchi *Quæſtionibus Roman. quæſt. 8.* Cur, inquit, à genero donum capere ſocer prohibetur? Quoniam id per patrem videbatur ad uxorem rediturum. Hinc,

ad

ad averruncandas hujuſmodi fraudes, alibi in Gallia inter mores relatum eſt, non ſubſiſtere largitatem collatam in conjugem, vel in eum, qui conjugi eſſet ſucceſſurus, *Conſuet. Borbon. tit. des Donations mutuels* §. 226. Quemadmodum & in ſpecie conſimili complures apud Gallos conſuetudines cavere, ne quid intereſſet inter donationem hæredi præſumpto factam, aut hæredi hæredis: referente eas Argentreo *d. nu.* 8. *art.* 218. *gl.* 9. Sanè apud Pariſios, quorum moribus teſte Mornac. *ad l.* 3. §. 1. *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* proprietatis donatio vetita inter conjuges, ſoluſque uſusfructus licitus, cùm ex facto contigiſſet quæri, valerétne legatum, quod gener, liberis orbus, in alimenta dediſſet ſocrui ſexagenariæ, ſeptem liberorum educatione oneratæ, Senatus ſocrui legatum quidem adjudicavit, ſed eo tamen expreſſim addito, ne judicatum traheretur in conſequentiam aliis in cauſis. Bacquet. *d. cap.* 21. *n.* 3. 18. Quæ clauſula documento eſt ſingulare hoc eſſe judicatum, ſingulari ſubnixum ratione: nec ea quidem adeo inſulſa: cùm enim eidem Curiæ placuerit generum teneri ſocrum alere, teſte Brodeau *ſur Loüet lit. F. num.* 29. Quid mirum, ſi ſuſtinuerint Togati Patres legatum in cauſam alimentorum relictum; adeoque eos cæteris in cauſis, deficiente illâ pietatis ac alimentorum ratione, contra fuiſſe judicaturos: Hinc idem Bacquetius paulò pòſt intrepidè negat dari poſſe legatum ſocero vel ſocrui ejus, cui legare prohibemur, quique ſolus leganti ſit exiturus hæres, eâ redditâ ſententiæ ratione, quod legati commodum juxtà ordinem naturæ ex aſſe perventurum ſit ad perſonam

 pro-

prohibitam; niſi (inquit) legatum ad vitam legatarii ſit relictum, vel niſi legatarius profiteatur ad vitæ ſuæ tempus duntaxat duraturum legatum, ac præterea ſubſit juſta legandi cauſa, *d. cap.* 21. *n.* 321. Quæ ſi preſſius velimus intueri, vix eſt, ut non habeamus neceſſe confiteri raro citra fraudem ejuſmodi donationes à generis in ſoceros conferri, ac propterea non peccaturos eos, qui & hanc ſpeciem nominatim conjugali prohibitione incluſerint, ne facilè fraudibus ſubvertatur edictum. Nec eſt ut illud quenquam moverit poſſe contingere, ut parentes liberis ſuperſint, atque ita præciſæ neceſſitatis non eſſe ut obveniat legatum perſonæ prohibitæ: quippe non attendendus eſt caſus ejuſmodi inopinatus, turbato contingens naturæ ordine; eo quod jura non tam demonſtrativam quandam ac Mathematicam neceſſitatem, quàm moralem ac ordinariam ſoleant adſpicere, eaque, quæ ut plurimum accidunt, non quæ ex inopinato, *l.* 3. *& ſeqq. ff. de leg.* nedum ut triſtem illum eventum, adverſamque fortunam ſpectarent aut ominarentur. *d. l. inter ſtipulantem.* adeoque & ſimpliciter apud Romanos interdicta hæc ipſa inter generum & ſocerum donatio, inſuper habito illo, quod ſocer antè filiam poſſet in fata concedere. Cæterùm tamen, cum ſe nonnunquam res ita habeat, ut ſocer ex ſe, non contemplatione filiæ legatum meruerit, durum videretur ſocerum filiæ contemplatione prorſus ab eo excludi. Quare ſi in ſoceri perſonam ſcripta non ſit prohibitio (licet propterea expediret forſan ut ſcriberetur, ne occulta fraude prohibitorium edictum ſubvertatur,) reſpondendum

dendum videtur iiſdem verbis, quibus uſus eſt alia in ſpecie JCtus. Javolenus *in l. ſi vero 64. §. de viro 9. ff. ſolut. matrim.* De viro lex tantùm loquitur, de ſocero nihil in lege ſcriptum eſt, & hoc Labeo quaſi omiſſum annotat. Cui ſententiæ inſigne fundamentum ſubſternitur *l. ſi gener ſocerum 25. ff. de his quibus ut indignis.* Legis verba, quod ſummè huic ſpeciei faciant, apponam. Si gener ſocerum hæredem reliquerit, taciti fideicommiſſi ſuſpicionem ſola ratio paternæ affectionis non admittit. Olim ſolidum capere vetabatur uxor. Quæſitum, ſi gener ſocerum inſtituiſſet, an incideret in prohibitionem voluntas. Dubitandi ratio erat, ſoceri perſonam præſumi interpoſitam in fraudem legis. Reſpondet JCtus. ſolam paternæ affectionis rationem ſuſpicionem illam non admittere. Ex qua lege duo hæc deducas. Primum, ſuſpicionem vel conjecturas inter tam conjunctas perſonas admitti, ut in fraudem legis facta habeatur inſtitutio. Alterum, ſolam conjunctionis vel paternæ affectionis rationem eam ſuſpicionem non inducere. Atque hæc quoque ſententia generi erga ſocerum liberalitatem ſuſtentans, plerorumque Scriptorum calculos promeruit Groeneweg. *ad l. 5. Cod. lib. 5. tit. 16.* Mornac. *ad l. 3. §. ab uxoris ff. de donat. inter virum & uxor.* Bart. *ad l. 25. ff. de his quibus ut indignis.* Lancelot. Galliaula. *ad Conſuetudinem Alexandrinam in verb. num noſtra quæſtio. quæſt. 1. num. 18.* Wameſius *centuria infra citata.* Jaſon. *lib. 2. conſil. 110.* Alciat. *lib. 2. conſil. 17. per totum.* Cæterùm tamen ſi non ſola ſubſit ratio paternæ affectionis, ſed ad hanc perſonarum inter generum & ſocerum conjunctionem

accedat aliundè aliqua fraudis ſuſpicio, præſumptio, vel conjectura, manifeſtum eſt, argumento ducto à verbo *d. l.* 25. *ſola.* voluntatem corruere: atque ita concors Scriptorum ſententia eſt in hac ipſa prohibitæ gratificationis materia, ſuſpicionem, quæ ex arcta iſta parentum & liberorum conjunctione reſultat, ſolaque non eſt ſufficiens ad labefactandam donationem, compleri per aliam aliquam fraudis conjecturam, præſumptionem, aut ſuſpicionem adminiculantem; adeoque ejus rei inter tam conjunctas perſonas probationem admitti facilem; teſtibus Loüet *en ſon Recueil. lit. D. num.* 50. *circa finem.* Lucio *lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 3. Papon. *lib.* 11. *tit.* 1. *de Donat. arreſt.* 4. *& in Annotat.* Wameſio *cent. civil.* 5. *conſ.* 41. *num.* 5. Barry *de Succeſſionib. lib.* 1. *tit.* 9. *num.* 40. *in medio.* Barthol. *ad d. l.* 25. Menoch. *de Arbitrar. jud. caſ.* 459. *num.* 28. *&* 29. aliam duntaxat conjecturam requirens, eumque laudans Hodierna *de ſecundis nuptiis q.* 1. *nu.* 80. *applicans id ad d. l. ſi gener ſocerum.* Summa quoque ratio eſt, quæ pro hac ſententia facit. Cùm enim adeo dubitatum ſit apud Veteres juxtà ac Recentiores, an ſuſtentanda foret hæc liberalitas; quod viderent admiſſa ea, viam ſterni fraudibus, totumque prohibitorium edictum tantum non labaſcere; cùm per parentes, cui ſucceſſurus eſt conjux, bona ferè in eundem derivarentur, ut vix, imò ne vix quidem inter tam conjunctas perſonas fraus manifeſtè detegi poſſet; utique res ipſa monet, ſi fraudis conjectura, quæ ex illa conjunctione ducitur, aliundè præſumptione aliqua, vel indiciis adjuvetur, gratificationem irritandam, quo prohibitoria conſtitu-

tio

tio ſervetur ſarta tecta, ac ea potiùs amplectatur ſententia, quæ fraudis eſt everriculum, quam quæ foret ejus operimentum. Illud nimirum inter extraneas, & conjunctas perſonas intereſſe dixeris, ut illarum adſpectu manifeſtiſſimis probationibus fraus detegatur, harum verò rei veritas quæratur per conjecturas. Quid enim ſi vir eum ſcripſerit hæredem, qui nullo propinquitatis aut affinitatis vinculo uxorem contingat, vel in quem nulla fraudis cadit præſumptio, nemo dixerit ex fraudis conjectura aliqua vel præſumptione inſtitutionem iri vitiatam: inde enim eſt, quod manifeſtiſſimas probationes exigat JCtus. *in l.3. §.3. ff. de jure fiſci.* Quamvis illis verbis conjecturas non excludi diſputat cum pleriſque Doctoribus Mantica *de Conjecturis ultimar. voluntatum lib.* 10. *tit.* 4. *n.* 9. Cæterùm ſi in parentes ejus, cui legare vetamur, conferatur liberalitas, quis eam non videt laborare fraudis ſuſpicione maximâ, adeoque non negaverit, ſi aliundè quid accedat, oportere liberalitatem ſuſtineri, ea maximè ſpecie, cum filia patri ex aſſe hæres eſt extitura, fraudiſque ſuſpicio longè proclivior eſt, quàm ſi plures patri liberi forent; quod uxori gratificari habens in animo, ſocerum, ſi complurium liberorum parens ſit, vix hæredem ſcripturus ſit, adeoque maximam partem facultatum in extraneos projecturus, quo tandem pars aliqua earum perveniat ad uxorem; nec facilè in totum fraudis argueris erga ſocerum munificentiam, cùm ex parte duntaxat fraudis eventus, effectuſque illicitæ acquiſitionis ſubſequatur: & hinc eſt quod filia patri in ſolidum ſuccedente

te nihil ultra ad fraudis præſumptionem deſiderare voluerit Bacquetius *d. loc.* quamquam magis eſt, ut & hoc caſu aliqua præterea fraudis præſumptio concurrat, tanto tamen minor, quanto major fraudis conjectura eſt contra ſocerum, qui præter uxorem legantis hæredem habiturus eſt præterea neminem.

XVI. *An conjux conjugi adipiſcendi honoris cauſa?* A perſonis tranſeamus ad rem prohibitam. Vetatur conjux conjugi donare aliquid vel relinquere. Quid autem ſi honoris adipiſcendi cauſa uxor donet marito? Jure civili conſtat valere donationem *l.* 40. *& ſeqq. ff. de donationib. inter vir. & uxor.* Dubitatum moribus, an excluſa inter conjuges communione, idem ſit reſpondendum? Et rectè contra Autumnum aſſerit Groenewegen *ad d. l.* 40. non antiquatam moribus legis illius conſtitutionem: niſi forſan dixeris, cum maritus uxorem habeat in poteſtate, non poſſe ſubſiſtere inter eos donationem. Sanè patriis moribus poteſtatem eam donationi non futuram impedimento vel inde collegeris, quod uxor citra virum contrahat apud nos efficaciter, dummodò eo nomine non vir, ſed ipſa, hæredeſque ejus diſſoluto matrimonio conveniantur, ut uxor alterius apud nos non ſit in poteſtate viri, quam ne quid committat in ejus fraudem aut diſpendium; unde cùm donatio hæc viri cedat commodo, non videtur hic poteſtatis ratio quicquam obeſſe; ſi tamen quis malit judicem vel alium donanti mulieri fieri authorem, non vitiabit cautela abundans; tum forſan utilis, cum rem immobilem uxor viro donaverit, ſine eo alienandi poteſtatem apud nos non habens: quæ tamen

Digitized by Google

tamen donatio ita demum vivâ conjuge donatrice profutura eſt, ſi communio in totum ſublata ſit, etiam quæſtuum ac fructuum quorumcunque. Cæterùm tamen cum proprius ad conſtitutionis noſtratis prohibitionem adſpicio, non putaverim à jure Romano depromendam exceptionem, qua patria prohibitio perdat officium; cùm enim nihil omninò donari velit inter conjuges, citra mutui uſusfructus cauſam, apparet proprietatis cujuſcunque donationem univerſaliter inhibitam, exceptione illa mutui uſusfructus firmante regulam in caſibus non exceptis. Idem confirmat & ipſa ratio, quâ niti volunt Romani juris conſtitutionem, quod ſcilicet uxor ex hac donatione non intelligatur reddita pauperior, cùm coruſcet ea radiis mariti, honore ejus ad ſe quoque pertinente, vid. Mornac. *ad l.42. ff. de donat. inter vir. & uxorem.* Noſtra autem conſtitutio non tam uxori, ne pauper fiat, quàm hæredibus ejus proſpicit; quid autem ad hæredes honor mariti, dum illi interim proprietate rerum intervertantur? Sanè quantum ad ultimas voluntates attinet, quibus apud nos inhibita æquè, atque donatione gratificatio, non video, qui juris Romani exceptio, citra donationes prodita, aptari poſſit teſtamentis; niſi forſan arriſerit cuipiam vulgatum DD. Brocardicum, quo dictitant, quoties ſtatutum auget & ampliat jus commune, toties eadem obſervari in ampliante, quæ in ampliato; & diſpoſitionem quamcunque augmentativam, ut loquuntur, diſpoſitionis præcedentis, etiamſi ſit ſtricti juris, ex tacita juris repetitione, continere in ſe omnes qualitates, & limitationes,

tiones, quæ continentur in diſpoſitione augmentativa, Molin. *ad Conſuet. Pariſienſ.* §. 12. *num.* 32. Rebuff. *ad Conſtit. Reg. præm. gloſ.* 5. *num.* 142. Berlich. *Pract. Concl. tom. ult. concl.* 62. *num.* 14. & 15.

XVI. *An remunerandi?* Nonnihil difficultatis in eo eſt, an non admittenda donatio, quâ conjux præſtita erga ſe officia remuneratur; ut puta, ſi viro comitiali morbo decumbenti adfuerit uxor, operaſque jugiter exhibuerit. Sunt qui putant æquitatis rationem ſuadere, ut ſuſtentetur gratificatio, quod non tam liberalitas ea dicenda ſit, quàm ſumpti laboris compenſatio: quod autem in compenſationem datur, non incidit in prohibitionem *arg. l.* 21. §. 1. *ff. de Donat. inter.* Et hæc quidem ſententia Chopino probatur ad leges Pariſienſes *l.* 2. *tit.* 4. *num.* 14. Peck. *de Teſtam. Conjug. lib.* 4. *cap.* 2. Everard. *ab eo alleg.* Chriſtin. *ad leges Mechlin. tit.* 17. *art.* 2. *in Annot. num.* 4. Charond. *ab eo allegat.* Contra non excipiendam à prohibitione noſtrate remuneratoriam donationem rectiùs exiſtimaverim: quod exceptio ſtatuto addita, præcludat viam ulli prætereà alii exceptioni; vel ideo magis, quod uſusfructu tenùs habeant, quod ſibi invicem gratificentur conjuges. Unde & Charondas commentans ad conſimilem ferè Pariſiorum prohibitionem & *in Pandect. lib.* 2. *cap.* 5. *fol. mihi* 193. *in fin.* ex eadem mutui uſusfructus exceptione ſtatuto addita negat locum eſſe donationi remuneratoriæ. Et certè, ecquid eſt quod conjuges, pro officiis erga ſe invicem præſtitis, poſtulent, aut ſibi deberi putent? Nonne ad mutuam opem ipſo matrimonii fœdere adſtricti ſunt? Nonne uxor ſpeciatim viro data eſt à

Deo,

Deo, ut cedat ei in opem, laborumque adjutorium? Apud Germanos veteres, monebatur mulier venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram, auſuramque? Nonne hæc officia ab amore magis, quàm à pretio proficiſci conveniens eſt? Nonne vel ob hoc ipſum, ne amor inter eos eſſet venalis, ne pretio conciliari videretur, donationes prohibuère Romani? Sanè dehoneſtatur pеſſimo exemplo honor conjugalis, ſi ſpes lucri potiùs, quàm amor matrimonialis ejuſmodi officia elicuerit. Optimè, inquit Chaſſaneus ſuprà nobis laudatus, hoc ſtatutum, ne ſi nollent donare mariti, non inſervirent iis uxores, ſed relinquerent eos in infirmitate. Nullorum igitur magis, quàm ipſorum conjugum intereſt hujuſmodi remuneratorias donationes non admitti.

Conjuges relinquunt ſibi invicem bonorum uſumfructum, Alter eorum binubus eſt habens liberos prioris thori, videamus, an ab hujus parte æquè teneat in univerſis bonis ille uſusfructus, atque à parte conjugis alterius? Quæſtio potiſſimum in eo eſt, an mutuæ gratificationes, æquè ac donationes ſimplices ſubjaceant diſpoſitioni legis hac edictali. Hodierna, qui ad illam nobilitatam legem ſcripſit ex profeſſo *quæſt.* 36. cum communi DD. cohorte putat ſuſtinendam largitatem, eo quod lex hac edictali duntaxat locum ſibi vindicet in contractibus merè munificis & lucrativis, non in oneroſis, mutuas autem donationes inter oneroſos titulos paſſim reponi conſtet. Verùm aliud ab iis tenuère doctiſſimi quique Recentiorum, ac complura ſumma

XVIII. *An in reciproco conjugum uſufructu locum habeat lex hac edictali?*

Digitized by Google

ma tribunalia probavere, Charond. *en ſes pand. lib.* 2. *cap.* 5. Peck. *de teſtament. conjug. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 4. Sand. *lib.* 2. *tit.* 3. *defin.* 4. Mainard. 3. *deciſ.* 28. Argentr. *art.* 221. *gl.* 3. *num.* 2. 3. Gomeſ. *ad l. Tauri* 14. *num.* 2. Gentil. *de donat. lib.* 2. *cap.* 28. eo quód, exitu ſpectato, mutuæ hæ donationes ratione liberorum anterioris thori meram lucrativam cauſam contineant, utpote quorum intuitu non inſpicitur contractus initium, quando quidem eventus incertitudo pro onere poſſit haberi, ſed eventus, quo conſecuto deſinit contractus oneroſus haberi, evaditque merè lucrativus; adeoque tempus mortis parentis binubi attenditur, ut ineatur ratio ejus, an ultra filialem portionem excurrat binubi munificentia *Novell.* 22. *cap.* 28. §. qui vero, idem vel ipſa ratio ſuadet. Lex hæc edictali proſpiciens liberis prioris thori, id agit, ne plus quàm eorum conſecutus eſt, qui minimum habet, emungat parenti vitricus vel noverca; unde fas non eſt liberum relinqui parenti dubiam aliquam incertitudinis aleam ſubire, quæ tertio alicui, liberis puta, exitu poſſit eſſe damnoſa. Nec movet quod gratificatio noſtra ſit in uſufructu, non in proprietate: uſusfructus quippe in bonis noſtris eſt, & per Falcidiam minuitur *l.* 29. *ff. de uſufructu*, adeoque & *d. l.* hac edictali ſubjacere eum rationis eſt, ſi excedat filialem portionem, factâ æſtimatione juxtà *l.* 68. *ff. ad legem Falcidiam*, vel tanti, quanti venire ſolet eo loci, ubi conſtitutus fuit ejuſmodi uſusfructus: ne autem temerè vitrico negotium faceſſant liberi, ita demum audiri eos vellem, ſi ſe paratos profiteantur tantum cedere uſufructuario in proprietate, quan-

quantum cepit ex ſuis ille, qui minimum tulit. Atque hæc liberis favens ſententia apud nos inprimis amplectenda videtur; utpotè quorum moribus tenet reciprocus etiam eorum conjugum uſusfructus, quorum alter firmâ valitudine, alter morti proximus eſt, hic amplas habet facultates, ille ne vel teruncium. Et quidem Ordinatio Amersfurtenſis totidem ferè verbis eandem mutui uſusfructus exceptionem continens, expreſſim hanc clauſulam adjunctam habet: dummodò ejus conſtitutio non cedat præjudicio liberorum prioris thori: eo enim caſu jure Romanorum utendum eſſe. Quid autem, cum mutuus duntaxat uſusfructus apud nos licitus, ac binubi juxtà legem hac edictali deprimendus ſit, num ab altera quoque parte tantundem minuetur uſusfructus? non putaverim: ſuffecerit quippe dediſſe binubum uſumfructum generaliter, quantum ille per leges dare potuerit.

XIX. *An ulla inter conjuges celebrari poſſit transactio?*

Quæſitum eſt, an liceat conjugibus ſemet inter tranſigere, quo controverſiis vel natis, vel poſteà orituris occurrant. Laudanda quidem videtur verecundia ejus qui lites execratur, adeoque averruncat earum occaſiones, ac ita ſuſtinenda conventio, quâ color donationi non eſt quæſitus, ut mox dicemus: cæterùm tamen, cum tranſactio vix interponatur, quam dato aliquo, retento, aut remiſſo, patriaque conſtitutio omnis donationis aut gratificationis inter conjuges ſimpliciter ſit prohibitoria, vix, imò ne vix quidem in prohibitionem non incidet, quæcunque inter conjuges tranſactio facta fuerit; ut forſan tutiùs foret tranſigendi facultatem conjugi-

jugibus in totum adimere, quàm permittendo aliquam viam aperire fraudibus.

XX. *Num liceat renunciare lucris quæſitis vel quærendis?* Multo minus igitur integrum erit conjugi, commodo alterius, renunciare lucro quæſito; ut maximè conſtante matrimonio ad illud conſequendum agere inhibeatur: licet enim patrimonium non dicamur diminuere, quando occaſione acquirendi non utimur, & noluerit renuncians acquirere, non ſuum patrimonium diminuere; quæ ratiocinatio noſtrorum JCtorum eſt in *l.* 6. *ff. Quæ in fraudem creditor. l.* 134. *ff. de reg. jur.* jus tamen ipſum ad conſequendum illud lucrum reverà jam acquiſitum fuit, cui juri ſi renunciat uxòr, utique de ſuo donat aliquid marito: quicunque enim actionem de bonis diminuit, vel jus ex contractu remittit, de patrimonio diminuiſſe videtur *l.* 1. §. 7. *ff. ſi quid in fraudem patroni l.* 1. §. 5. *de donat. inter vir. & uxor* Vid. Chopin. *de Privileg. ruſticor. lib.* 2. *cap.* 2. *de ſocietate pecoris paſcendi num.* 2. vid. latè Coren. *conſil.* 26. *verſic. nec obſtat.* An autem renunciare liceat conjugi lucro necdum acquiſito, ut puta hæreditati, quæ deinde ad alterum ſit perventura, videbo infrà *num.* 30.

XXI. *An igitur nullo pacto inter ſe contrahunt conjuges?* Quid igitur, an nullo pacto inter ſe contrahunt conjuges? Sanè, nec jure Romanorum *l.* 7. §. 6. *ff. de donat. inter vir. & uxor.* nec noſtro extra donationis cauſam ulla contrahendi prohibitio eſt, nec poteſtatis quoque maritalis ratio aut natura contrahentibus apud nos impedimento eſt, ut ſuprà notavi; cæterùm tamen perraro evenire poteſt, ut contractum celebrent conjuges, qui non aliquam gratificationis ſpeciem in ſe continuerit. Poſſet tamen accidere, ut in nullam omnino

ninò gratificationem contractus incidat. Fac enim excluſâ inter conjuges communione, ſocerum à genero fundum eâ lege emiſſe, ut quandocunque genero libuerit, jus ei eſſet eadem pecunia, quâ vendiderat, fundum recipere: An non, ſi ſocero uxor hæres extiterit, integrum foret genero jus ſuum in uxorem exercere? Et an non liceret uxori fundum viro reſcribere? Utique: nihil enim hic donationis cauſa agitur, ſed mulier fidem exſolvit, quam dederatis cui ſucceſſerat illa. Atque ita dicendum putaverim, licere apud nos conjugibus ſemet inter quoquo modo contrahere, extra donationis aut gratificationis ſpeciem.

Reliquerunt, vel conſtituerunt ſibi invicem uſumfructum conjuges. Num & res fideicommiſſo ſubjectæ eo comprehenduntur? Diſputant DD. an generali locutione veniant fideicommiſſa: & ferè à pleriſque in eam partem itum eſt, ut venire negent, niſi bona ſint perventura ad hæredes ipſius, qui legavit uſumfructum Ioan. à Sand. *lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 9. Sed fac apud nos, vel expreſſim voluiſſe conjuges, ut res ex fideicommiſſo ad hæredes ſuos perventuræ uſufructu includerentur? Mutui uſusfructus ratio videretur forſan efficere, ne neceſſe habeat hæres in rebus ex fideicommiſſo ſibi debitis eundem præſtare: quippe illæ à morte conjugis, quando demum voluntas ſortitur exitum, pertinent ad hæredes, adeoque in eadem cauſa teſtatio illa eſt, ac ſi rei alienæ, vel quæ hæredis eſt, uſusfructus relictus fuiſſet. Proinde ut mutuus ſit uſusfructus, dixerit aliquis viciſſim ab altero conjuge ejuſdem quantitatis uſum- XXII. *An in rebus fideicommiſſariis teneat uſusfructus conſtitutio?*

 fructum

fructum in conſimilibus rebus fideicommiſſariis debere eſſe conſtitutum. Verùm magis eſt in rebus fideicommiſſo ſubjectis omninò non tenere uſumfructum, ut maximè hæredibus utrimque æquale onus imponatur ejuſdem præſtandi: quod hac ratione manifeſtè evincitur. In re aliena, vel quæ ad vitam duntaxat eſt teſtatoris, directè uſusfructus relinqui nequit *l. final. ff. de reb. alienand. non alien.* Ut igitur voluntas ſortiretur effectum, is cui fideicommiſſum debetur, idem & hæres tuus ſit oportet, ut ita teneatur exequi voluntatem defuncti, ejus factum præſtando. Atqui non permittit mos patrius ultra uſumfructum præjudicio proprietatis quicquam decernere, noceret autem haud dubiè proprietati, ſi ultra bonorum uſumfructum etiam in ſuis illis rebus præſtare adhuc alium hæres teneretur, illudque ipſum minueret, rerum quæ ſibi à teſtatore obvenerunt, proprietatem, tanto minus valituram, quantum eſſet in onere iſto præſtandi uſusfructus in rebus è fideicommiſſo ſibi debitis; & in hanc ſententiam exſtat Curiæ noſtræ judicatum anni 1585. die 18. Octob. *tuſſchen Eliſabeth Garbrants en Frederick Corneliſſz.* & ſecundùm illam nuperrimè in Curia noſtra tractatum eſt *in cauſa van Hendrick Ruyſch* qualitate qua, *ende Gerrit Voſch van Aveſaet.*

XXIII. *Confeſſio aut declaratio conjugum quid inter illos operetur?*

Quando tractatum & illud eſt. Si declaverit conjux aliquid, vel confeſſus fuerit, An eâ declaratione contra hæredes conjux ſuperſtes ſe poterit juvare? & viſum eſt non poſſe; cum manifeſtè res incidat in prohibitam inter conjuges gratificationem, niſi forſan acceſſerint adminicula, vel conjecturæ non leves,

Digitized by Google

ves, quæ indicent ita ſe rem habere, quemadmodum declaraſſet conjux: ut hæc conjugis confeſſio dicenda ſit conferre aliquid ad complendam probationem, per ſe non adeo plenam, & quidem apud Charondam *en ſes Obſervat. in verb. Donation. fol. mihi* 53. fraudis coarguit Curia teſtationem uxoris, quâ declaraſſet maritum de ſuo ſolviſſe pretium, quo antè matrimonium prædium emiſſet.

XXIV. *An conſenſus hæredis firmet prohibitam largitatem?*

Non levis controverſia eſt, quæ diſtraxit Scriptores in partes diverſas, num conſenſus hæredis præſumpti, cujus potiſſimum interſit, firmet irritam lege gratificationem. Firmare putant non pauci; eo quod cuique liceat favori pro ſe introducto renunciare: diximus autem alibi ex communi Scribentium opinione intereſſe hæredis, aut familiæ cauſam potiſſimum conſuetudinariæ hujuſmodi prohibitioni dediſſe, & quidem ejus opinionis ſunt Burgund. *in prolog. num.* 10. *& tract.* 1. *num.* 43. 44. Peck. *de Teſtam. conjug. lib.* 4. *cap.* 10. Chriſtin. *ad leges Mechlin. tit.* 17. *art.* 2. *num.* 5. Argentreus *ad art.* 218. *gl.* 9. *num.* 15. *in fin.* quibus nec adverſantur Harbaij tradita *Rer. quotidianar. cap.* 17. Contra ſunt qui tradunt actum hunc donandi, legandi, quamlibet ſcripto hæredis conſenſu ſtabilitum, nullius eſſe momenti, prolato & à Chopino in eam ſententiam arreſto, Pariſienſis Curiæ ſolenni purpura pronuntiato Chopin. *de privileg. ruſticor. cap.* 4. *de Donat. lib.* 3. Valla *de rebus dubiis tract.* 2. *num.* 24. *&* 25. Charond. *en ſes Reſponſes lib.* 5. *cap.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 40. *en ſes Pandect. lib.* 2. *cap.* 5. *fol. mihi* 193. *& ad art.* 280. *in fin. & art.* 283. *ſur les couſtumes de Paris.* Bacquetius *tractatu de juſtitia & jure cap.* 21. *num.* 315. *in med.*

med. faciunt tradita Mornac. *ad l.* 26. §. *cum inter patrem* 2. *ibi ſi poſtea nihil aliud convenit. De pact. dotalibus* Brodeau *ſur Louet lit. M cap.* 4. *lit. A.* Et magis eſt ut hæc ſententia debeat prævalere: non quod ideo bono pnblico ſit introducta donationis prohibitio, quia ſæpè futurum eſſet ut diſtraherentur matrimonia, ſi non donaret is, qui poſſit, atque eâ ratione eventurum, ut venalia matrimonia eſſent: quâ ratione judicatum illud munitum ivit Chopinus *d. cap.* 4. Fuit namque iſta ratio prohibendæ apud Romanos donationis? apud nos, cùm periculum non ſit, ne diſcutiantur, id eſt, per divortium diſſolvantur matrimonia, adeo ut nec morte confirmatæ donationes ſubſiſtant, alia ratio eſt, quæ conſuetudinariam prohibitionem induxit; ea nimirum, quæ bonorum in familia cuſtos, ac una concordiæ conjugalis conſervatrix eſt, ne nimirum facere cogatur aliquid conjux, quo comparet ſibi conjugalem, aut potiùs venalem conjugis alterius concordiam, diſpendio hæredum, quibus bona ſua deſtinaverat. Unde dicendum videretur, conſentiente illo, de cujus præjudicio agitur, largitionem eſſe ſuſtinendam. Verumenimverò vel ideo potiùs irritandam rectè eviceris; quod non ſpontaneus habendus ſit ejuſmodi conſenſus, ſed ſubdolè ab hærede exquiſitus, ne fortè quid ipſi fiat deterius ab eo, cujus hæreditatem ſperat, qui, ni paruerit, alium ſcripturum ſe hæredem, interminetur, haud gravatim conſenſum actui accommodaturum. Proinde omninò rationis eſt vel ob veriſimilem illam metus, coactæque voluntatis præſumptionem, viro donanti vel leganti nequicquam conſentire hæredem,

ut

ut gratificatio rata haberetur; & vel propterea, ne ſi dicamus aliud, præberetur anſa conjugibus, ex adſcititio illo hæredum interventu, prohibitorio edicto faciendi fucum. Ut manifeſtum ſit aliam à noſtra ſpecie rationem eſſe patroni, qui donanti conſentit liberto, de qua *in l.* 11. *ff. ſi quid in fraudem patroni,* unde deducens argumentum Argentreus negat ei poſſe reſponderi. Quippe *in d. l.* agitur de liberto donante cuicunque vel extraneo, hic autem de conjunctis ſummo affectu, unde plus periculi eſt, ne mutuato amore hæredes ſuos ſpolient, donationibus non temperantes, profuſa erga ſe facilitate; deinde cùm patronus non ſemper liberto ſuccedat, ſemper autem debita portio ad eum perveniat, non adeo timendum, ne libertus ſcribat exhæredem patronum conſenſum ei abnegantem, adeoque potius eſt ut ſpontaneus habendus ſit interpoſitus à patrono conſenſus. Ne dicam, quod utcunque bono publico introducta videri poſſit hæc gratificationis inter conjuges prohibitio, non quod periculum ſit, ne diſcuterentur matrimonia, ut modo monuimus, ſed ne concordia conjugalis pretio magis quàm amore conciliaretur: jus autem publicum privatorum pactionibus non oportet immutari; *l.* 38. *ff. de pactis.* Et ſecundùm hanc ſententiam, aliquando Cameram Vianenſem judicaſſe annotat Scraſſerus, apud nos non ita pridem primæ notæ patronus, in congeſta quadam à ſe quæſtionum farragine.

XXV. *Quid ſi leget alter uſumfructum quoad vitam*

Inhibita apud nos omnis uſusfructus niſi reciproci conſtitutio. Unde videtur dicendum, ſi concedat alter uſumfructum ad vitam

ſuperſtitis, alter uſque ad ſecundas nuptias.

tam ſuperſtitis, alter uſque dum nuptias ille repetierit, non ſubſiſtere gratificationem; eo quod reciproca aut mutua dici nequeat, quæ laboret inæqualitate, conjugibus vix permiſſa, quotieſcunque ab univerſali uſusfructus conſtitutione receſſerint, ut infrà fuſiùs exequar, ubi tradidero, quod modis apud nos uſumfructum ſibi invicem conjuges largiantur validè.

XXVI. *An liceat viro vendere bona feudalia, ut ita pretium cedat communioni?*

Fac in conſuetudinariam bonorum omnium communionem coiiſſe conjuges. Uxorem attuliſſe in matrimonium bona clientelaria vel feuda, quæ, cùm communicari nequeant citra domini directi aſſenſum, communione illâ non comprehenduntur, virum autem ſtante matrimonio alienaſſe ea; an pretium inde redactum cadet in bonorum communitatem? Pretium quidem cedere dixeris communioni, cæterùm tamen matrimonio diſſoluto, tantundem præcipit uxor in recompenſam alienatorum: aliter enim ſi reſponderis, indirectè conjuges conſequentur ſibi invicem gratificandi poteſtatem, ac in eadem planè cauſa hæc res erit, ac ſi vendidiſſet maritus uxoris res proprias, quas expreſſa antenuptialis conventio communioni ſubduxit, cujus alienationis nomine rectè mulier intendit à ſe præcipi oportere redactum ex fundi alienati venditione pretium. Vid. Charond. *ad art.* 232. *des Couſtumes de Paris.* Mornac. *ad l. res quæ ex dotali ff. de jure dotium.* Loüet *lit.* R. *num.* 30. *& in Annotat.* Ioan Maudit *ſur les Couſtum. de Barry tit. des Mariages ad art.* 1. Cocquille *en ſon Inſtitution du Droict François tit. des Droicts des mariées verſic. ſi durant le Mariage.*

Vendidit maritus prædium uxorium, pretio

tio inde redacto comparat aliud: num hoc illi erit ſuccedaneum, ut invicem alienati prædii ſoluto matrimonio à muliere tanquam proprium auferatur, an verò cadet in communionem quæſitorum? Cadere dixeris in communionem, quod in rebus particularibus magis ſit pretium non ſuccedere in locum rei, multo minus prædium eâ pecuniâ comparatum, quemadmodum & à Friſiæ Senatu judicatum teſtatur Io. Sand. *lib. 2. tit. 5. defin. 3. verſic. quid ſi maritus.* Quid autem ſi maritus eam voluntatis conteſtationem interpoſuerit, ut comparatum prædium eſſet uxoris loco alienati, vel ipſis emptionis tabulis enunciaverit maritus comparare ſe fundum pecunia è dotali prædio redacta, nomine uxoris, ut illius foret; vel ſi donet aut leget uxori prædium aliquod in recompenſam alienati, an ſubſiſtet hæc conteſtatio, gratificatio, aut legatum? Nonnihil intererit, utrùm per conventionem aut contractum, (cui donationem ab uxore acceptatam annumeraveris) ſtante matrimonio maritus comparaverit uxori prædium, ceſſurum in vicem alienati, an verò reliquerit aut legaverit maritus in hujuſmodi recompenſam. Illo caſu celebratur contractus virum inter & uxorem, quo uterque contrahentium obligatur ex æquo, ut ſi valere dixeris contractum illum, nec vel uxor unquam poterit aliud prædium in vicem alienati exigere; hoc vero caſu liberum erit uxori vel legatum ſibi prædium acceptare, vel petere, ut è bonis communibus reſarciatur, quod ſibi prædii alienati nomine abeſt; ut id legati conferat aliquam optionem, quam aliàs uxor non eſſet habitura,

XXVII. *An legare, vel addicere coniugi res alias in locum vel recompenſam alienatarum?*

quamque optionem ideo gratificationis cauſam continere dixeris. Et quidem priori ſpecie placuit Curiæ Pariſienſi apud Charond. *en ſes Reſponſes lib.* 5. *reſp.* 2. ſuſtinendum contractum, quo placuit conjugibus comparatum noviter prædium fore uxoris loco proprii ejus alienati, factâ prædiorum æſtimatione, quæ tum temporis erat cùm maritus compararet prædium poſterius & uxori tranſcriberet, & apud eundem, *en ſes Obſervat. memorab. verb. Donations fol. mihi* 53. confirmavit eadem Curia donationem prædii ſtante matrimonio à marito factam uxori in recompenſam alienati, poſtquam ſuper æſtimatione utriuſque inquiſiviſſet, nullámque fraudis ſuſpicionem comperiſſet ſubeſſe. Nec id adeo malè, ut mihi quidem videtur; venditiones enim aut contractus quoſvis inter conjuges non incidere conſtat in edictum, ſed eos duntaxat, quos commenti ſunt ut donarent, quæſito emptionis, alióve colore; & quidem in *l.* 5. §. *circa venditionem l.* 7. §. *ſi uxor* 6. *ff. de Donat. inter vir. & uxorem.* Ulpianus ait, venditionem inter virum & uxorem bonâ fide geſtam non retractari, ſed, quodcunque bonâ fide geſtum eſt, manere ratum. Hæc de ſpecie priori. Poſteriori verò, qua vir uxori prædium aliquod in vicem alienati legat, plus dubitationis ineſſe videtur; eo quod hic uxor conſequatur illud arbitrium vel optionem, utrùm prædium malit legatum, an verò præſtari ſibi è bonis communibus alienati prædii recompenſam, ut illud ipſum per legatum habeat amplius uxor, adeoque titulo lucrativo vel donationis: cæterùm tamen ſi prædii alienati donatio reſpondeat alienato, magis

magis alicui placuerit non habendam ejus optionis vel electionis rationem; quod ſanè non amare, nec tanquam inter infeſtos jus prohibitæ donationis tractandum ſit, ſed ut inter conjunctos maximo affectu, Paulo monente *in l. ſi id quod* 28. §. *ſi quas ſervi.* 2. *ff. de Donat. inter vir. & uxorem.* Illud ſanè conſtat ad ſummam rei nil intereſſe pactis dotalibus conventum ſit, an non, ut vir in locum prædii uxorii, quod à ſe alienari contigerit, comparet aliud: quod tamen Charondas autumat: ſiquidem enim ſubſtitutio prædii alterius in gratificationem non incidat, non eſt ut pactum hic quicquam contulerit: ſin contra donationis cauſam contineat, nullum in pactis dotalibus præſidium erit ad roborandam prohibitam ſtante matrimonio largitatem, ut alibi pleniùs adſtruximus *in Tractatu Præliminari de jure quod oritur tit.* 3. *parte prior. cap.* 4. *num.* 6.

XXVIII. *Quid ſi pactis antenuptialibus convenit, ut liceret legare proprietatē.*

Quid autem, an & ad bona feudalia pertinget hæc prohibitio, ut nec ea invicem mortis cauſa donare vel legare conjuges poſſint? Pertingere dixêre cum viro doctiſſimo Fred. à Sande *ad Conſuetudines Feudal. Geldr. tract.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2. *de diſpoſitione codicillari n.* 9. eo quod donationes illæ non irritentur ob naturam bonorum, ſed in favorem perſonarum, hæredum ſcilicet ab inteſtato, quorum utique non minus intererit feudalibus ſe non privari, quàm bonis allodialibus: & certè cum apud nos liberum ſit de feudis teſtari, adhibitis dominicalis licentiæ literis, & Ordinatio noſtra velit nulla bona, *geen goet*, à conjugibus invicem donari legari, non video cur feudalia hac prohibitione non tenerentur.

XXIX. *An ad bona feudalia pertineat hæc prohibitio?*

Dixi-

Digitized by Google

inter conjuges, quò conſuleret familiæ ac legitimis hæredibus. Quin ipſimet JCti non videntur hic ſibi ſatis conſtare. Quod legaturus mihi es, potes rogatus à me uxori meæ relinquere, propterea, ut ait JCtus quod nihil ex bonis meis diminuitur. *d. l.* 31. §. 7. donaturum mihi fruſtrà juſſero uxori meæ dare, *l.* 3. §. *final. ff. de Donationib. inter vir. & uxor.* Atqui nec hac ſpecie reverà mihi aliquid acquiſitum fuit, aut de patrimonio meo deponitur: nec fictio illa, quâ perinde tum habendum dicunt, atque ſi ego acceptam, & rem meam factam, uxori meæ dediſſem, efficit, quo magis dicar factus pauperior, qui necdum acquiſitum derelinquerim, quando valere donationem paſſim inculcant JCti: adeo ut & legatum vel hæreditatem, mortuo jam teſtatore, repudiare permittant uxoris commodo. Proinde non vererer dicere ſpecies omnes antedictas, tanquam manifeſtè gratificatorias, in prohibitionem impingere: undecunque enim non habeo, quod habiturus eſſem, qua vel ipſa ratione alibi donationem improbant iidem ICti. *in l.* 56. *ff. de Donationib. inter vir. & uxor.*

Diximus ſtatuto patrio inhibitam inter conjuges quamvis gratificationem, excepta mutui uſusfructus cauſa. Quæſitum eſt, an ſubſiſtet uſusfructus ſuperſtiti alterutri conſtitutus omnium bonorum, quæ prior decedens ſit relicturus, cùm ſcilicet uni bona ſuppetunt, alteri res nullæ ſunt? Mutui uſusfructus ratio videtur poſtulare, ut ab utraque parte capi aliquid potuerit: quia nulla reciprocatio dici poteſt, ubi unus tantum capit, quod ea non verbo aut oratione tenus, ſed cum effe- XXXI. *Quid ſi conjugum altera careat bonis?*

Digitized by Google

effectu, adeoque de reali aliquo ſimultaneo uſufructu ſit accipienda, ut alibi ratiocinatur magnus ille Molineus *conſil. 32. num. 26.* Verùm rectè notatum eidem viro, in fine ejuſdem numeri, imprimis inſpiciendum eſſe, quo jure retrò civitas in ejuſmodi caſibus uſa fuiſſet: optima enim legum interpres eſt conſuetudo. Quare ea quæſtio, cùm in Curia noſtra tractaretur, memini excepto uno omnes, inter quos & complures erant qui multis retrò annis juri dicundo præfuiſſent, reſpondiſſe, nunquam apud nos habitam ejus rationem; an utrique conjugi bona eſſent, an alteri tantum, dummodò illi univerſalem ſibi invicem uſumfructum conſtituiſſent: quod patria conſtitutio non adeo amarè cum conjugibus agere voluiſſe cenſenda ſit, ut nulla omninò munificentia proſequi liceret maximo affectu conjunctum, & quidem tum, cum bonis ille careat, adeoque vitæ præſidiis futurus ſit deſtitutus, ubi conjux locuples ſpiritum poſuerit; ſed potiùs, proprietate familiæ conſervata, permiſiſſe, ut conjuges uſusfructus tenus ſe invicem demererentur, pacto ſcilicet illo vel conſtituto viciſſim; ne nimirum inſidiosè captaretur liberalitas, altero tantum dante, cùm poſſit dare uterque; atque illud ipſum Curiæ placuit in cauſa jam laudata *van Hendrick Ruyſch* qualitate qua, *contra Gerrit Voſch van Aveſaet:* inſuper habitâ verborum patriæ conſtitutionis conceptione, cui maximè innitebatur D. collega diſſentiens, quibus ſcilicet, conjuges vetantur ulla bona ſibi invicem dare vel relinquere, excepto uſufructu reciprocè conſtituto; unde videretur requiri, ut ſaltem ſuppe-

ſuppeterent bona, tametſi copia minus æqua, nec mutuum quicquam vel reciprocum dici poſſe, ubi duorum alter ſolus confert, altero quod conferat, nihil habente.

XXXII. *Quid ſi Geldri conjuges ſibi invicem legent uſumfructum, quorum alteri bona ſunt apud nos conſtituta, alteri non ſunt?*

Quin & de eo in modo producta lite dubitatum eſt. Mutua univerſorum largitate uſufructu tenus proſecuti fuerant invicem conjuges Geldri, ita ut eorum vivus utervis ſupereſſet, is bonis præmorientis uteretur, frueretur. Sunt alteri res ſoli in noſtra Provincia, alteri bona omnia in Geldria, de quibus ſtatuere teſtatione ultimâ non potuit. Præmoriente eo, cui bona apud nos eſſent conſtituta, vindicat eorum uſumfructum ſuperſtes. Quæſitum an rectè. Et quidem illud præmonendum, Geldricam teſtandi prohibitionem non afficere prædia extera: patriam prætereà conſtitutionem forenſium bonis apud nos conſtitutis legem ponere: ut de utroque diſſeruimus *in Tract. præliminar. tit.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. 2. 3. *&* 4. Proinde illud ipſum, de quo jam diſputavimus, permanſit in quæſtione. Utrùm exigat ordinatio patria, ut ab utraque parte ſuppetant bona, an verò ſecundum eam ſuffecerit uſumfructum fuiſſe conſtitutum univerſaliter, adeoque in quantum quiſque potuerit; quod poſterius cùm probaret Curia, cenſuit & in hac ſpecie uſumfructum poſſe ſubſiſtere. Nec movit exteros fuiſſe hos conjuges, quorum adſpectu, quis forſan hanc æqualitatem requiſiverit, ut utrique apud nos ſint bona: quippe exteri juxtà ac ſubditi eodem modò afficiuntur ſtatutis realibus, ratione ſcilicet bonorum, quæ territorio ſtatuentis ſunt ſuppoſita; ita ut in propoſito ſuffecerit apud nos, haud fuiſſe neceſ-

ſe ut conjugum uterque bona habeat. Quemadmodum & ſi alteruter conjugum Trajectinorum res ſitas habeat in Hollandia, poſſet etiam quoad proprietatem, haud aliter ac ipſi Hollandi, munificè de iis in conjugem ſtatuere, quod moribus ejus loci eiuſmodi largitio comprobetur; apud nos igitur cur non & uſufructu tenus validè teſtarentur exteri, eodem modo quo ſubditi, non video. Quæ contra proferuntur ex Argentreo *ad art.* 221. *gl.* 2. & Chopin. *ad leges Andium lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 4. ad illorum mores pertinent, à noſtris aliena ſunt; & Argentreus quidem de donatione agit non reciproca tantùm, ſed & æquali ratione rerum, perſonarum, temporis: Chopinus quoque ſuper ea commentatur conſuetudine, quæ æquale bonorum genus exigit expreſſim; cum noſtra conſtitutio in univerſali uſufructu hanc æqualitatem neſciat. Diximus apud nos vetitam proprietatis donationem; licitam uſusfructus. Quid igitur reſpondebimus de reditibus perſonalibus ſeu vitalitiis, an percepturus erit eos uſufructu donatus conjux ſuperſtes? Exſtat judicatum Hollandiæ apud Corenium *obſerv.* 7. quo placitum eſt cedere reditus uſufructuario, eique ſententiæ firmandæ complura eo loci videas conquiſita. Cæterùm tamen ſi veritatem potius quàm ſubtilem diſputandi rationem ſequamur (multa enim contra rationem diſputandi recipi oportere docemur ab Ulpiano in *l.* 51. *in fin. ff. ad l. Aquil.*) magis eſt ut dicta Sententia recipiat temperamentum. Sanè olim Curia noſtra aliquoties in alia omnia ivit, judicavitque æſtimationem fieri oportere redituum illorum perſonalium, quanti

XXXIII. *Quomodo uſusfructus legatum teneat in reditibus perſonalibus, ſeu vitalitiis?*

ti eſſent, cum conjunx legans in fata concederet, ejuſque dimidium reſtituendum illius hæredibus. Nuperrimè autem cùm hæc quæſtio cecidiſſet apud nos in diſceptationem, in lite jam ſæpè laudata *van Hendrick Ruyſch Notaris, ende Gerrit Boſch van Aveſaet*, Curia intuens hos reditus ob id ipſum altero tanto majores pendi ſolitis ac ordinariis, quod ad vitam perſonæ conſtituti eſſent, unaque cum perſona interirent, æquum cenſuit conſuetos reditus, ſeu quantum ex ſortibus durantibus redire ſolet, cedere uſufructuario; illud autem reliquum, quod excedit, refundi hæredibus legantis conjugis, in recompenſam ejus, cujus ergo id, quod ſupereſt, datur: ob id ſcilicet quod procedente tempore reditus jam facti eſſent ſuo interitui propriores, adeoque minus valentes, vel forſan in totum una cum perſona expiraſſent: adeo ut id ipſum quod ob imminutionem ſubſtantiæ vel ſortis ultra conſuetum uſurarum modum ſtipulatum fuit, capere potiùs proprietarium fas eſſe exiſtimarint, quàm manere penes uſufructuarium. Eaque media ſententia tum arriſit omnibus, vel eo magis, quod & tum cum reditus vitalitii in dotem dati ſunt, dimidium eorum, qui ſtante matrimonio decurſi eſſent, defuncti conjugis hæredibus refundendum eſſe compluſculis judicatis, alibi à nobis enarrandis, eadem Curia arbitrata fuiſſet, de qua alioquin quæſtione pugnantes DD. ſententiæ ſunt. Et quidem omnes reditus ſi bona generaliter in dotem data ſunt, reddendos tenet Sarmiento *ſelecta. interpretat. lib.* 3. *cap.* 18. indiſtinctè reſtitutioni locum eſſe Gutierez *in tractat. de Tutelis & Curis: cap.* 35. *per tot.* nullam omnino

T nino

nino faciendam refuſionem tuentur noſtras Cuyck *ad conſil. Cravet* 782. Caſpar. Roder. *in tract. de Annuis reditib. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 16. Garſias. *de expenſ. & meliorat. cap.* 23. *n.* 5. Gratian. *Diſceptat. Forenſ. cap.* 756. *num.* 5. *&* 6. Sed de hac quæſtione, ut diximus, aliàs. Illam quidem opinionem ſuperiorem, quæ in propoſita ſpecie dimidium ejus, quod valuere reditus tempore mortis legantis, reddendum dictat, propterea Curia non amplexa fuit, quod eo modo adigeretur uſusfructuarius ad ſubeundam aliquam dubii eventus aleam; ita ut perſona, cui innituntur reditus, ocyus decedente, fructuarius de ſuo faceret jacturam, contra naturam uſusfructus, quo gaudens utitur fruitur re aliena; de ſua ſecurus. Finito demum uſufructu placuit fieri reſtitutionem, quod proprietarii non ſit quicquam percipere, antequam uſusfructus expiraſſet.

XXXIV. *Quomodo in terra paluſtri, ſeu famelicoſa?*

De terra paluſtri ſeu famelicoſa, unde teſſellæ uſtiles effodiuntur, quibus ad ſolem ſiccatis ignem ſtruimus, jam pridem dubitatum, quomodo ea utatur fruatur conjunx uſufructuarius? Olim Curiæ noſtræ viſum fuit ita ſententiam ferre *den* 2. *Auguſt*. 1550. *inder ſaecke van Goort van Hees ende Evert van Hees*, ut permitteretur uſufructuario terra illa paluſtri uti frui ſecundum jus uſusfructus; quod in ea cauſa ſic arbitrabatur Curia, ut quotannis tantum ceſpitum ſive glebarum effodere uſufructuario jus faſque eſſet, quantum octo operis, ſeu diurnis officiis effodi conſuevit. Vernaculè, *te mogen graven 't Veen in queſtie naer lijſ-tochten recht, 't welck in deſe ſaecke 't Hof arbitreert omme des jaers te mogen graven acht dach werken turfs, ſonder meer.* Cæterùm tamen legenti mihi,

mihi, quæ à litigatoribus agitata fuerunt, apparuit uſufructuarium ſe eo juvaſſe, quod dominus, qui uſumfructum legaſſet, ſolitus fuiſſet quotannis tantundem glebarum effodere, adeoque aſſeruiſſe ſibi eodem illo frui licere emolumento, quod defunctus in annuo uſufructuque habuerat. Inter illas verò conſuetudines, quæ juſſu Ducis Albani apud nos collectæ nomen ab eo ferunt, relatum eſt *artic.* 14. pertinere ad uſufructuarium, quicquid glebarum effoderit, haud aliter ac ejus ſunt quivis fructus fundorum; qui tamen articulus tùm temporis notam ac animadverſionem, ei vulgò ſubjectam, meruit, ut exiſtimatum ſit, nihil ulterius cedere oportere uſufructuario, quàm quibus ad uſum quotidianum utatur; vel quantùm ad ejus annonam foret ſatis, cætera, pretium finito uſufructu reſtitui hæredibus. Verùm, ut non facilè textum, ita nec gloſſam probaveris: uſus enim, non uſusfructus eſt, qui conſiſtit intra neceſſitatis cancellos. Deinde adeo non omnes glebas uſufructuarii fore ſtatuendum eſt, ut nullæ omninò ei addicendæ videantur, argumento deſumpto à metalli fodinis, quæ, quod non renaſcantur, in fructu eſſe non intelliguntur, *arg. l. divortio 7. §. item ſi vir. ff. ſoluto matrimon.* uſque adeo ut nec pro more patrifamilias conſueto iis uti liceat, qui modus alioquin in ſylvis cæduis & arboribus amputandis attendi ſolet *l. 9. in fin. ff. de uſufructu.* Idque ipſum probavit Friſiæ Senatus, voluitque finito uſufructu præſtari æſtimationem glebarum effoſſarum, apud Ioann. à Sand. *Deciſion. Friſicar. lib. 5. tit. 3. defin.* 2. qui tamen definitione ſequenti aliud obtinere putat in

 ter-

terra ab uſufructuario ad effodiendum primum ſuis ſumptibus præparata, quam tradit ipſius lucro cedere, dummodò etiam nullam habeat impenſarum repetitionem *arg. l. divortio 7. §. ſi vir. 13. ff. ſoluto. matrimon.* Verùm cum ſuper intellectu iſtius legis admodum digladientur DD. nec deſint, qui ſtatuant lapides quidem illos, qui non renaſcebantur, ex hoc textu mariti eſſe, cæterùm tamen præſtari debere pretium, juxtà *l. ſi ex lapidicinis ff. de jure dot.* Coſtal. *ad d. §. ſi vir in fundo*, rectius putaverim, ſi aliud à priori non reſpondeamus: quippe præparaverit maritus terram, an non, naturam rei non immutat, ut propterea ceſpites vel eſſent in fructu, vel non eſſent, cum utrobique ſtatuamus eos non renaſci; illud duntaxat eo efficitur, ut impenſa uſufructuario ſit reſtituenda ab hæredibus.

XXXV. *Quomodo in ſylvis & arboribus?*

Vicinus huic Tractatus eſt de ſylvis & arboribus, quomodo iis utantur fructuarii conjuges? Vulgata non minus, quàm proba diſtinctio eſt inter ſylvam cæduam, & non cæduam. Sylva cædua eſt, quæ in hoc habetur, ut cædatur, quæque ſucciſa rurſus ex ſtirpibus & radicibus renaſcitur *l. 30. ff. de verb. ſignificat.* Non cædua eſt, quæ conſtat ex arboribus grandibus, vel frugiferis, vel amœnitatis cauſa habitis. Sylvam cæduam ſuccidere poteſt fructuarius eo, quo paterfamilias conſuevit, modo, ita ut & ſucciſa vendere poſſit, licet id dominus facere ſolitus non eſſet *d. l. 9.* Sylva non cædua in fructu non numeratur. Digna ſunt lectu quæ de hac materia tractant Mornac. *ad l. 11. 12. ff. de uſufructu* & Buſius *ad l. ex ſylva 10. & ſeqq. ff. eodem.*

Quid

Digitized by Google

Quid autem ſi ſylvam non cæduam identidem exſcindere pro more habuiſſet paterfamilias; an in fructu arbores habebuntur, quaſi ex deſtinatione patrisfamilias? Hujus queſtionis affirmativam quondam apud Lutetianos Patres tutatus eſt ingens illud fori Gallici ornamentum Renatus Chopinus, contra tendente Buiſſonio, eo quod in illa ſpecie aliquando ſolum, incertiſque annis cæſæ fuiſſent arbores, volubili inſtabilique rerum vice, ac pro domini arbitratu, adeoque cæſuram illam arborum non extitiſſe fructum annuum, certum, conſtantem, ordinarium, ac continuum, prolato argumento *ex l. Sejo* §. *medico Sempronio ff. de annuis legatis*; atque ob hanc rationem ſecundum poſteriorem litem datam eſſe narrat idem Chopinus de *Privilegiis Ruſticorum lib.* 2. *cap.* 10. *de grandium arborum cæſura*. Verùmenimverò judicatum ipſum magis probaverim, quàm rationem ei ſubſtratam: ut maximè enim proprietatis dominus grandes arbores quotannis amputare conſueviſſet: haud ideo tamen non rectè dixeris in fructu ceſſuras, quæ ſua natura in fructu non ſunt. Quod dominus in re ſua fecit, non idem continuo uſufructuario facere jus faſque eſt, niſi forſan appareat ad illum ſuum utendi modum reſpexiſſe eum, qui uſumfructum legavit, quemadmodum & in *d. l. Sejo* proponitur dominum expreſſim legaſſe ea quæ vivus præſtitiſſet. Cæterùm tamen ſi ultra conſuetudinem patrisfamilias concurrat mos regionis, ſylvæ non cæduæ arbores in fructu permittens eſſe, feret eo modo fructuarius ex amputatione emolumentum, quo ferre conſuevit paterfamilias. Quemadmodum in Gel-

dria ſunt ſylvæ majores, ex quibus poſſeſſores (qui ejuſdem ſylvæ plerumque plures pro indiviſo ſunt) certum ſtipitum numerum ſuccidere & pro quantitate juris cujuſque in ſylvam partiri ſolent. Et in hanc ſententiam, cum de ejuſmodi ſylva quæſtionem ad nos conſulendi ergo detuliſſet Nobiliſſimus Dominus de Opdam, Buſii teſtimonio innixi, reſpondimus.

XXXVI. *An in bona Hollandica.* Extra uſumfructum nulla bona inter ſe capiunt conjuges. Quid ſi bona ſint alterutri in Hollandia, num & in illa vires explicabit prohibitoria oratio? non videtur, eo quod inter realia ſtatuta noſtrum reponendum eſſe in reviſione judicatum ſit, cujuſmodi extra territorium non producunt effectum, ut fusè diſcuſſimus alibi *in Tractatu Præliminar. de jure quod oritur. tit. 2. cap. 5. num.* 1. cujus capitis numero ſequenti hæc ipſa quæſtio à nobis eſt tractata.

XXXVII. *Quid ſi ſtante matrimonio, vir emat bona ſita in Hollandia, quæ deinde leget uxori?* Quid autem ſi vir ſtante matrimonio prædia ſibi comparatum eat in Hollandia, quo uxor eorum ſibi legandorum facultatem habeat, eaque deinde uxor donaverit, aut legaverit viro. Apparet hic virum melioris eſſe conditionis quàm uxorem, cum illi rerum ſit alienandarum ac emendarum poteſtas, huic non ſit; adeo ut & arbitrii virilis ſit propria uxoris apud nos ſita vendere, & alia conſtituta in Hollandia comparare: ut proinde conſequens ſit exponi uxores blandimentis vel extorſionibus maritorum, maritos contra poſſe efficere, ne habeant, de quo ſibi mutuant ab uxoribus. Sanè ſi conſtiterit eo animo expreſſim vendidiſſe maritum uxoria noſtratia, ac comparaſſe extera, ut ita de his conſe-

conſequeretur uxoris erga ſe munificam teſtationem, atque ita principaliter ut ſtatutum circumveniret, rationis eſſe videtur ſubſecutam liberalitatem irritari, tanquam factam in fraudem ſtatuti patrii: in hoc ſcilicet ut præceptum legis evertatur, contra *l. ſi libertus 16. ff. de jure Patronatus.* unde dicitur in fraudem legis fieri etiam cum quid verè fit, ſed eo tantum animo ut evitetur lex, quod aliàs non fieret, de quo Tiraquel. *de Retract. gentilit. in præfatione num.* 75. Non adeo malè huic aptes, quæ Chopinus alibi, in ſpecie licet abſimili, de viro ſcribit, quem credibile erat fraudandæ legis animo uxoria Andium bona diſtraxiſſe, ut inde partis aliis apud Carnutes latifundiis, liberè potiretur uxoriâ liberalitate. Quoniam ergo (verba ſunt doctiſſimi viri) matrimonii honos & publica fides conjugum intuenda potiùs, quàm rerum conjugalium ſitus, par eſt quoque, fraudatoris odio negotium ex lege fraudata decidi, non Carnutenſis Provinciæ, ad quam ille Andegavi fundi pretium callidè ſubdoleque traduxerit: ut Iaſon arbitratur *in §. item ſi quis in fraudem Inſt. de action.* Hæc Chopinus *ad leges Andium lib. 3. tit. 3. de Donationib. inter conjuges num. 14. in fine.* Cæterùm extra hanc fraudis cauſam rectè dixeris maritum capturum donata ſibi prædia Hollandica, licet in eorum emptionem collocaverit pretium ex divenditis propriis uxoriis, apud nos ſitis, receptum: cum maritus libero gaudeat rerum commercio, adeoque extra fraudem pœnam non mereatur, ſi quid lege permittente fecerit, aut ſi qua in re jure ſuo fuerit uſus.

Digitized by Google

XXXVIII. *Quid ſi conſenſerit conjux, ut alter de ſuis bonis diſponat vel teſtetur?*

Uxorem poſſe marito poteſtatem concedere de bonis ſuis teſtandi video probari recentioribus. Vid. Everhard. *conſil.* 60. Peckium *de Teſtament. conjugum. lib.* 1. *cap.* 43. *& ſequent.* Chriſtinæum *ad leges Mechlinienſes tit.* 17. *art.* 3. *num.* 20. Non lubet diſquirere, an mores in eo receſſerint à jure civili, quo nimirum teſtamentum eſt voluntatis noſtræ ſententia, non alienæ: Illud, quod hujus eſt loci, quæſiviſſe ſuffecerit, an non incidat hæc conſenſus accommodatio in prohibitam inter conjuges donationem aut gratificationem. Et quidem ſi in commune bona contulerint conjuges, alterque ita de alterius bonis commodo tertii diſpoſuerit, non eſt ut irritetur diſpoſitio; quod hic nullum à ſe invicem ferant compendium, adeoque ceſſet ratio ac diſpoſitio ſtatuti, id præcavere volentis, ne alter ex rebus alterius ſe reddat locupletiorem. Cæterùm tamen ſi conſenſus effectus conferatur poſt mortem conſentientis, ut poſſit conjux quandocunque voluerit teſtari de bonis prædefuncti, res non æquè terminata videtur, quod tum non levis ſubſit præſumptio gratificandi ergo ejuſmodi conſenſum interpoſitum fuiſſe, cum ferè ſuperſtes eum ſcripturus ſit hæredem, quo cum tacita pactione de bonis deciderit, vel unde certo ſit exſpectaturus remunerationem aliquam aut recompenſam, vel forſan officii aliquid, cujus ſua quàm maximè interſit fieri compotem: in eoque diverſus abit poſterior hic caſus à priori, quod illic ſimultaneo actu conjuges defungantur, ut vix aliquid temporis intercedat, quo res alterius penes alterum ſit, aut reſideat in ejus manu, ac prætereà jam tum videant

deant

deant ipſi conjuges, quid inter ſe diſpoſuerint; cùm hic negotium conferatur in liberam ſuperſtitis voluntatem ex intervallo demum poſt mortem concedentis interponendam, ut interim bona quaſi ipſius ſint; adeoque perinde res habenda videatur, ac ſi ego illa bona à defuncto conjuge accepta, ac mea facta, rurſus alteri relinquerem. *arg. l.* 3. §. *final. ff. de Donationib. inter vir. & uxorem.* Verumtamen magis eſt ut & hæc voluntas ſubſiſtere videatur, dummodò nulla fraudis concurrat ſuſpicio, facilè in ejuſmodi ſpecie capienda: nam Ulpianus ait *in l. cogi poterit* 16. § 15. *ff. ad Senatuſc. Trebell.* qui ſolidum capere non poſſunt, poſſe rogatos reſtituere ſolidum, adire: ut appareat ex parte incapacem totum capere poſſe, ut capaci reſtituat *l. cum ei qui ff. de legat.* 2°. vid. Peck. *de teſt. conj. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 1. conjux autem apud nos capiendi ab altero non omninò incapax eſt, ſed proprietate duntaxat tenus, in uſumfructum, quæ altera pars dominii eſt, non ſcriptâ prohibitione. Illud itaque intuendum reor, utrùm ex ejuſmodi teſtandi conceſſione commodi aliquid aut emolumenti apud ſuperſtitem ſit remanſurum, an non; ut illo caſu non valeat negotium, hoc caſu benigniter ſuſtentetur; quod proniores eſſe debeamus ad ſuccurrendum conjugibus, ſtrictâ prohibitoriæ legis interpretatione, quàm laxius eandem habendo, rem producere ad ſeveritatem.

XXXIX. *Quid ſi vetuerit hæredibus, ne ſine conſenſu conjugis ſuperſtitis res alienent?*

Affinis eſt indagatio, utrùm valeat conjugis voluntas, quâ vetuit hæredibus res alienare abſque conſenſu ſuperſtitis: de qua quæſtione rectè affirmativam ſententiam amplectitur Peck. *de Teſtam. conjug. lib.*4. *cap.* 7. quod hic

hic nullum ſuperſtitis commodum vertatur, qui ſi ſine cauſa, conſenſum abnegaverit, judex interponet officium. Ut nihil cauſæ ſit prohibitionem legis ſcriptam in conjugales largitiones extendi ad hunc caſum, eas non concernentem.

XL. *Quid ſi dederit quid, aut legaverit?* Illud copioſius exſequitur Peck. *d. l.* 4. *cap.* 8. An liceat marito legare pecuniam uxori, quam erogatura ſit illa pauperibus. Et putat eſſe diſtinguendum, utrùm penitus incapax ſit uxor, an tantum ex parte, hoc caſu ſubſiſtere, illo corruere legatum, eo quod gravari non poſſit, qui ſit in ſolidum incapax. Verùm ſi diligentiùs ad quæſtionem attendamus, vereor ut hæc diſtinctio ad eandem poſſit aptari: quippe non tam legatum datur hic uxori aut fideicommiſſum relinquitur, quàm potiùs negotii aliquid aut officii demandatur, ut ſcilicet inter pauperes diſtribuat pecuniam iiſdem legatam, quæ partes & excutoris eſſe ſolent, quibus ea cura ferè committitur à teſtatoribus, uxorem autem executricem dari poſſe nihil vetat, etiam tum cum ſtatuto vetantur à ſe invicem capere conjuges; ut rectè cum Doctoribus tradit idem Peck. *lib.* 1. *cap.* 20. *num. final.* eo tamen non malè addito, præſtare, ut una cum aliis teſtator uxori hanc curam injungat, vel ut poſtmodum doceat uxor miſericorditer impendiſſe concreditam ſibi pecuniam *d. cap.* 8. *n. final.* nimirum quo fraudis ſuſpicionem amoliatur, quæ alioquin facilè cadit in hoc genus avariſſimum, de quo apud Heſiodum legitur eum qui mulieri credit, perinde eſſe ac ſi furibus crederet; ſed hæc Heſiodus ſcilicet, non ego.

XLI. *An liceat legare uſum* Elegans non minus, quàm frequens quæſtio

ſtio eſt. Legato invicem bonorum omnium uſufructu, decedit conjux qui dominus erat nudæ cujuſdam proprietatis: an poſt accedens uſusfructus pertinebit ad fructuarium? Duplex quæſtionis inſpectio eſſe videtur, voluntatis altera, altera poteſtatis: & illa quidem ex eo dijudicanda, an voluerit teſtator relinquere id, quod moriens in bonis non habuiſſe videtur: & potior eſt conjectura univerſali conſtituto, vel legato à conjugibus uſufructu, comprehendi & jura teſtatoris, ſeu ſpem uſusfructus quandoque obventuri; plenius enim voluntates defunctorum interpretandæ, maximè conjunctæ perſonæ gratificatoriæ; imprimis ſi ſatis appareat voluiſſe teſtatorem, finito demum uſufructu, commoda hæreditatis ſuæ percepta iri ab hærede. Voluntas itaque legantis ſi ſatis ſit in aperto, poteſtatis conſideratio non adeo perplexa eſt: poſſe enim nudæ proprietatis dominum uſumfructum legare, ut & poſt aditam hæreditatem uſusfructus cum proprietate conſolidatus legatarii ſit, docemur ab Ulpiano *l. ſi dominus 72. ff. de uſufructu.* Nec eſt quod dici poſſet legari hic quod non habet teſtator, contra leges, quæ dictant. Uti paterfamilias ſuper re ſua pecuniáve legaſſet, ita jus eſto. Et nemo plus juris in alium transferre poteſt, quàm ipſe habet: quippe jus illud quod ſua die ad proprietatem reverti poteſt, legantis fuit, ut conditionale quodammodò hoc legatum ſit, ex ipſa re capiens dilationem, ac tum incipiat actio, cum præſtari uſusfructus poteſt, quomodo & in pura ſtipulatione idem contingit, teſte Paulo *in l. Interdum 73. ff. de verb. obligat.* Sufficit autem in omnibus diſpoſitioni-

fructum rei, cujus tempore obitus adhuc uſusfructus eſt alterius?

tionibus, ut caſum aliquem utilem habere poſſint *arg. l. Stychus 39. in fin. ff. de manumiſſ. teſtam*. Ita ſi infantis uſus legatus ſit, etiamſi nullus interim ſit, cùm tamen infantis ætatem exceſſerit, eſſe incipit, reſpondente Pomponio *l. 45. ff. de uſufructu*. Quin & ad noſtram ſpeciem directè docet Paulus libro ſingulari de jure ſingulari *in l. 63. quod noſtrum ff. de uſufructu*. *Quod noſtrum non eſt transferre nos poſſe ad alios, veluti is qui fundum habet, quanquam uſumfructum non habeat, tamen uſumfructum cedere poſſe.* Nequicquam Fabro in Rationalibus hanc legem de plenæ, non de nudæ proprietatis domino exaudiente; conſtat tamen ex relata inſcriptione dictæ legis 63. jus hoc valdè ſingulare eſſe, Fabroque ad illam legem caſus hic mirabilis & *ad d. l. ſi dominus* difficillimus audit. Ut nec mirum ſit Galliæ ac Belgii compluribus conſuetudinibus cautum eſſe uſumfructum ſuperſtitis ex conjugibus non pertinere ad ea bona, quæ defunctus nondum pleno jure poſſidebat, etiamſi proprietati poſt mortem ejus uſusfructus acceſſiſſet. Referuntur à Chriſtin *ad leges Mechlinienſ. tit. 16. art. 27. num. 3.* Cæterùm ſententiam noſtram tuentes, vide Goris *in Adverſariis in noviſſima editione anni 1651. tract. 1. cap. 1. in annotat. num. 32.* Chaſſan. *ad Conſuet. Burgund. rub. 4. §. 6. in verbo in medietate num. 34.* Chriſtin. *ad leges Mechlin. d. tit. 16. art. 23. in additionib. verſic. Maritus.*

XLII. *De quadruplici apud nos permiſſo inter conjuges uſusfructus genere?*

Quem ſibi invicem reciprocè conjuges legavêre uſumfructum ratum firmumque, alium quemcunque irritum eſſe jubet patria conſtitutio. Quid? an hoc reciprocationis verbo denotetur rerum æqualitas, ut uſusfructus alter alteri quantitate reſpondeat?

Suprà

Digitized by Google

Suprà hoc eodem capite *num.* 31. traditum eſt non exigi apud nos, legato rerum omnium uſufructu, ut utrique conjugi bona ſuppetant, nedum ut utrimque æqualis eorum ſit copia, quod inducta hac reciprocatione vetuerit quidem conſtitutio, ne alter conjugum eblandiatur uſumfructum, quem ipſe de ſuo non dat, cùm poſſet dare; non autem ut prorſus non caperet conjux uſumfructum, cui tanta quam alteri res non eſſet. Ut rectè ſcripſerit Argentreus *ad Conſuetud. Britanniæ art.* 221. *gloſ.* 2. ſola reciprocationis voce non ſignificari rerum æqualitatem; quamvis alioquin ſoleant DD. de reciproca conjugum donatione tractantes, hanc æqualem bonorum quantitatem etiam tum deſiderare, cum ſuperſtiti uſusfructus rerum omnium legatur, ut videre eſt apud Tiraquel. *ad l. ſi unquam C. de Donationib. in verbo donatione elargitus num* 137. Sit itaque hæc prima conſtituendi apud nos inter conjuges uſusfructus ſpecies cum utrimque legatur omnium bonorum, à quo tamen uſufructu, ſi bona quædam exceperit alter, reciprocus eſſe deſinet: nec proficiet conjugibus, quod æqualem utrimque quantitatem univerſalitate exemerint, ut puta, ſi quiſque novem millia uſusfructus immunia eſſe juſſerit. Fac enim uni decem duntaxat millium rem eſſe, alteri verò centum; nonne hâc exemptione effecerit ille, ut univerſæ ferè facultates hæredibus liberæ ſint obventuræ, conjuxque alter decimam duntaxat partem earum jure uſusfructus ſit capturus? cum ipſe contra nonaginta & amplius millium uſufructu ſit gaviſurus, adeoque decem partes undecimas, & quod

XLIII. *De univerſali, & an liceat ab eo aliquid excipere?*

quod excurrit habiturus facultatum conjugis alterius; ut eo admiſſo via aperiretur ab altero amplum conſequendi uſumfructum, dato viciſſim de ſuo parum. Aliter atque ſi quotam quandam ab univerſalitate conjuges exceperint, utpote quando contingit hæreditatem diminui æqualiter, de qua ſpecie inferiùs. Eſt itaque ut hæc exemptio ex univerſali reddat uſumfructum particularem; quandocunque enim ab illâ univerſalitate receditur, protinus exigitur apud nos æqualitas, quæ in omnium bonorum uſufructu inſuper habetur. Cujuſmodi autem ſit ea æqualitas, proclive erit intelligere, ſi priùs tradidero quatuor apud nos ſpecies exhiberi poſſe conſtituendi uſusfructus inter conjuges validè, cum nimirum omnium bonorum legatur: cum certi bonorum generis: cum certæ quotæ: cum rerum denique particularium, vel certæ quantitatis, aut pecuniæ, & de ſingulis quidem dicamus ſingulatim.

XLIV. *De uſufructu dato in certa bonorum quota?*

Non attendi æqualitatem, conſtituto uſufructu univerſali conjugum ſuperſtiti, moris apud nos explorati eſt, quam nec aliàs in proprietati ſervari ubique ferè locorum receptum teſtatur Carpzov. *Definit. Forenſ. part. 3. conſtit. 2. defin. 6. num. 14. alleg. Berlich. Gail. Minſing. Wurmpſer.* Videamus de hac ſpecie. Dilargiti ſunt invicem conjuges tertiam, quartam, aliámve facultatum partem, utendi, fruendi ergo: quæſitum, an æquè, ac univerſalis uſusfructus, valitura ſit donatio. Videtur dicendum, cum & hæc ſpecies certum contineat genus, augmento decrementoque utrimque obnoxium, largitionem fore ratam, paribus cauſis, paria jura deſiderantibus:

Digitized by Google

tibus: ni enim expreſsè reſtringant verba ad ea bona, quæ tum habent conjuges, metienda erit hæc quota à tempore mortis donatoris. Unde valdè notandum dicit Argentr. *ad art.* 218. *n.* 22. *gl.* 1. quotas auctas, aut imminutas facultates ſemper augere vel imminuere. Et certè, cum dici ſoleat eandem rationem partis eſſe, quoad partem, quæ totius quoad totum, non video, quo minus reciproca habeatur, quæ de quota bonorum confertur liberalitas, quam quæ de univerſitate, cujus univerſitatis, qua univerſitatis, partem quota facit. Et favens eſt hæc ſententia conjugibus: fac enim alteri nullas, alteri res amplas eſſe; certè ſi facultas ſit partis aut quotæ bonorum munificentia defungendi, multo impetrabilior erit conjunx locuples in ſubveniendo egenti, quàm ſi diſtrictè neceſſe haberet elargiri uſumfructum rerum omnium. Illud tamen non æquè conſtat, an conſtitutus conjugibus uſusfructus in certo bonorum genere ſubſiſtat, ut puta in rebus mobilibus. Contigit non ita pridem ſuper hoc acriter diſceptari, & quidem inter eos, quibus revidendæ, ſeu recognoſcendæ litis à Curia terminatæ partes ab Ordinibus demandatæ eſſent. Erant, qui negarent ſuſtinendum uſumfructum, quod, ut maximè ſibi invicem reſpondeat datio in pari bonorum genere, quantitate tamen eſſet inæqualis, copia & cumulo minus æqua, adeoque non reciproca, qualem in uſufructu non univerſali noſtratium mores videntur exigere. Sed in adverſam ſententiam data lis eſt longè plurimorum calculis comprobatam. Reciprocam quippe largitatem non tantùm eam judicabant,

XLV. *In certo bonorum genere.*

Digitized by Google

bant, quæ quantitate alternaretur, ſed & quæ genere bonorum, cum & hæc ſpecies æquè ac uſusfructus ille omnium bonorum reciprocationem habeat dubii eventus, augmento, decrementoque ſubjacens, cùm poſſit non rarò contingere, ut qui tempore conſtituti uſusfructus minus quàm alter rerum habeat mobilium, ſuperetur ab illo copia earundem matrimonio ſoluto: nec jure quoque civili inſolitum ſit ratione dubii, aut incerti eventus multa ſuſtineri, quæ alioquin forent irrita, ut notant DD. *ad l. Pater puellæ C. de inofficioſ. teſtam.* quæ incertitudo vel dubius eventus nequaquam ſubeſt, cum certæ quantitatis, vel corporum quorundam uſumfructum ſibi invicem conjuges dederunt, de qua ſpecie tractatus inferior erit. Et ab hac ſententia non longè abludit Andium mos, qui à ſingulis exigit conjugibus, ut ſibi invicem donent æquale ſaltem bonorum genus, etſi cumulo illa vel pretio non ſint æqua, teſte Chopino *ad leges eorundem lib. 3. cap. 2. tit. 3. n. 4.* Denique & illud tum movit, quod in ambiguo potiùs in favorem conjugum lex interpretanda ſit, adeoque prohibitio coarctanda; magis id adeo, ne derogaret nimium libero, quod cuique naturaliter de re ſua competit, moderamini & arbitrio, favore imprimis perſonæ donatori conjunctiſſimæ juxtà ac dilectiſſimæ, quam ut quam minimum læderet jus Romanorum, ſeu commune, ut vocant; quod tamen poſterius probatum DD. brocardicum eſt, à nobis refutatum ſuprà. Sententia cujus memini lata eſt *in Reviſie Anno 1648. tuſſchen Claeſgen ende Iannichgen Goÿerts de Wit contra d'Erfgenamen van Evertgen Philips.* Cæterùm

terùm tamen preſſius hanc quæſtionem intuenti, erit quod de veritate deciſionis utcunque dubites. Quippe illud inter hanc & ſuperiorem ſpeciem intereſt, quod in quotæ donatione ſemper ſibi conſtet, ac reſpondeat proportio, ac univerſitatis analogia, æquale ſemper recipiens augmentum, ac decrementum: cum in mobilium illo uſufructu non ſemper correſpondens ſit æqualitas; cum alteri mobilia multa ac pretioſa, alteri pauca ac vilia ſuppetere poſſent, ut ita quis obtentu mobilium conſequeretur à conjuge uſumfructum copioſum, ac lautum, de ſuo viciſſim dans tenuiſſimum, habens tamen, unde pleniore largitate fungeretur. Adhæc haud æqualis utrorumque conjugum foret conditio; vir namque gaudens alienandi facultate, mobilia ſua poſſet diſtrahere, ut nihil, aut pauxillum eorum tempore obitus foret reliquum, cum mulier vendendi non habens poteſtatem ſua ſibi retinere haberet neceſſe; adeoque parum eſſet, ut non ſubverteretur edictum, eluderetur que reciprocitas, ſi hiſce, ac ſimilibus conſtituendi uſusfructus modis eamus accommodatum robur vel authoritatem. Quod autem diximus negligi quantitatis reciprocationem, dato invicem rerum omnium uſufructu, videtur & hanc habere rationem, quod ab eo, qui, quod det, non habet, durum foret velle quicquam exigere, aut alioquin ille carere deberet uſufructu, quem conjux eſſet legaturus: hinc eſt, quod dicant DD. ab æqualitate, vel æquali determinatione recedi, quando neceſſitas cogit in uno, & non alio, de quo Mantic. *de conjectur. ult. vol. lib.* 5. *tit.* 8. *ſub. num.* 7. Atque hæc ratio argu- XLVI. *De particulari.*

V mento

mento eſt, ſi conſtituatur uſusfructus in rebus particularibus, aut certa quantitate, diſtrictam omninò reciprocationem, aut æqualitatem exigi, eoque jure utimur.

XLVII. *An liceat conjugibus ſibi invicem legare uſumfructum rerum quas habent impræſentiarum?* Duæ tamen ſequentes ſpecies dubiæ inſpectionis eſſe videntur, an rata ſit rerum, quas habent impræſentiarum ad utendum, fruendum, donatio, & an omnium exceptis hæreditatibus poſt obvenientibus. Prior in eo à poſteriori diſſidet, quod illa nil capiat incrementi, vel decrementi, hæc uſque ad fati diem volubilis, ac quantitate incerta ſit. Et quidem bonorum præſentium uſusfructus illud incommodi ſecum trahere videtur, ut eorum repertorium, ſeu tabula foret conficienda, quo poſſit quandoque apparere; quæ, qualiáve illa tum temporis fuerint, ac alienatorum, aut diperditorum valor reſarciri, vel ſuppleri: cæterùm tamen dixeris & hunc uſumfructum reciprocè conſtitutum eſſe, ac genus quoddam continere vel univerſitatem, ni forſan verius ſit potentia ſaltem debere eſſe æqualem, vel reciprocam donationem, quoties à bonorum omnium, quæ quis relicturus erit, deſciſcitur largitate, eo quod contingere poſſit, ut impræſentiarum vix ulla habeat bona conjugum alter, brevi tamen opes Attalicas ſit exſpectaturus, quarum u-

XLVIII. *An omnium exceptis hæreditatibus poſt obvenientibus?* ſufructu hoc pacto alterum interverteret: quemadmodum & ſi omnium bonorum extra hæreditates obventuras, detur uſusfructus, videtur id aliquis eorum egiſſe, quo, detracto conjugi uſufructu, opimam hæreditatem, jam jam ſibi adventuram, conſervet integram hæredibus.

Licitum eſt conjugibus mutua uſusfructus muni-

munificentia proſequi ſe invicem. Quid autem, ſi tabulis dotalibus convenerit inter eos ne liceret; an donationi ſtante matrimonio celebratæ impedimento erit pactio? Memini me ſuper hac quæſtione diſputaſſe *in tract. pralimin. tit. 3. cap. 4. num. 10. 11. & 12.* quo Lectorem remitto; non enim lubet actum agere.

XLIX. *Quid ſi pactis antenuptialibus cõventum ſit, ne liceret cõjugibus ſibi invicem legare uſumfructum?*

An adhibendæ apud nos licentiæ literæ conſtitutioni fructuariæ. Ultimæ voluntatis jure ſi cenſeatur ea, deſiderari literas palam eſt, niſi detur uſusfructus coram judicio, ratione bonorum ei ſuppoſitorum. Sin pro actu habeatur inter vivos, collato in mortis tempus, dicendum eſt ratione immobilium uſumfructum conſtituendum fore apud acta cujuſque loci publica, ubi conjugibus bona ſita ſunt; eo quod uſusfructus ſit pars dominii, ac inter immobilia reponatur. Verùm magis eſſe videtur, ut donatus apud nos ſtante matrimonio uſusfructus valeat in vim ultimæ voluntatis, adeoque teſtandi concurrat licentia; niſi quod rei immobilis ſuffecerit legaſſe uſumfructum apud judicem loci, ubi res eſt conſtituta, de quibus omnibus egimus ubertim *in Tract. Præliminari tit. 2. cap. 4. num. 2.* Nec eſt, quod adverſetur, de quo mox acturus ſum, non obnoxiam eſſe hanc mutuam conjugum liberalitatem alterutrius revocationi: quippe effectus hic quidem eſt contractus, non ultimæ voluntatis, quæ ambulatoria eſt ad extremum vitæ ſpiritum: cæterùm tamen non propterea continuò tranſit in actum inter vivos, quidquid jure ultimæ voluntatis aut legati datum aut ordinatum fuit, nec ex eo ſolum natura actus immutatur,

L. *An in dando uſufructu adhibenda apud nos litera licentia?*

Digitized by Google

appareat poſteriorem prioris cauſam factam eſſe, ac cum expreſſa ejus commemoratione, valere largitatem tanquam mutuam ac reciprocam; quemadmodum & mutuam cenſuerim factam incontinenti, diverſis licet in inſtrumentis, de quo Guid. Pap. *ſingul.* 878. allegatus Tiraquell. *d. l. num.* 117. *in fin.*

LII. *An reciprocus uſusfructus poſſit apud nos ab alterutro cōjuge revocari?*

De eo videamus, an reciprocus inter conjuges conſtitutus uſusfructus ab alterutro queat revocari? Non quæro utrùm legatum invicem datum, unius pœnitentiæ ſit obnoxium: illud quæro, an hæc ipſa uſusfructus conſtitutio, quæ non niſi viciſſim datur, aut reciprocè, diſſolvi poſſit conſenſu unius? Et magis eſt non poſſe, quod eodem modo conſenſus debeat interponi in reſolutione actus, quo fuit adhibitus in ejuſdem colligatione; ut rectè de non abſimili conjugum donatione, non niſi mutua facienda, notarunt viri doctiſſimi, Argentreus *ad art.* 221. *gloſ.* 9. *in fine.* & Charond. *ſur les Couſtumes de Paris ad art.* 288. Adeo ut, cùm ad formam ac ſubſtantiam ipſius actus pertineat utriuſque conſenſus, locum habeant vulgatæ juris regulæ: nihil tam naturale eſſe, quàm eo genere quicquid diſſolvi, quo colligatum eſt, *l.* 35. *l.* 100. *l.* 153. *ff. regul. juris.* Et, qui ſolus velle non potuit, eundem nec nolle poſſe. Idque ipſum in cauſa Zoudenbalchii contra hæredes uxoris judicavit civitatis judicium 13. *Iulij Anno* 1622. comprobavit Provinciæ Curia 19. *Decemb.* 1626. Quamvis Pictonicum jus non adeo rejeceris, quo licet à mutua conjugum donatione abire donatoribus, ſi mutata alterius voluntas alteri ſignificetur, teſtatoque pateſiat *Art.* 213. citato Chopin. *de Morib. Pariſior. lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 16.

LIII. *An legatum dari mutui uſusfructus præjudicio?* Directè mutua conjugum largitas revocari nequit. Videamus, an nec indirectè. Conſtituto invicem uſufructu legatum dat alter certæ quantitatis, aut annuæ penſationis à morte legandis præſtandæ, debebiturne legatum? Rectè Mornac. *ad l. 5. C. religioſ. & ſumptibus funerum*: hic mutuæ, inquit donationis inter conjuges effectus eſt, ut vetet ei conſuetudo noſtra præjudicium quacunque ratione inferri; invito, ſcilicet, & diſſentiente altero, quomodo illud ipſum explicat idem Mornac. *ad l. 1. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* adde Chopin. *de Morib. Pariſ. lib. 2. tit. 3. n. 9. & ad leges Andium lib. 3. cap. 2. tit. 3. ſub num. 9.* Itaque conjux ſuperſtes fructuarius non oneratur ullâ legatorum præſtatione, aut ultimæ voluntatis implemento. Quid autem, ſi expreſſâ lege implendæ ejus voluntatis, qui prior diem ſuum obierit, donationem mutuam inierint conjuges? Rectè definivit Curia Pariſienſis apud Chopin. *de Morib. Pariſ. & ad leges Andium dd. num. 9.* vitiari clauſulam, non vitiare, adeoque oneris adjectionem non infringere donationem, ſed ſemoto onere manere eam ſalvam, quod & jure noſtro ſtipulationi adjecta illicitè clauſula pro non adjecta habeatur, ut quod licitum eſt, peti poſſit *l. placuit l. pecuniæ ff. de uſuris. l. cum allegas C. eadem*, & quæ plura firmandæ huic ſententiæ adducit Chopin. *ad leges Andium d. num. 9.* Charond. *en ſes Memorab. in verb. donation.* Adde eundem *en ſes Reſponſ. lib. 3. reſp. 89.* Quod ipſum tamen non tam diſtrictè capiendum judicavit eadem Pariſienſis Curia, ut & ad piè legata produceretur exigua, eroganda egenis. Chopin. *de Morib. Pariſ. d. nu. 9. & de Privileg. Ruſti-*

cor. lib.3. cap. 4. de Donationibus num. 3. Conſtituto autem illo mutuo inter conjuges fructuario legato, an poſt integrum manebit marito donatione bona inter vivos elargiri? Reſpondit Chopinus, ex definitione ſui Senatus, mutuam conjugum donationem in rem ſuperſtitis non impedire liberum mariti de quæſtibus commercium: modò particulatim de certis corporibus ſtatuat, citra fraudem non univerſim, ſeu de quota bonorum, neve gratioſè in propinquos, certo uxorii juris diſpendio. Ita vir doctus *ad leg. And. lib. 3. tit.3. de Donationib. inter conjuges n.* 14. Non eſt itaque, ut donatio illa marito ſit impedimento, quo minus alienet, contrahat, diſponat, donet liberè, dummodò citra fraudem. Quid autem, ſi eodem inſtrumento, quo viciſſitudinarius datus eſt omnium bonorum uſusfructus, vel alias, cum expreſſo conjugis conſenſu, legatum det alter certæ rei vel quantitatis, an non impinget actus in legem noſtratem, mutuam inter conjuges æqualitatem exigentem? Diximus ſuprà, ſi particulare ſit legatum, diſtrictam concurrere oportere rerum ac quantitatis æqualitatem. Unde reſpondendum videretur, cum ab illa univerſitate per ſpecialia data legata receſſerint conjuges, tranſire uſumfructum in particularem. Fac enim conjugum cuique decem millia in bonis eſſe, conſtituto invicem omnium bonorum uſufructu, alterum legaſſe ſex, alterum novem, an non eodem res redit, ac ſi conſtituiſſet ille conjugi uſumfructum quatuor millium, hic duntaxat unius? Verùm, quid ſi æquæ quantitatis legatum dederit uterque, uni autem ampliores ſint facultates,

LIV. *An donari inter vivos?*

quam alteri? Ne hunc quidem uſumfructum mutuum dixeris. Fac enim alteri ſex, alteri decem in bonis eſſe, utrumque legaſſe quinque, an non illius facultates tantum non exhaurientur legato, cùm alterius pars altera ſalva maneat? & an non in eadem cauſa res erit, ac ſi ille unius mille conſtituiſſet uſumfructum, alter verò quinque? Rerum omnium quantitate inæqualium inter conjuges uſusfructus propterea reciprocus, adeoque validus habetur, quod leget uterque rerum ſuarum univerſitatem, adeoque æqualitas conſtet in ullo univerſo: unde, ut exceptio de regula ſit, non eximenda quantitas aliqua, nam id eſſet deſtruere genus iſtud vel univerſitatem, ſed pars quædam, vel quota univerſitatis; cujus ipſius univerſitatis ratione ſuſtinetur uſusfructus: permanebit namque illa univerſitas, ſi dederint legatum quotæ alicujus bonorum; quod ea quota univerſalitatem uſusfructus reſpiciat æqualiter, ac eodem modo eundem diminuat, quod & ſuprà attigi.

LV. *Quid ſi ſit inæqualis uſusfructus vel in rebus, vel in quota?*

Inæqualis autem ſi conſtitutus ſit uſusfructus, non in totum corruet, ſed reducetur ad æqualitatem, tranſeunte eo quod excurrit in ſimplicem donationem; qui locus ſatis eſt obvius, & notatus Argentr. *ad art.* 221. *gloſ.* 2. *n.* 2. *in fine.*

TITU-

TITULUS SECUNDUS.

PARS ALTERA.

An, & quatenus conjux conjugem obliget in criminalibus.

SUMMARIUM.

I. *Quo jure Gallorum aliqui utantur.*
II. *Quo noſtrates.*
III. *Excutitur diſtinctio gravius inter, ac levius delictum.*
IV. *Indagatur ratio cur uxor ex admiſſo viri non teneatur.*
V. *Quomodo ſententia ſtante matrimonio exequenda?*
VI. *Quid ſi multa tranſcendat bona uxoria?*
VII. *De uxore, quæ opem tulit debitori ſolum vertenti.*
VIII. *Quid ſi mulcta deſcendat ex cauſa civili?*

DE cauſis diximus civilibus, ſequens conſideratio de criminalibus erit. Contrahendo conſtat uxorem obligari à marito: num & delinquendo, velut quaſi contrahendo? Separata hic à civilibus cauſa criminalium eſt. Et de his quidem non ita conſtat inter Scriptores, quin videas eos trahi in diverſa; non tam opinionum, quàm morum, ac conſuetudinum, ad quas reſpiciunt ſinguli, diverſitate. Et certè pro cujuſque Regionis lege ac more aliud atque aliud eſt dicendum. Proinde quod Argentreus *ad art.* I. *Quo jure Gallorum, aliqui utantur.*

422. *gloſ.* 2. aliique Gallicarum conſuetudinum Illuſtratores ſcripſêre, delicto mariti confiſcari partem mulieris in mobilibus, cœlo illo Gallico quadrat, noſtro non quadrat. Iſtoc enim jure mobilia conſtante matrimonio ſunt in dominio ſolius viri, uſu duntaxat eorum mulieri competente promiſcuo. *d. gloſ.* 2. *& ad art.* 208. *gloſ.* 3. *num.* 2. Nec ulterius ibidem contra profundentem maritum proviſum mulieri, quam ut de ſuppellectile tribuantur, quæ neceſſaria ſint ad uſum, ſine quibus ſe ſuoſque nequeat exhibere, adeoque nec ullam in mobilibus partem delin-

II. *Quo noſtrates.*

quendo confiſcat mulier: cum moribus noſtris obtineant alia omnia, proprietate mobilium non minus, quàm cæterarum rerum, mulieri acquiſita: ut ſi contigerit conjuges ob prodigalitatem cenſu ſeparari, ſuam quiſque partem, communitatis ergo, ferat in mo-

III. *Excutitur diſtinctio gravius inter ac levius delictum.*

bilibus ex æquo. Apud nos eo ferè concedunt Scriptores recentiores, ut gravius aut improbius delictum diſtinguant à leviore, hoc obligari mulierem, illo non item. Goris *tract. in Adverſar. cap.* 4. Joann. à Sand. *Deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 5. *Definit.* 8. *lit. B.* & noviſſimè Groenewegen *ad tit. C. ne uxor pro marito.* Verùm ſi diligentius ad rei naturam adſpexeris, ex natura, non gravitate pœnæ eſt, quod conjugum alter ex alterius delicto non teneatur: maritalis enim poteſtas eſt, quæ obligandæ uxoris effectum producit: ea autem ceſſat in criminalibus, vel quoties agitur de pœna. Hinc eſt, quod liceat animadvertere mulierem in criminalibus habere perſonam ſtandi in judicio, de quo latiùs alibi, crimen eandem contrahere, ſe ſuaque fiſco obligare,

nec

Digitized by Google

Pars Altera.

nec ad ea omnia viri indigere auctoritate. Quod ſi igitur natura criminis in cauſa ſit, ut ſe duntaxat, ſuaque quiſque conjugum obliget, ut pluribus mox ediſſeram, qui, quæſo, pœna gravitas aut quantitas juris diverſitatem poterit inducere, quo magis eſſet, vel non eſſet, cum immerente conjuge ejuſdem communicatio? Pœna licet minor ſit, pœna tamen eſt quoad ſui naturam, & qualitatem. Logicorum vox eſt, magis & minus diverſas ſpecies non conſtituere. Adhæc apud illos ipſos diſſentientes traditum eſt, ob delictum improbius, quod bonorum omnium confiſcatione ſit expiandum, nihil ex ſuis bonis adimendum inſonti, ſed ei ſarta tecta manere omnia. Utique rationis non erit ob levioris delicti perpetrationem, quod mulctam duntaxat pecuniariam meruit, abradi aliquid innoxio. Verùm nec illos rem tetigiſſe dixeris, qui putent inde proficiſci, quod maritus non æquè delinquendo ac contrahendo uxorem obliget, quod delicta committantur dolo. Gomeſ. *ad l. 77. Tauri numer. 5.* Dolus iſte, qui delictis ineſt, uxorem non reſpicit, nec ejus adſpectu intervenit, ſed illum concernit, in quem crimen doluſque committitur: quis enim crediderit maritum delinquendo ſibi ipſi malum, imò mortem voluiſſe arceſſere, quo incommodaret uxori? Adde quod ea ratione admiſſa, nec ex contractu teneretur uxor, quem dolo maritus cum alio inierit. Verùm nec illi rationem aſſignarunt meliorem, quod nulla criminum ſocietas virum inter & uxorem ſit contracta, unde & in ſocietatis conjugalis ſede tractat hunc locum Sand. *l. 2. tit. 5. defin. 5.* uxoris quippe obligandæ

IV. *Indagatur ratio cur uxor ex admiſſo viri nō teneatur.*

dæ facultas non à communione, ſed à jure ac poteſtate maritali eſt, quod & excluſa ea ipſa ſocietate, poteſtas tamen maritalis maneat illibata, nec vir deſinat uxorem obligare poſſe, perinde ac ſi ipſa ſocietas ex aſſe vigeret: ac prætereà quod tum ratio illius communionis poſtularet, ut, quemadmodum vir uxorem, ita viciſſim virum obligaret uxor: quod tamen conſtat ſervari contra; ut planum ſit proficiſci id juris à jure maritali, ſeu libera illa poteſtate adminiſtrandi, vel potiùs gubernandi, quæ ſolius mariti eſt: cui quomodo, excluſâ communione, quoad conjuges, vel creditores derogetur, dicemus titulo ultimo. Stet igitur apud nos hæc concluſio. Mulier non dependet pœnam, quam vir meruit, & è contra: ejuſque vera ratio in natura pœnæ conſiſtit, quæ nullum jus maritale admittit, quo nocens innocentem obliget. Et ſubeſt ratio. Quid! pœnæ, ex merito oriundæ, perſonaliſſimæ ſunt. Unde illa vulgata. Noxa caput ſequitur. Pœnæ ſuos tenent autores, nec alieni criminis infortunio quiſquam adſtringitur *l. 26. ff. de pœnis.* Proinde & videre eſt in liberos hæredeſque pœnam non tranſire, ut à Paulo JCto. ſcriptum eſt *in l. ſi pœna ff. de pœnis.* cùm tamen hæres defuncti perſonam per omnia ferè repræſentet, ſaltem ad vicem ejus hac in re proprius accedat, quam uxor. Æquius namque eſt pœnam ab hærede dependi, qui bona defuncti lucratur, quàm ab uxore, quæ ſuas duntaxat res aufert. Quin & injuriæ nomine, defuncto illatæ, hæredi, non viduæ actionem competere placet. Vid. Sand. *lib. 5. tit. 8. defin. 2.* Adhæc ſi corporalis pœna pecuniariæ forſan ſit ſucce-

ſuccedanea (nam non rarò contingit luere eum in pelle, qui non habeat in ære) utique ea infligetur ſoli marito. Quare, ſi eo ipſo, quod bona ſuppetant marito, mulctatur in ære, num proptereà uxor eo magis venire debebit in partem? Proinde pulchrè ſcripſit in hæc verba Marcus Antonius, puniri poſtulans à Senatu Avidium Caſſium conjuratorem. *Quare filiis Avidii Caſſii & genero, & uxori veniam dabitis. Et quid dico veniam, cum nihil illi ſecerint?* De qua pœnæ natura, ac communicatione nervosè juxtà ac copiosè diſſerit præcellentis doctrinæ vir Hugo Grotius *de Iure Belli ac Pacis lib. 2. cap. 21.* Marito itaque ex cauſa criminis mulctato, conſtat uxorem mulctam non premere, ſed ſi ſtante matrimonio maritus eandem perſolverit, ſoluto eodem, uni ipſi, aut hæredibus ejus imputari. Vid. Sand. *lib. 2. tit. 5. defin. 8. lit. B.* Goris *in Adverſ. tract. 1. cap. 4. num. 12.* Ita quippe ſe res habet. Virorum contractus obligant uxores, delicta non obligant: quicquid enim civiliter à viro geſtum eſt, intelligitur tam tutorio nomine pro uxore, quàm ſuo geſtum eſſe; alia criminum, ſeu delictorum ratio eſt, quæ ſibi quiſque committit, pœna perſonam delinquentis non tranſgrediente, nec ulla unquam auctoritas in capite alterius in hoc comparata fuit, ut per auctorem, vel tutorem delinquat, & plectatur perſona ei ſuppoſita. Quare idem & in uxore obtinebit, ut delinquendo mulctam merita, ſolus quoque eandem ſuſtineat.

V. *Quomodo ſententia ſtante matrimonio exequenda.*

Quid igitur, ſi uxor deliquerit, an non ſtante matrimonio ſententia in eandem ex cauſa criminis lata mandabitur executioni? dicen-

Digitized by Google

Pars Altera.

dicendum videretur fieri hoc non poſſe ſine viri diſpendio: atqui delictum alterius alteri fraudi eſſe non debet. Cæterùm tamen cum ita eveniret, ut delicta manerent impunita, contra publicam utilitatem; magis eſt, ut & conſtante matrimonio ſententia ſortiatur effectum, inſuper habitâ maritalis commodi ratione, quæ, privata cum ſit, æquum eſt ut cedat publicæ; ſalvâ tamen parti innocenti actione, quâ ſoluto matrimonio, ex bonis ſontis petat eo nomine retributionem, aut recompénſam, quomodo & Harbaij tradita *c.* 13. §. 15. accipienda videtur.

VI. *Quid ſimulcta tranſcēdat bona uxoria?*

Fac executioni uxorem intercedere deſiderantem ſeparari bona nocentis ab innoxii; eo quod hujus partem tranſcendat multa. Non video, cur non ſit audienda: mulcta enim damnati facultates exhauriente nihil ſupererit, unde poſtmodum reſarciretur uxori, ſi quid ex ſua parte fiſcus abſtulerit. Ut delicta puniantur, publica quidem utilitas poſtulat: ut alter ob alterius delictum bonis exuatur, non poſtulat. Probatur Scriptoribus pleriſque bonis mariti vel uxoriis confiſcatis ſuam innocenti partem in bonis communibus ſalvam, atque illibatam relinquendam eſſe. Grot. *in ſua Manuduct. lib.* 1. *part.* 5. Goris *in Adverſar. d. l.* Brodeau *ſur Loüet num. C. cap.* 35. *in not lit. A.* Unde, cur non & idem tunc ſit reſpondendum, cum delinquentis bona mulcta ſuperat, cauſæ nihil video. Ob improbius delictum, quod omnium bonorum publicationem meruit, ſeparatione factâ ſuas res ſibi ſalvas uxor habebit, & ob levius admiſſum, mulcta aliqua vindicandum, non habebit; & cum hoc temperamento exaudienda videntur,

quæ

quæ ſcripſit Louët *lit.D. cap.*31. ex mulcta mariti communia bona in cauſam judicati capi poſſe, fœmina nequicquam intercedente, eo quod mariti ſit libera eorum adminiſtratio: niſi forſan innitatur more aliquo Gallico, quo mariti ſtante matrimonio mobilia ſunt omnia, cujus moris initio hujus capitis pluribus meminimus.

VII. *De uxore, qua opem tulit ſolum vertenti.*

Lubet his adjicere Curiæ judicatum, cujus ſeries explicatior exſtat in regeſtis. Legem tulerat Carolus quintus, ut, qui debitori, fraudandorum creditorum cauſa bona transportanti, præbuiſſet opem, ſolvendis omnibus illius debitis eſſet obnoxius. Contigit opem tuliſſe maritatam. Vir nomine uxoris à creditoribus conventus excipit ſtatuto patrio inhiberi mulieri, præjudicio mariti, æs alienum contrahere, nec, niſi diſſoluto matrimonio in eandem hæredeſve ejus creditoribus eſſe agendi facultatem. Curia non audiendos creditores impræſentiarum, vernaculè, *voor alſnoch*, pronuntiavit. Vereor ut benè, ſi nimirum res cadat in cauſam criminis; niſi forſan nuptas eo ſatis iri deterritas à fraude conſtitutioni facienda judicaverit Curia, quod ſoluto matrimonio, vel ipſa, vel hæredes ejus, ad exſolvenda debita poſſint conveniri, adeoque non ſit periculum, ne delicta maneant impunita; vel potiùs civilem rationem Legiſlator intenderit, ut, qui foro cedere paranti in occultandis bonis fert opem, conſideretur in eadem cauſa eſſe, ac ſi hæreditati alicui jacenti ſemet immiſcuiſſet, adeoque oneribus obligaſſet hæreditariis: ut tum uxor, per quaſi contractum ſcilicet obligata, vivo marito eo nomine non extimeſcat judicium.

Hæc

Digitized by Google

Pars Altera.

VIII. *Quid ſi mulcta deſcendat ex cauſa civili?*

Hæc ita in cauſa criminali, vel ex cauſa delicti ſi damnatus ſit conjux: alia ratio eſt ejuſmodi mulctarum, quæ non tam ex delicto, quàm negligentia quadam fruſtratione aliqua in civili cauſa infliguntur: ut ſi ob appellationem temerariam, aut ex contumacia mulctetur maritus, damnum illud cedat communioni, eo quod in cauſa civili vigeat poteſtas illa maritalis, cujus ratione geſtis maritalibus uxor obligatur: quod enim maritus in civilibus tam uxorio quàm ſuo, in criminalibus ſuo duntaxat nomine intelligatur ſtare in judicio, illud ipſum documento eſt, obtinere in illis poteſtatem, in his autem ceſſare. Et quidem in hanc ſententiam placitum profert Lucius *allegat.* à Papon. *lib.* 15. *tit.* 2. *art.* 3.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De jure maritorum circa actiones civiles.

SUMMARIUM.

I. *An omninò nullum eſt, quicquid ſine marito mulier egit in judiciis.*
II. *An alieno nomine ſtat in judicio maritata.*
III. *Quid ſi à marito conſtituta ſit procuratrix?*
IV. *Quid de maritata tutrice?*
V. *Quid de executrice?*
VI. *An ſufficit mariti ſcientia ut valeat judicium?*
VII. *Vnde ſcientia eliciatur.*
VIII. *An revocandi conſenſus jus ſit marito?*
IX. *An reſpectu uxoris?*
X. *An ſi mulier ſit victrix teneat judicium?*
XI. *Quid ſi recuſet maritus auctor fieri?*
XII. *Quia ſi tum ſuccubuerit uxor?*
XIII. *De marito qui bonis ceſſit.*
XIV. *Separatus eſt ab uxore.*
XV. *Abſens,*
XVI. *Exul,*
XVII. *Furioſus, mente correptus, aut prodigus eſt.*
XVIII. *An conveniri, arreſto includi poſſit nupta mercatrix?*
XIX. *Quomodò ſententia eo nomine lata executioni mandatur in maritum.*
XX. *De mercatrice nupta, quæ ſit minor.*
XXI. *Quid ſi noluerit uxor ut vir litiget ſuo nomine.*
XXII. *An ſine venia in jus vocet uxor maritum?*

Digitized by Google

De extrajudicialibus egimus hactenùs, tranſeamus ad judicialia: & quidem de Civilibus prior ſit commentatio, de Criminalibus poſterior. In judicialibus hæc laudatur regula. Maritorum eſt uxorum nomine excipere judicia civilia omnia, adeò ut in illis non ſtent mulieres, neſciis maritis. Quid autem! adeone forenſium controverſiarum expertes ſunt maritatæ, ut, quidquid inconſulto marito egerint, omninò nullum ſit? an verò hactenùs irritatur, ne ſit illud marito fraudi, tamen ipſarum mulierum perſonæ efficaciter eo nomine teneantur, ſoluto matrimonio ſubituræ executionem? De iis moribus, quibus nuptæ innuptæque pariter ſine curatore ad negotia inhabiles ſunt, palam eſt nullam unquam produci obligationem: quod enim mulieris cauſa comparatum eſt, quo ſexus imbecillitati conſulatur, nullo non tempore eſt profuturum. Nec aliud dicendum de moribus eorum, quibus non in univerſum ſtatus mulierum afficitur, ſed nuptarum duntaxat; quæ tamen, cum ea laborent inhabilitate, ut ex contractu clam virum inito, nec diſſoluto matrimonio teneantur, conſequens eſt dicere, nec unquam conſtringi eaſdem judicio clam viros ſuſcepto, eo quod in judiciis dicamur quaſi contrahere. Verùm ad noſtrates mores adſpicienti plus habere dubitationis quæſitum videtur: quippè apud nos hactenùs duntaxat contrahere mulier vetatur, ut eo nomine, vivo conjugum utroque non detur judicium, adeoque contractus ejuſdem non aliter ſubſiſtat, quàm ut diſſoluto demum matrimonio, vel ipſa mulier, vel hæredes

I. *An omninò nullum eſt, quicquid ſine marito mulier egit in judiciis?*

ejus;

ejus, ex eo queant conveniri. Quare de judiciis eodem modo reſpondendum videtur, ut conſiſtant quidem illa ſuſcepta cum muliere; cæterùm tamen judicatum non niſi à morte viri in eandem mandetur excutioni; cum utrobiq; non cedat res mariti detrimento; quod tamen ipſum duntaxat Legiſlatores noſtrates videntur voluiſſe avertere. Verùm magis eſt, ut adverſa ſit amplectenda ſententia, quod à contractibus ad judicia ducta argumentatio firma non ſit; ut & minoris exemplo ſuprà adſtruximus: In propoſito certè, alia judiciorum, alia contractuum ratio eſt; quod & honoris mariti interſit, ne litigatum eat uxor, cauſaſque apud tribunalia, forenſemque turbam proſequatur, cujus partes ſunt totam domi eſſe in rerum domeſticarum tuitione; ut propterea & majori cum uxoris avocamento conjuncta foret hæc litigandi libertas, quam quæ contingeret contrahendo. Eaque dubitationem vix habent, ſi ad patrii ſtatuti verba propriùs attendamus, quibus expreſſim cautum eſt de ejuſmodi contractu uxorio datum non iri judicium, dum vir mulierque in vivis ſunt; ſed à morte demum alterutrius jus ſuum in uxorem hæredeſve ejus perſequi creditori liberum fore: vernaculè. *Daer af en ſalmen geen recht doen ſoo lange Man ende Wijf beyde in levende lyve zijn, maer nae de doot van een van hun beyden mach die gene diemen ſchuldich ware die ſchult met recht vervolghen op het lijf of hare goederen, indien de Man eerſt aflyvich worde, ofte op haer Erfgenamen ofte haere goederen als't Wijf aflyvich geworden is.* Ut planè appareat omnem conſtante matrimonio inhibitam eſſe agendi in nuptam facultatem.

Digitized by Google

II. *An alieno nomine ſtat in judiciis maritata?* Negavimus mulieri copiam eſſe ſuo nomine excipiendi judicia. Quid ſi verò alterius quàm mariti nomine agat, poteritne eo inſcio procuratrix exiſtere? Non poſſe dicendum videtur, ſi res dijudicetur à jure civili, non niſi pro parente ad poſtulandum mulierem nuptam, innuptamque admittente *l. fœminas* 41. *ff. de proc.* quo jure & Geldri Friſiique ferè utuntur, juxtà Ioan. à Sand. *deciſ. Friſicar. lib.* 1. *tit.* 3. *defin.* 3. Fred. à Sand. *ad conſuet. feudales Geldriæ tr.* 3. *cap.* 2. Contrà quod Batavorum ac noſtratium moribus obſervatur; quod iis innuptæ per procuratores à ſe conſtitutos litigent, nec ipſæmet judiciis interſint. *Vid. adductos à Groeneweg. ad l. alienam C. de Procuratoribus.* Maritatas verò per ſtatutum aut conſuetudinem prohibitas ſtare in judicio, intelligi prohibitas nomine proprio, non alieno, multis adſtruit Tiraquell. *ad ll. connub. gl.* 5. *num.* 171. idemque tenet Chaſſan. *ad Conſuet. Burgund. Rub.* 4. *des droicts & appartenances* §. 1. *num.* 24. *ibi limita quarto.* Quanquam ſi modo ſuprà ſcripto mariti jus expendamus, mulier inſcio marito ad exercendas lites & frequentanda tribunalia admittenda non videtur, quod hæc ejuſmodi ſint, ut totum in ſe hominem ſoleant avertere; adeò ut omninò interſit mariti non defraudari uxoris opera, quàm domeſticis illa rebus impendere addicta eſt, cujus mariti gratia comparatum eſt, ne mulier ſemet invito excipiat judicia. Quare infirma eſt illa Tiraquelli conſecutio, alieno nomine contrahit mulier, ergo & litigat: leviculum quippe illud eſt, quod extra judicium celebret aliquando contractum mulier, præ eo, quod proſequatur judicia, litiumque ſubeat ſufflamina: ne repetam

tam vel honoris mariti intereſſe ne forenſem illam turbam, quæ ſectatur cauſidicinam, ſe inſcio frequenter adeat, compellat, præhenſet uxor. Atqui in nuptis non commodum tantum, ſed & honorem mariti intuemur, cujus gratia quoque mulieri ademptus uſus fori. Obſervatio eſt Harbaji §. 26. *de jure maritorum*. Et certè alienas res curare volenti mulieri adeo non favet Romanorum jus, ut etiam tum cum proprio nomine ad litigandum admittitur mulier, repellatur tamen agere volens alieno. Nec movet quod minor qui ſine curatore non litigat, litiget tamen ex quorundam recentiorum opinione nomine procuratorio, juxtà ea quæ tradit Sand. *deciſ. Friſ. lib.* 1. *tit.* 3. *defin.* 3. Illic quippe ſolius conſtituentis vertitur incommodum, qui de ſe queri debet, quod minorem procuratorem elegerit, cum in propoſito contra mariti commodum ac honorem ſit, ut uxor ſe neſcio lites aliorum proſequatur. Undè & Harbajo §. 14. *in fine*. Alia quanquam in ſpecie, rectè placuit vel ſolius honoris mariti cauſa conſenſum ejus requirendum eſſe. Itaque Curia noſtra anno 1650. menſe Aprili in cauſa *vande Mangelaers*, maritatam, alterius nomine, neſcio marito, ex mandato agentem, poſtulatu partis adverſæ à judicio ſubmovit.

III. *Quid ſi à marito conſtituta ſit procuratrix?*

Quod diximus mariti cauſa à judiciis arceri mulierem, per ſe alioquin ſtandi in illis perſonam habentem, commonſtrat rectè tradidiſſe conſuetudinum Illuſtratores à marito conſtitutam mulierem procuratricem, poſſe ejus nomine contendere in judicio, tum quippè perdit officium, quod jure civili generatim ſcriptum eſt, mulieres à viris, non viros à

 mulie-

mulieribus defendi æquum eſſe. Vid. Grot. *in ſijn Inleydinge. Lib. 1. part. 5. verſ. Hier tegens een gehoude Vrouw*. Groenewegen *ad l. alienam C. de Procurator.*

IV. *Quid de maritata tutrice?* Quæſitum eſt an mulier, liberorum prioris matrimonij tutelam gerens abſque auctoritate viri, negotiorum tutelarium nomine conſiſtat in judicio. Quæſtio noſtris & Hollandorum moribus videri poterat ſupervacua, quibus ad ſecunda vota tranſeuntes mulieres tutela excidunt. Verùm fac mulierem binubam, connivente marito, tutelari functione non abſtinuiſſe. Illud quidem conſtat perinde teneri eam, ac quemvis alium, qui finitâ tutelâ pro tutore negotia impuberis genere non deſierit; cum & jura eouſque proſpexerint pupillis, ut & ſecundi mariti bona pro ratiociniis muliebribus tutelæ obnoxia reddiderint *l. penult. C. in quib. cauſ. pign. tacitè contrahitur*. Vid. Chriſtin. *ad ll. Mechlin. tit. 9. art. 10. n. final*. Gail. *lib. 2. obſervat. 90. num. 2.* Qui ex Baldo monitorem agit, ut ſibi caveant juvenes à ducendis viduis tutricibus, quæ rationes tutelæ necdum confecerint. Cæterùm an ipſamet illa tutrix in judicio experiundi habeat facultatem, & an major factus pupillus ab ea repoſcat adminiſtratæ tutelæ rationes, an verò utrobique uxoris nomine litigandi partes expleat maritus, quæſtionis eſt; quod ipſum & eo loci moveri poterit, iteratis ubi nuptiis tutela perdurat. Putaveris forſan, cum mulieri tutelæ officio fungi, vel tutelæ judicio ſemet obnoxiam reddere ſit conceſſum, & illud una conceſſum intelligi, ut eo nomine & intendere judicium, & excipere poſſet: argumento ducto *ex l. 2. ff. de juriſdict.* quâ traditur

ditur conceſſo aliquo, & illa conceſſa accipi omnia, ſine quibus illud non poteſt expediri. Verùm aliter de ea re apud illum erit, qui preſſiùs conſideraverit argumentationem; quoniam, ut maximè ſemet obligaverit uxor, nulla tamen eſt neceſſitas conſiſtendi eo nomine in judicio: quod & in iis, quæ ad œconomiam ſpectant, contrahere videas uxorem efficaciter; cæterùm tamen in judicio defendi per maritum; argumento minoris, qui, licet apud Romanos per contractum obligandi ſemet haberet facultatem, litigabat tamen per curatorem; adeoque cum & maritus uxoris audiat tutor, & ejuſdem judicia excipere eum oportet omnia, etiam tum, cum ritè ſe illa obligaverit. Proinde Chaſſanæo nihil cauſæ fuiſſe videtur, cur iterato ſuper ea quæſtione hæſitaret.

Idem, quod de muliere tutrice diximus, obtinebit & in ea, quæ conſtituta eſt executrix (nam & teſtamenti adimplendi curam fas eſſe ſuſcipere mulieri ſatis conſtat ex *l. à filio. in princip. ff. de aliment. & cibar. legat.* Et communiter placuit. Vide Oldendorp. *in tract. de Executorib. ultimar. volunt. tit.* 5 Chopin. *ad ll. Andegav. lib.* 3. *tit.* 4. *de leg. præſt. n.* 4. Peleus *quæſt. illuſtr.* 31. Chriſtin. *tit.* 17. *art.* 5. *in Annotat. num.* 2. Hinc & generaliter expreſſum eſt à Neoſtadio *in Pact. Antenupt. obſ.* 9. *in not. in fine.* Uxorem, quamdiu vivat maritus, perſonam ſtandi in judicio non habere. Undè, ſi qua mulieri neceſſitas fuerit litigandi in judicio, teſtamenti exequendi ergo, judicium uxorio nomine, ut in aliis omnibus, ſuſcipiet maritus. An autem per novas nuptias executrix eſſe deſinat, perinde ac perdit tutelam mulier. V. *Quid de executrice?*

lier. Item, an curationis onus recipere in ſe marito poterit invito, viderimus ſuo loco.

VI. *An ſufficit mariti ſciẽtia, ut valeat judiciũ?* Ex eo, quod diximus mariti duntaxat cauſa repelli apud nos à judicio mulierem, ne illa nimirum damno aliquo, aut incommodo virum afficiat, per ſe alioquin conſiſtendi in judicio facultatem habens, argumento eſt rectè tradidiſſe nos, inſcio demum marito in judiciis mulierem non ſtare, quomodo & loqui amat Groenewegen *ad tit. C. qui perſonam ſtandi in judicio.* Ac conſequenter appareat ſciente marito, velut impedimento ſublato, mulierem litigandi poteſtatem habere; nec enim fit injuria volenti. Idque ipſum judicato non uno comprobat literatiſſimus JCtus. Mornacius *ad l. ult. C. qui perſonam ſtandi in judicio.* Chriſtin. *vol. 2. deciſ.* 153. *num.* 4. Conſimiliter judicatum nuperrimè à Curia noſtra, antè feſtum Pentecoſtes in cauſa *van Maria van Drielenburch contra Maria van Oſch anno* 1651. qua in lite conſtabat ex actis habuiſſe maritum uxoriæ litis notitiam. Ut omninò audiendus non ſit Charondas, nec ſtandum judicato in hoc prolato *en ſes Pandectes lib.* 2. *cap.* 5. *fol. mihi* 198. quod intereſſe exiſtimet, quibus verbis conſcribatur auctoritatis interpoſitio, ut ſi vir permittat duntaxat mulieri litem proſequi, non autem fiat auctor, judicatum exequendum ſit in uxoria bona, non in communia, aut quæ viri ſunt. Rectè contra traditum eſt apud Imbert. *in Enchirid. in verbo Vir & mulier an invicem.*

VII. *Unde ſcientia eliciatur.* Porrò quam congeſſere huc Auctores quæſtionum ſylvam.

An auctoritas nimirum viri colligatur ex eo,

eo, quod ſolitus mariti procurator pro uxore occupaverit? De qua Mornac. *ad l. ult. C. qui perſonam ſtandi.*

An, ſi cauſam ab uxore inſtitutam ſollicitaverit vir?

Si inſtrumenta litis ſubminiſtraverit?

Si juris vel facti ſuggeſtione juverit? De quibus Argentr. *ad Conſ. Britann. art.* 104. *gl.*4. *& Tiraquellus ibidem alleg.* Et ſi qua de hoc genere, formam probandæ maritalis ſcientiæ concernentia, plura ſunt, huc non ſpectant. Hoc ſpectat, cùm conſenſus mariti roboret contractum uxorium, non qua per ſe ſexus ſit inhabilis ad contrahendum, ſed qua cederet ea res in mariti detrimentum, ut conſequens ſit dicere tam ſequi poſſe conſenſum, quàm antecedere, quomodò & judicatum teſtatur Sand. *lib.*2. *tit.* 4. *definit.*3. *in verſic. porro* tam tacitè, quàm expreſſè, tam ſine ſcriptura, quàm in ſcriptis, aut per procuratorem interponi poſſe, de quibus alioquin magna eſt inter DD. pugna.

Sed nec illa hujus loci quæſtio eſt, quam tamen hic tractant Doctores: Utrùm conſenſus jam præſtiti jus ſit revocandi marito; ſi nimirum quæſiveris illud cum Doctoribus reſpectu alterius, qui cum muliere in judicio eſt; eo quod tum in maritali hac revocatione nihil obtineat aliud, quàm in alterius cujuſcunque, adeoque pertineat hæc quæſtio ad locum illum generalem de revocando conſenſu, decidenda communi diſtinctione. Ut ſi jus alicui quæſitum ſit, ejus præjudicio in caſſum intendatur revocatio; extra quod quo minus revocetur conſenſus, nihil ſit impedimento. Cui vacat ſuper eo videre plura,

VIII. *An revocandi conſenſus jus ſit marito?*

adeundi ſunt Tiraq. *ad leges Connub. gl.* 8. *n.* 125. Chaſſan. *Rub.* 4. §. 1. *verb. ſans licence.* Peck. *de Teſtam. conjug.* 3. *cap.* 21.

IX. *An reſpectu uxoris?* Cæterùm ad ipſam ſi adſpexeris mulierem, videndum eſt, an per conſenſum ſemet uxori obligaverit maritus, quo neceſſe habeat pati, ut lis ab eadem inſtituta peragatur. Et magis eſt vi poteſtatis ſuæ in manu mariti eſſe, quod juſſit, paſſuſve eſt, contrario imperio tollere: haud aliter ac ſi uxori quam hactenùs paſſus eſt propalam negotiari, ulteriori mercationi interdicat maritus. *arg. l.* 11. §. *de quo palam. ff. de inſtit. action.* ductâ ſcilicet à contractibus ad judicia argumentatione.

X. *An, ſi mulier ſit victrix, teneat judicium.* Egit, vel conventa judicium ſuſcepit mulier, neſcio marito, abſtulitque ſententiam pro ſe, valebitne judicium? Affimant Tiraquellus *ad leges Connub. gl.* 8. *num.* 75. Chaſſan. *Rub.* 4. §. 1. *num.* 25. *circa finem.* Adducto in ſententiæ ſuæ confirmationem argumento *ex lege Non eo minus ſententia C. de Procuratorib.* quâ dicitur ſententias pro minore latas viribus ſubſiſtere, etiam tum cum nulla interveniſſet auctoritas, quod ætas minoribus ſubvenire in damnis, non rebus proſperè geſtis, obeſſe conſueverit. Sed illud tamen minorem inter & maritatam intereſt, quod in ipſius minoris favorem comparatum ſit, ne ſine curatore litiget; cum uxoria geſta non ſuâ cauſâ irritentur, ſed tertii, mariti nimirum, ne res ſit ipſi fraudi. Undè potiùs ad ratificandi vim ac poteſtatem locus hic referendus videtur, ut quod ex re ſua, maritique geſſerit uxor, ejus ratificandi jus ſit marito, cujus ſolius adſpectu mulier litigare prohibetur; exemplo pa-

tris

tris ratum habentis contractum filii familias *l. ult. C. ad SCtum Maced.* Vel potiùs dicendum videtur, victo à muliere nihil juris eſſe comparatum, quo judicium infringat, quemadmodum & cogere poſſe mulierem eum, qui ſecum contraxit, ut obſervet contractum non malè adſtruit Tiraquell. *ad leges connub. gl.* 8. *num.* 91. marito autem ad avertendum duntaxat diſpendium exceptionem contra rem judicatam proditam eſſe, quâ ſi vel ipſe, vel hæredes ejus non utantur, quo minus conſiſtat judicatum, nihil videtur eſſe impedimento; cum *ex d. l. non eo minus* conſtet claudicationem hanc inæqualem tolerari aliquando legibus, ut pars altera teneatur obligatione, altera ſit libera; adeoque hoc ſibi imputandum habeat, qui tali cum perſona judicium exercuerit.

Diximus de muliere quæ judicio utiliter experta eſt. Quid autem ſi inſignis aliqua utilitas litem ſuadeat inſtruere, mariturſque præſens recuſet auctor fieri? Partes ſuas interponet judex, auctoritatemque vel invito accommodabit marito: nec enim malitiis hominum eſt indulgendum. Mecum ſentit Argentr. *art.* 424. *gloſ.* 1. *num.* 3. quanquam hoc ipſum cogitandum relinquat Tiraq. *ad leges connub. gl.* 8. *num.* 134. XI. *Quid ſi recuſet maritus auctor fieri?*

Fac tamen triſtiorem in judicio calculum tuliſſe mulierem, poteritne ad exitum deduci judicatum adverſus recuſatorem maritum? Chopinus *ad leges Pariſienſes lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 17. ejus eſt opinionis, ut exiſtimet judicem, qui, cauſâ cognitâ, auctoritatem ad litigandum pro invito interpoſuit marito, ſententiam in eundem poſſe exequi. Cui, vix eſt, ut conſentiam. XII. *Quid ſi tum ſuccubuerit uxor?*

Digitized by Google

ſentiam. Quippe contra maritale jus eſt ac imperium, ut in gratiis ſuis per uxorem ſibi damnum accerſat maritus, aut detrimentum. Proinde ita demum contra reluctantem virum uxor juvanda videtur, ſi non cedat ea res in denegantis mariti detrimentum; cum & in hoc ipſum maritale in uxorem imperium vir habeat, ne per geſta uxoria cogatur rei ſuæ facere jacturam. Proinde benè ſe habent quæ ſcripſêre Argentr. *d. n.* 3. *circa finem.* & Tiraquel. *d. n.* 134. hactenùs nimirum judicem mulieri auctorem fieri poſſe, quatenùs id fiat citra fraudem ac diſpendium mariti: adeoque utroque pollice laudanda illa Lutetianorum Patrum definitio, cujus *d. loco.* meminit Chopinus, qua ea lege auctoritatem ſuam, abnuente viro, interpoſuit Curia, ut judicata facienda eſſent ex uxorio patrimonio ſolo, ſeu ex parte uxoria communium bonorum, diſſolutâ nimirum conjugali ſocietate. Secundum quod Guenois *ſur l'Enchiridion d'Imbert des Succeſſions des conjoincts par mariage,* teſtatur hodie apud Gallos judicari, producto exemplo, ubi expreſſim, caverat judex, arreſta ſi qua darentur in illa cauſa, exequenda fore in bona communia, ſocietate finita, aut uxoris propria, reſervato marito eorum uſufructu. Quod poſterius eo loci procedere dixeris, ubi marito inhibita eorum alienatio. Sanè, ſi fas uxori foret quotieſcunque vel litigare, vel contrahere induxerit in animum, à denegante auctoritatem viro appellare judicem, ut is auctoritatem accommodet, quis non videt nanciſci uxorem indirectè contrahendi litigandique poteſtatem, nec parum labefactari maritale in uxorem imperium, præberi

beri præterea anſam mulieri; qua ad lubitum viro exhibeat negotium?

Videamus de marito, qui bonis ceſſit, poteritne ille auctoritatem impartiri mulieri judicium edunti, vel accipienti? non poſſe putat Chopin. *ad leg. Pariſ. d. loc. num.* 16. eo quod inhibitum ſit ei actionis exercitium *l. item ſi unus ff. de recept. arbitr.* & quod abſurdum ſit, cui alienare non licet, ei agere permitti *l. ait Prætor §. 2. ff. de jure Delib.* Verum cùm hodie maritali in uxorem non cedat imperio, qui cedit bonis, nec aliter is agere aut conveniri prohibeatur, quam ratione bonorum, quæ dereliquit, extra quæ ſi quid poſtmodum acquiſierit, vel per leges regionis ſibi ſervaverit uxor, apparet apud nos forenſium controverſiarum eum expertem non eſſe: quemadmodum & in Gallicis tribunalibus admitti eum ad litigandum, præſtitâ tamen ante de judicato ſolvendo cautione, multoties judicatum aſſerit Chopin. *d. loco*, quàm cautionem in foro noſtro poſtulatu alterutrius præſtat litigantium uterque. Utique conſequens erit dicere, auctorem fieri poſſe uxori & ejuſmodi maritum, qui bona ſua dereliquerit propalam. XIII. *De marito qui bonis ceſſit.*

Separatione bonorum virum inter & uxorem factâ, ſtatne hæc in judicio ſine illo? Variatum Doctorum opinionibus ac judicum ſententiis. Sunt, qui exiſtimant factâ ſeparatione ſolvi ac corruere poteſtatem maritorum, permanente duntaxat matrimonii vinculo. Moulin. *ad art.* 170. *conſuet. Borbon.* Chopin. *ad leg. Pariſ. d. loco. verſ. mulier abſque mariti.* Cocq. *ſur les couſtumes de Nivernois tit. de duaire art.* 6. Neoſtad. *de Pact. dotal. obſerv,* 8. *in annot.* XIV. *Separatus eſt ab uxore?*

Peck.

Peck. *de Teſtam. coniugum lib* 4. *cap.* 12. *num.* 2.

3. Sunt qui id ipſum omninò negant: Papon, *in collectione ſua arreſt. lib.* 15. *tit.* 3. *arreſt.* 4. quod latè admodum perſequitur Charond. *en ſes Reſponſ.* quamvis ſibi videatur nonnihil contrarius *ſur les couſtumes de Paris art.* 223. *& ſeqq.* & certè qui per ſeparationem maritalem poteſtatem in totùm negant interire, forſan rectè ſcripſiſſe dixeris: quippè vinculum matrimonii cum perduret, & maritale imperium, quod inde proficiſcitur, perduret neceſſe eſſe videtur; cujus poteſtatis effectus hactenùs tantum circumſcribitur; quatenùs mulieri viri culpa de patrimonio periclitanti ſuccurratur, inhibitâ marito de rebus uxoris diſponendi, eandemque obligandi poteſtate, à permiſſa uxori rerum ſuarum adminiſtratione, ut ſe, ſuoſque valeat exhibere; quibus tamen adminiſtrandi terminis non venit rerum immobilium alienatio, aut hypothecæ datio, ſimiliſve actus, quæ alienationis vicem, aut ſimilitudinem obtinet, juxtà Harbaji. *tit.* 13. §. 6. Io: à Sand. *defin. Friſic. lib.* 2. Argentr. *tit. des Mariages art.* 210. *gl.* 2. *num.* 3 unde nec alienare aut contrahere ſeparatam à viro mulierem, quo bona vel alienet, vel pignori det, multis arreſtis firmat Loüet *en ſon Recueil. lit. F. cap.* 30. Molinæi opinionem jam diu reprobatam, & ab uſu fori remotam atteſtans: illudque ipſum ſe accuratiſſimè notaſſe ſcribit Mornac. *ad l.* 21. *C. de Procurator.* Undè eſt, quod non niſi pro adminiſtratione bonorum, & ſua ſuorumque tuitione obligari ejuſmodi mulierem tenet Papon. *lib.* 7. *tit.* 1. *arreſt.* 10. *in Annotat.* Idque & hanc in propoſito rationem habet, quod mariti, factâ

licet

licet ſeparatione, intereſſe tamen non deſinat uxoriam ſubſtantiam haud temerè alienari, ſed diſpenſari probè, ut ex ea ſemet, liberoſque ac aliquando uxorem quoque valeat ſuſtentare; cum & à morte uxoris alendorum liberorum onus, quod illa toleraverat, redundet ad maritum, ſi bona liberis non ſuppetant aliundè. Ex quibus omnibus, ut ad propoſitum deveniam, pro conſectario effici videtur ei quæ alienandi poteſtate deſtituta eſt, judicium exercere non permitti *l. ajit prætor.* §. 2. *ff. de iure deliberandi*: quod tamen argumentum non adeo procedere oſtendunt *l.* 1. §. *ſufficit.* & *ſeqq.* *l.* 3. §. *apparet. D. de adminiſt. tutor. l.* 3. §. *item quæri poteſt* & §. *ſeq. ff. de reb. eor. qui ſub tutel. vel cura*, & doctiſſimo noſtro Mathæo obſervatum eſt *in diſp. de Cur. n.* 21. niſi forſan de eo litiget mulier, quod demandatam ſibi œconomiam ſpectet, vel creditum ſit in iis, quæ alendæ familiæ ſunt neceſſaria, quæ tamen ita accepta volueris, ut, ſi urgens æris alieni neceſſitas rerum diſtractionem ſuadeat, cauſa apud judicem probata vel alienandi bona, vel hypothecæ ſupponendi facultas ei non denegetur, quod ipſum quotidiano uſu probari pluribus tradit Loüet *d. loc. in Annot. in fine.* contra quod tamen ſcripſit Peck. *d. loco.* qui mulieri ſeparatæ à viro alienandi, ac oppignerandi poteſtatem attribuit, prolato & in hoc Senatus Mechlinienſis decreto. Apparet igitur ſuper hac re inter DD. ac tribunalia nonnihil eſſe diſſidii. Quæ, ſi aptaveris ad mores noſtrates, ac diſtinctione componenda putaverim. Aut ſeparatio coram Notario ſpontanea fit voluntate, ut maximè permittente judice inter acta publica relata ſit, dummodò tamen

cauſa

cauſa ſeparationis à judice non ſit expenſa, nedum ipſi probata; quo caſu manet haud dubiè maritalis poteſtas, nec adminiſtratio, viro lege decreta privato conjugum pacto adimitur: ut rectè traditum eſt apud Neoſtad. *de Pact. dotalib. def.* 8. *in not.* ac conſequenter uxor ſine viri auctoritate illa non litigat, nec ſemetipſam, nec virum obligatura, niſi forſan inſtrumentum ſuper diviſione conſcriptum det mulieri litigandi licentiam, ut tum illa ex mandato viri, vel ſaltem ipſo ſciente, dicenda ſit conſiſtere in judicio. Aut verò probata judici ſeparationis cauſa marito bonis in univerſum, vel uxoriis tantum, publicè interdicitur, ac palam proſcribitur: pro caſu ex aſſe mariti aboletur poteſtas, admiſtratioque ejus corruit in totum, nec deinceps alterum alterius geſta obligant. Ita moribus hodiernis convenire docent Neoſtad. *d. loc.* Perez. *n.*4. *ad tit. C. de jure dot. num.* 4. Chriſtin. *ad leges Mechlinienſ. tit.* 9. *art.* 4. *in annotat. num.* 1. Et idem velle videtur Grot. *in Manuduct. part.* 5. *lib.* 1. *verſ. hoewel nu. in fine.* Et de ejuſmodi muliere loqui Peckium *d. loc.* apparet ex eo, quod in principio Capitis ſcribat, eam thori ſeparationem poſtulaſſe à judice. Quare concludendum videtur mulieri hunc in modum à viro ſeparatæ ſuper rebus quibuſcunque, etiam ſoli, ſine marito litigandi facultatem eſſe, inque eam ſententiam bis judicatum teſtatur Gamma *deciſ.* 357. *num.* 2.

XV. *Abſens.* Minus habet difficultatis, ſi maritus ſit abſens, ut permittat judex mulierem pro eo intervenire, judiciumque peragere: rationis enim eſt, cùm maritus non ſit in medio ut ſuſcipiat judicium, uxorem in ea cauſa eſſe, ut à

ſe

ſe maritoque damnum poſſit avertere, cedente hic moribus jure Romano, quo ſolùm parentes permittitur ei defendere *l.* 41. *ff. de Procurat.* Exſtat pro ſententia noſtra judicatum apud Friſios, tradente Ioan. à Sand. *deciſ. Friſ. lib.* 1. *tit.* 5. *defin. unica.* conſentit Barboſ. *ad l. ſi longius* 18. §. *filium familias n.* 46. *&* 47. *ff. de jud.* Atque hæc de ea, quæ pro marito intervenit convento, adeoque negotio fungitur neceſſario. Quid autem, ſi ex re ſit, ut ipſamet experiatur judicio, actionemque intendat alii? hunc inter & præcedentem caſum illud intereſſe apparet, quod priori in ſpecie neceſſitate impellatur mulier ad interveniendum pro abſente marito, alioquin ex contumacia damnando; hoc vero ſolius utilitatis ergo ad litigandum ſe accingat uxor, adeoque actus ex mera proficiſcatur voluntate. Commodiſſimè tamen deſumi poterat argumentum à contractibus, quos ſibi ineundos putat mulier, negotium ſolummodò commendante utilitate, quando mariti abſentis auctoritatem judiciaria ſuppleri docent Chaſſan. *des droicts apparten. à gens. Rub.* 4. *in verb. contracts* §. 1. *n.* 25. Io. à Sande *lib.* 2. *tit.* 4. *defin.* 4. Chopin. *loc. ſupra citato.* Undè, cum eadem abſentiæ, eadem utilitatis ratio quæ ſubeſt in contrahendo, & in litigando obtineat; idem quoque juris in utroque obtinere debere rationis eſt.

Damnato in exilium marito, num & tum citra ejus auctoritatem judicia exerceat mulier; Quæſtio non æquè expedita eſt, nec eodem modo Scriptoribus definita. Chaſſaneus auctoritatem mariti advocandam negat *d. loc. num.* 50. quo cum ſtant Ferronius & Lamb. XVI. *Exul*,

laudati à Chriſtinæo *ad leges Mechlinienſ. tit.* 9. *art.* 4. *num.* 23. contra quos ſentire videtur Tiraquel. *ad l. connub. gl.* 8. *n.* 40. vel potiùs Lectorem dimittit illo ſibi uſitato dicto, *tu cogita*. Et verius eſt banno quod more hodierno frequentatur non amitti maritalem poteſtatem, pœna licet ſit impoſita capitalis ni pareat bannitus, & exilium in perpetuum irrogetur: quippe lubet attendere deportationi Romanis uſitatæ bannum hodiernum non eſſe conſimile: conſtat quippe deportatum illic civiliter mortuum eſſe; ita ut bona amittat omnia, proſcriptum, ſeu civitate ejectum apud noſtrates non item, nec bona hujus proximis perſonis deferuntur, adeoque tradita D. Antonii Matthæi Juriſconſultiſſimi juxtà ac litteratiſſimi viri *in tract. de Criminib. tit. de Inquiſit. cap.* 3. *num.* 5. *& ſeqq.* de uſu aliorum, Gallorum puta, non de more noſtrate accipienda videntur. Nam & Tuldenus obſervat *ad tit. C. de bonis proſcriptor. & damnat.* deportationem, quâ omnis juris civilis deinceps incapax efficitur reus, prorſus hodie exoleviſſe, niſi forſan eam ad bannitos quoſdam imperii, qui inſtar hoſtium ſunt, aptaveris. Vid. Bronchorſt. *ad l.* 97. *de Reg. jur.* & Gudel. *de jure noviſſimo lib.* 5. *cap.* 15. *verſic. ignis in fine.* & nuperrimè notat Groeneweg. *ad tit. ff. de interdict. & relegat. & ad l.* 2. *C. de bonis proſcript. ad l.* 17. *ff.* §. *ſunt quidam ff. de Pœn.* deportationis effectus noſtri temporis bannitis minimè congruere: Cui conſonat Carpzov. *in Praxi crimin. part.* 3. *quæſt.* 130. *n.* 13. *juncto n.* 52. tradens abrogata deportatione, non niſi relegationem in uſu eſſe, quâ jura civitatis non amittantur. Idem vel ex ipſo confirmatur

ma-

Digitized by Google

matrimonio; permiſſionem in exilium non intereunte; *l.*13. §.1. *de donat. inter vir. & uxor.* ut conſequenter nec maritalis ceſſet poteſtas, quæ matrimonii effectus eſt, quemadmodum per bannum nec illam expirare poteſtatem, quæ patri competit in liberos, notat Tuld. *ad tit. Inſt. quib. mod. jus patriæ poteſtate ſolvitur. cap.* 3. Ne huc adducam, quod placuit nonnullus, teneri hodie mulierem maritum bannitum ſequi. Vide laudatos à Gronewegen *ad l.* 5. *ff. de bonis damnator.* & Mæv. *ad jus Lubecenſ. lib.* 1. *tit.* 5. *art.*10. *n.* 60. *& ſeqq.* Quare dicendum putaverim, ea in civitate, unde ejectus eſt maritus, cum præpediatur negotia vel lites exercere, poſſe eum abſentiam ſupplere per procuratorem, per epiſtolam, alióve modo expreſſam voluntatem nullius juris futurum expertem, quo ſententiæ tenor non infringitur. Quanquam apud Gallos non ignorem regno univerſò in perpetuum exulare juſſos, inſtar deportatorum haberi, ut nec ad agendum admittantur. Loüet *lit. B. n.*17. *& lit S. n.*15. *in Annotat. in fine.* finibus territorii Curiæ Pariſienſis, certáve Provincia interdictos, aut ad tempus, non item. Et certè apud illos ipſos Gallos, qui ex contumacia damnantur, interim contrahunt, ut proſcripti & banniti, qui bona & bonorum adminiſtrationem retinent & rebus ſuis ſuperſunt, & commercia miſcent, & liberos retinent in poteſtate: verba ſunt Argentr. *ad Conſuetudines Reformatas Britanniæ quæ poſt veteres comparent ad art.* 658. Ita apud nos non ita pridem ex cauſa homicidii in exilium actum, pæna capitis ni pareat, impoſita, lites movere interim, & ad extremam uſque inſtan-

 tiam

tiam proſequi vidimus. Et nuperrimè cùm contra bannitum poſtulaſſet creditor decerni citationem in communi forma, quâ citaretur reus, ut ad certum diem vel ipſe compareret, vel per procuratorem, Curia, cauſâ cognitâ, immutata duntaxat ex parte citationis formula, per procuratorem bannitum adeſſe juſſit, ut ipſemet compareret, non juſſit. Nec in diverſum me movet, quod publicatis univerſis ſocii bonis diſtrahi ſocietatem jure noſtro proditum ſit, eo quod pro mortuo tum habeatur §. 8. *inſt. de ſociet.* Alia quippe ab hac noſtræ ſocietatis natura eſt. Legalis illa multis modis diſſolvitur, & rerum cauſa inita, ſublatis iiſdem, diſſolvitur. Connubialis arctiſſima ampliſſimaque eſt, communitatem complexa totius vitæ omniumque, quæ ad vitam pertinent, religionis, familiæ, domicilii, rerum & ſocietatis domeſticæ; cujuſmodi ſocietatis jus ſola rerum in commune collatio non inducit, locum etiam habiturum, licet conjugum alterutri bona nulla ſuppetiiſſent. Adhæc, quod caput eſt, maritalis poteſtas, cujus beneficio pro uxore in judicio ſtat maritus, ſeparatam omninò cauſam à rerum communione habet; poteſtate namque & tum obtinente, cum vel ab initio excluſa ſit illa communio. Quare uxori auctor eſſem, ut poſtulet à judice diſſolvi ſocietatem, ſibique committi rerum ſuarum adminiſtrationem, non minus audienda, quàm ſi ex cauſa diſſipationis eadem interdici marito, ac eam in ſe tranſcribi poſtularet.

XVII. *Furioſus, mente correptus, aut Prodigus eſt,*

Quid ſi maritus inciderit in furorem, aut ita mente correptus fuerit, ut rebus ſuis præeſſe nequeat? Sunt, qui putant tum ferè cum muliere

Digitized by Google

muliere contrahi tanquam cum innupta. Vid. Tiraquell. *ad ll. connub. gl.* 8. *num.* 32. 33. 34. & 40. Chaſſan. *Rub.* 4. §. 1. *num.* 48. 49. Verùm haud immeritò diſplicuit ea ſententia doctiſſimo Harbajo *rer. quotid. cap.* 13. §. 19. cum eo enim, qui furioſus eſt matrimonium manet, *l.* 22. §. *ſi maritus ff. ſolut. matrimonio l.* 8. *ff. de his qui ſunt ſui vel alieni.* Manet igitur & jus mariti, tanquam concomitans ejuſdem, aut ſequela. Eſto; non habeat furioſus juris illius exercitium, propterea tamen non excidit jure ipſo, cum & ſtatum retineat, & dignitatem, aliaque *l.* 20. *de ſtatu hominum. l.* 8. §. 1. *ff. de tutor. dat.* Atque ita quidem diluit Harbajus præcedentium opinionem. Cæterùm, nec hoc illi probatur, pertinere uxorem ad curationem illius, qui furioſi mariti rem adminiſtrat, ad exemplum furioſi patris liberos in poteſtate retinentis: quando, inquit, non ea poteſtas viri in uxorem, quæ parentis in liberos. Verum, an æquè rectè & hoc tradiderit, non immeritò addubites: fac enim Romano jure poteſtatem patris maritorum jus ſupergreſſam, utique non anteſtabit ea hodiernæ virorum poteſtati, cum in conflictu utriuſque illa huic cedat, paternumque imperium poſthabeatur maritali, ſi quando mandata eunt in diverſa, juſſa ſcilicet uxore derelictis parentibus adhærere viro. Prætereà non malè & huc traxeris duplicem rationem, quâ liberos in poteſtate patris furioſi permanere tradit Ulpianus *in d. l.* 8. Nam primò, quod ait, non poſſe deſinere quem habere in poteſtate, niſi exierint liberi quibus caſibus ſolent, id & ad maritalem poteſtatem retuleris, quæ & ipſa ſuos modos, quibus

finitur, habet, ſaltem, eodem Harbajo adſtruente, furore mariti non exſpirat: deinde quod adjicitur in fine *d.l.*8 *ff. de his qui*, adeo retinere jus poteſtatis patrē furioſum, ut & acquiratur illi commodum ejus quod filius acquiſivit, adeoq; apparet rationem haberi in eo cōmodi paterni, conſimiliter dici poteſt intereſſe mariti, ratione communionis, ex bonis uxoriis vel acquiri aliquid, vel nihil ei decedere, ut propterea curatoris marito dati ſollicitudo videretur, & ad uxorem pertingere. Quid igitur? an pertinebit mulier ad curam ejus, qui viro præeſt? ne hoc quidem intrepidè dixerim. Movet, quod mulier viro nupſerit cōſenſu ſuo, ſuapte voluntate eundem ſibi tutorem conſtituerit ac dominum, non gravata ſcilicet bona arbitratui ejus ſubmittere, cui ſe-ipſam quaſi mancipavit; cum contra filii familias in poteſtate patris naſcantur: ut perquam durum foret mulierem invitam ſupponi alterius tutelæ, quam mariti; quæ, ſi cælebs eſſet, nullius omninò tutelam agnoſceret, ea ſcilicet mente ac ætate prædita, ut adminiſtrationi rerum ſuffecerit; ne dicam inconveniens eſſe externum adminiſtratorem recipi in alienos penates manente conjugio, quâ ratione Argentreus utitur *ad art* 495. *gl.*1. Unde rectè obſervatum Harbajo; vix eſſe, ut commodi maritorum talis habeatur ratio, ut ſub alia quam mariti cura mulier eſſe debeat. Sed quid tandem hac de re videtur dicendum? Harbajus nihil fidenter auſus eſt ſtatuere. Mihi ſic videtur, cum furioſus per omnia, & in omnibus abſentis vel quieſcentis habeatur loco, utique nihil aliud hic definiverim, quàm quod Doctores de marito reſpondent abſente, judiciariæ nimirum

mirum auctoritatis adhibitione maritalem abſentiam ſuppleri, vel potiùs, ſi ſpes reſipiſcendi decollaverit, uxorem poſſe præfici tam ſuarum rerum, quàm quæ viri ſunt, adminiſtrationi. Vid. Grot. *in ſua Manuduct. lib.* 1. *part.* 11. *verſic. een gehuwede Vrouwe in fin.* ſi nimirum reperiatur ea tantæ adminiſtrationi idonea; quanquam ſupervacua videatur Grotii diſtinctio aſſerentis uxorem prodigo viro curatricem non dari, eo quod illa non ſit ſuæ tutelæ, verba ſunt, *als onmundig ſijnde,* ſed committi ei nonnunquam bonorum adminiſtrationem: quippe næ vir doctus hic verbis pugnat, non re. Si propterea à cura viri arceatur mulier, quod minorennis habeatur, qui poterit ei committi ulla bonorum adminiſtratio, quæ quoque nemini defertur, qui ſuæ non ſit tutelæ? Adhæc, quid intereſt, uxórne fiat viri curatrix, an bonorum gerat adminiſtrationem? Quippe non curator æquè ac tutor datur perſonæ; an non partes illius ſunt tueri bona? proinde rectè patriæ ſuæ conſuetudinis ſenſum expreſſit Argentreus, eo ipſo mulierem viro datam curatricem declarans, quod admittatur ea ad gubernationem, aut adminiſtrationem bonorum *ad art.* 495. *gl.* 1. *num.* 1. *in ſummario.* Et certè, ſi verum amamus, uxor per ſe minorennis non eſt: nec enim ob imbecillitatem conſilii datus ei tutor maritus, ſed reſpectu duntaxat ac contemplatione imperii marito competentis, ut nimirum ſolus ille rei familiaris arbiter cluat; quod imperium, vel potiùs cujus imperii exercitium cum quieſcat in furioſo, nihil præterea eſt, quod uxori poſſit eſſe impedimento. Illud forſan objecerit quiſpiam, pugnare

cum honore & reverentia marito ab uxore debita, ſi præficeretur illa viro, cui per nuptias fuit ſuppoſita: quæ enim carior perſona rem mariti curare poterit, quàm uxor vitæ ſocia? ſanè ob affectionis vel pietatis rationem furioſæ matri curator datur filius *l. 4. ff. de curator. furioſ.* quin nec ipſi patri filium curatorem dare dubitat Prætor *l. 2. ff. eodem.* Adhæc, quæ tandem ratio eſt habenda maritalis imperii in furioſo? quæ in prodigo? qui poſterior, cum tam pravè abuſus ſit imperio, detrimento uxoris, cujus bona juxtà ac ſua dilacerando ac diſſipando profundit, hoc ipſum videtur promeritus, ut uxoris in ſe curam cogatur agnoſcere. De eo prodigo loquor, cui per ſententiam promulgatam bonis eſt interdictum: nam illorum opinionem, qui notoriè prodigi contractus infringunt, æquè atque interdicti, uſus exploſit, publicè intereſſe ducens, nemini rerum arbitrium à natura datum, ſine prævia judicis cauſæ cognitione auferri; ut maximè incurreret in oculos protervia, ſeque ita componeret aliquis, ut patrimonium ſuum, velut amaram ſarcinam feſtinaret abjicere.

XVIII. *An conveniri, arreſto includi poſſit nupta mercatrix?*

Illud quæſitum eſt. Si mulierem propalam tractare mercimonia paſſus ſit maritus, poteritne illa abſque ejuſdem auctoritate pulſari judicio? de eo ſatis conſtat, poſſe mulierem mercatricem contrahere; quod conſenſum tacitè cenſeatur ei accommodaſſe maritus, eo ipſo, quod patiatur uxorem propalam mercatui operam dare; ac id negotii nequiret alioquin explicari, niſi ſimul data contrahendi licentia: ut hoc ipſum non tam ſit exceptio à regula, quâ ſtatuitur mulierem citra mariti con-

conſenſum ſemet obligandi facultatem non habere, quam potius actus geſtus ex ipſius viri conſenſu, ac voluntate. Bifariam autem hæc quæſtio tractari poterit. Contingit frequenter, ut in partem laboris aſſciſcatur uxor, unaque cum viro mercandi curam, ac adminiſtrationem ſuſcipiat. Eſt & cum ſola mercaturam profitetur uxor, marito in partem laboris omninò non veniente; quod de iis ferè mercibus videas contingere, quarum mulieribus rectior quàm viris & æſtimatio, & tractatio eſt. Prima ſpecie cum non ſeorſum à viro negotiatur uxor, ſed una cum ipſo mercaturæ vacat, non tam nomine venit mercatricis, quàm mariti inſtitrix habetur: quemadmodum & diſertè Pariſienſium legibus *art.* 235. expreſſum video ejuſmodi mulierem mercatricem eſſe non intelligi; & tum quidem geſtis uxoriis perinde obſtringitur maritus, atque inſtitor obligat præponentem ex iis, quæ ad mercis illius, cui præpoſitus eſt, obligationem pertinent, ac proinde rationis eſt, eo nomine cum marito potius, quàm cum uxore ſtante matrimonio judicio experiendum eſſe: quod & innuere videtur Chopin. *de morib. Pariſ. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 9. & expreſſiùs *ad leges Andegav. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 6. *fol. mihi* 392. Piere Guinbois *en ſes Annot. ſur l'Enchrid. d'Imbert in verb. Auctorité.* Quamvis, ut illud obiter attexam, fruſtrà eſt Chopinus *d. num.* 6. probare nitens *ex l. final. ff. de inſtit. actione* inſtitorem non ſemetipſum, ſed præponentem duntaxat obſtringere: cùm contra electionem nobis eſſe, utrùm eorum convenire velimus, conſtet ſatis ex *l.* 1. §. 17. *eſt autem ff. de exercitor. act. l. procurator qui pro ff. de procurator.* & in ean-

eandem ſententiam explicata *d. l. final.* doctè diſſerit Faber *in Rationalib. ad d.l. final.* vid. Weſenb. *ad tit. ff. de Inſt. actione. n.* 6. Curiam tamen Pariſienſem alteram ſententiam aliquando ſecutam eſſe lego apud Coſtal. *ad d. l.* 1. *§. eſt autem.* Sola autem ſi mercaturam mulier exerceat, in aliam concedunt ſententiam recentiorum plerique, omnium copioſiſſimè Chaſſan. *Rub.* 4. *§.* 1. *in verb. ſi elle n'eſt marchande verſic. ſed dubitatur utrum mulier.* Vid. Imbert. *in Enchir. in verb. Authoritas.* Boër. *ad conſuet. Bituricenſes tit.* 1. §. 4. Chriſtin. *ad leges Mechlinienſ. tit.* 9. *art.* 4. *num.* 10. & 11. Chopin. *d. num.* 6. *in margine.* Mævius *ad ius Lubecenſe lib.* 1. *tit* 7. *art.* 9. *in fin.* Quorum una omnium eſt opinio, mercatricem ſine viri auctoritate ſe rectè ſiſtere judicio, adeo ut adjiciat Chopin. *d. n.* 9. Vinculis eandem nonnunquam cogi æs alienum exſolvere. Palmarium, quo ſe tuentur, argumentum eſt, contrahendi licentiam includere una poteſtatem conſiſtendi eo nomine in judicio: quod alterum ſine altero explicari nequeat, ſed utrumque mutuo indigeat auxilio; ut non putandum ſit ſtatutum ſine curatore permittens contrahere, negare voluiſſe judicia. Verumenimverò, ut apud nos ſe mores habent, vix eſt, ut ei opinioni ſit accedendum. Eſto namque, quod mercium illa tractatio ſine litibus ut plurimum nequeat expediri, quæ inde neceſſitas erit, ut conſiſtat mulier in judicio, cum vir ſit in medio, qui lites ſuſcipiat uxorio nomine? Conſequentia nulla eſt. Obligat ſe virumque ratione negotiationis mulier, ergo agi in eam poterit ſine viri auctoritate? Obligat quoque virum mulier ex creditis alendæ familiæ cau-

ſa contractis, adeoque ex quocunque alio contractu, in quantum in rem communem ſit verſum; eo tamen nomine pulſari virum in judicio, non mulierem, quotidiana praxis edocet. Contrahendi ſine curatore licentia ſecum non trahit judicio experiundi poteſtatem: quod vel inde apparet. Minor ſine curatore Romano jure contrahebat efficaciter, litigabat non item. Qui patitur mercari mulierem, eo ipſo litigare non patitur, nec de illo ad hoc argumentum admittunt Conſuetudinum Illuſtratores. vid. Tiraquel. *ad leges connub. gl.* 5. *num.* 210. 211. & 212. Quare & complurium Galliæ Provinciarum conſuetudine expreſſum eſt, non ſtare in judicio mulierem mercatricem, ut *Pictavienſ. legum art.* 227. *Laon art.* 19. *Reims art.* 13. referente Cocquille *en ſon Inſtitution du droict Francois tit. du droict des gens mariez.* Diximus hæc de muliere, cujus maritus ſit in medio, eo nimirum in loco, ubi convenire eam expedit creditori, ut ita poſſit vir auctor eſſe uxori. Quid autem? ſi arreſto detineatur vel ſiſtatur alibi mercatrix, viro eo loci non reperto? quemadmodum & mulieres aliquando frequentare nundinas videmus. Utique tum in mulierem agi, ac compingi eam in carcerem poſſe, non eſt, quod dubitemus; procedente tum argumento quo utuntur Doctores, quod conceſſo mulieri, ut tractet mercimonia, & illud conceſſum accipiatur, ut eo nomine, ad inſtar virorum, ubique locorum poſſit conveniri.

XIX. *Quomodo ſententia eo nomine lata executioni mandatur in maritum.*

Ex eo autem, quod diximus ab uxore negotiatrice rectè & obligari & conveniri maritum, conſequens eſt latam de ea re ſententiam & in corpus aut perſonam mariti mandari

dari poſſe executioni: ita ut ille contractum æs alienum etiam vinculis cogatur expungere, aut ad facti, à mercatrice promiſſi, compelli poſſit præſtationem. Quid? datur eo nomine in maritum actio, dabiturne ergo & executio? ſine qua omnis actio inanis eſt: ut omninò fruſtrà diſtinxeris, in corpus, an in bona dirigatur executio: ſervatur quippe ille exequendi modus, qui more cujuſque regionis eſt inductus; adeo ut tum perluſoria redderentur judicata, cum factum in condemnationem eſt deductum, aut bona debitoris non exiſtunt in medio, quando ſine carcere illis in ſpeciebus judicata apud nos non deducantur ad exitum. Hæc à me dicta non forent, ni protuliſſet Charond. *en ſes Pandect. lib.4. cap. 19. in fine* rem judicatam in contrarium. Quare quæ in meam ſententiam apud Loüetii Commentatorem leguntur arreſta *lit. F. cap. 11. in annot.* rectiore ſtant talo, moribuſque noſtris congruentiora ſunt.

XX. *De mercatrice nupta, quæ ſit minor.*

Diximus uxorem, quæ mercatrix ſit, poſſe conveniri, ubi æquè commodum non eſt agere in maritum: idemne dicendum, ſi fuerit illa minor? Non putaverim minorem ætatem obſtituram, quo minus conveniatur mulier, damnetur, & in bona corpuſque juxtà ſubeat ſententiæ executionem. Nec id tamen eo firmaverim, quod minor mulier per nuptias evadat major: nam & Grotio notatum, mulierem eo ipſo, quod maritata ſit, eſſe minorennem *in Manud. lib. 1. part. 11. verſ. een gehoude vrouw*. De quo quid mihi videatur, aperui ſuprà. Verum illud in propoſito movet, quod cuicunque negotio mariti auctoritas acceſſerit, ibi contrahens mulier ſe maritumque obliget;

liget; poteſt enim vel pupillus negotio præfici: mulier autem propalam mercatui dans operam, viri id agit mandato vel conſenſu, ut, quidquid iſtius negotii tractaverit illa, ex auctoritate viri tractaſſe videatur; non enim ad ſingula duntaxat negotia, ſed in univerſum, in certum aliquod genus, plura complexum, maritus conſenſum, aut ratihabitionem poteſt adjicere, & in hanc ſententiam judicatum exſtat apud Brodeau ſur Loüet *lit. F. quæſt.* 11. *in not. lit. B.*

XXI. *Quid ſi noluerit uxor, ut vir litiget ſuo nomine?*

Verùm fac noluiſſe uxorem, ut vir ſuo nomine vel agat, vel actionem excipiat. Audiendam forſan quis putaverit, cùm viderit ſcriptum eſſe à Barboſa ex mariti contractu, cui expreſſim contradixerit, non teneri mulierem. *ad l.* 1. *ff. ſoluto matrimonio part.* 3. *num.* 62. *&* 63. quem laudat Joan. à Sand. *Deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 5. *defin.* 8. Adeoque, argumento à contractibus ad judicia tracto, litem ſuo nomine intendere volenti marito poſſe uxorem intercedere. Verùm næ illum ſua fallit argumentatio: quippe juges mulieris querelæ impedimento non ſunt: quo minus obligetur illa à marito res ſuas diſperdente, donec ei publicè à judice adminiſtratione ſit interdictum, ut dictum ſuprà: uſque adeo, ut nec ab hæredibus viri eo nomine ſervanda ſit indemnis mulier de quo fuſiùs agemus infrà. Quare rectiùs ſcriptum exſtat apud Tiraquel. *de retract. gentil.* §. 10. *gloſ. unica. n.* 11. & Chaſſanæum *ad Conſuet. Burgund. Rub. des droicts & appartenances* §. 5. *num.* 36. *ibi extende quinto & ibid. quaro de quæſt. num.* 68. mulierem intercedere non poſſe, ne maritus agat ſuo nomine.

Verum

XXII. *An ſine venia in jus vocet uxor maritum?* Verum illud quærendum eſt, an non opus habeat agendi venia mulier agere volens in maritum? Duo ponenda ſunt hic in percunctando pro decidendæ quæſtionis ratione. Alterum, an obtineat hodieque vocandi in jus ſine venia prohibitio? Alterum, an ea pertineat & ad maritum? De primo variatum eſt Interpretum ſententiis. Sunt, qui putant edicto prohibitorio cauſam dediſſe veterem apud Romanos in jus vocandi morem, quo, ni ſequeretur vocatus obtorto collo, injectâ manu, rapiebatur in jus: quod ſi ita ſit, mirum profectò videri non debere, ſi tum filius in jus patrem vocare prohibebatur, abſque permiſſu Prætoris, ait Duarenus, *ad tit. de in ius vocando cap.* 6. Adſtipulantur Cujacius *obſerv. lib.* 10. *cap.* 10. Donel. 23. *com.* 2. Grivell. *deciſ.* 35. de qua re vide quæ notat D. Ant. Mathæus in politiſſimo illo libello *de Iudiciis diſp.* 6. *num.* 9. & 10. Quæ ratio prohibendi ſi vera vel ſola fuerit, ſequitur tamen nec hodie poſſe parentes abſque veniæ petitione arreſto ſiſti aut detineri, quod hic arreſtandi modus æquipolleat veteri iſti manus injectioni. Unde non ita pridem apud nos duplici judicato memini in irritum deductam detentionem, quâ filia uſa fuerat, non petitâ veniâ, in patrem, mulctata ea expenſarum damnatione, ac conſequenter extra detentionis ſpeciem, exoletâ ductione, una exoleviſſe veniæ impetrationem. Sunt qui exoleviſſe negent. Weſemb. *in Paratit. ad tit. de in ius vocando. num.* 12. quem laudat D. Ant. Matthæus *in tractatu de iudiciis dict. loc.* quibus ſuffragatur *l. ſed ſi* 10. §. *pen. ff. de in ius vocando*, qua conſtat propterea exactam à Prætore veniam, ut videat,

quâ actione liberi cum parentibus experirentur, permiſſurus, inquit Ulpianus, ſi famoſa actio non ſit, vel pudorem ſugillet; cui rationi cum etiamnum poſſit eſſe locus, cur prohibitorium illud edictum ſtare prohiberetur? Cæterùm hæc ipſa ne ſubdubitare ſuadent, an edicti tempore hic rapiendi mos ſit frequentatus, ait enim permiſſurum Prætorem in jus vocationem, ſi famoſa non ſit actio. Num igitur putaveris permiſſurum fuiſſe Prætorem, ut injecta manu obtorto collo in jus rapuiſſent liberi parentes, quibus ab illis honorem & reverentiam præſtari tam enixè Prætor exegit? Mihi ſaltem veriſimile non videtur. Cæterùm in opinionum conflictu tutiùs exiſtimaverim poſteriorem ſententiam amplecti, quod ſumma ratio ſit, quæ pro hac reverentia facit. Unde, & hoc ipſum ſervari ſolere apud Gallos religioſiſſimè, teſtatur Mornac. *ad l. 4. §. 1. ff. de in ius vocando.* Quare conſequens eſt, ut dilabamur ad alterum quæſitum, an & uxorem teneat hæc prohibitio maritum in jus vocaturam? Placuit Interpretum pleriſque edictum de non vocandis parentibus, aut patronis in jus ſine venia, rectè produci ad maritum. Cujac. *lib.* 10. *obſ.* 10. Balduin. *ad tit. ff. de in ius vocand.* Tiraquell. *ad leges Connubial. l.* 1. *num.* 41. & plurimi ibidem allegati. Perez. *n.* 2. *ad tit. C. de in ius vocando.* eo quod reverentiæ præſtatio, edicto cauſam dans, ſumma ſit exhibenda marito, vel Ulpiano noſtro teſte *in l.* 14. *in fin. ff. ſoluto matrimon.* Verum, jus Romanum ſi ſpectemus, rectè eo nomine reprehenſi videntur à Duar. *ad cap.* 4. *de in ius vocando.* eumque ſequente D. Ant. Matthæo in laudato com-

commentario *de iudiciis diſputat. 6. num.* 8. lex enim pœnalis perſonam non tranſgreditur *l. 1. §. 2. de conſtit. Princip.* & quod generaliter Modeſtinus in jus vocari vetet perſonas, quibus præſtanda eſt reverentia, de iis cum Duareno nominatim acceperis, quibus ea, neceſſitate legis, exhibetur, quales ſunt parens, & patronus *tit. de obſeq.* non autem quibus id fieri ſuadet naturalis quædam ratio & honeſtas. Verumtamen, ſi rationem illius juris potius, quàm ipſam diſpoſitionem intuear, non periclitarer dicere nefas eſſe mulieri pulſare maritum judicio, non petitâ veniâ. Ne enim dicam contra bonos mores fore, & receptam reverentiam, quæ maritis exhibenda ſit, ſi ad libitum obtorto collo maritum in jus rapere licuiſſet uxori: ſi nimirum iſte vocandi mos Romano jure frequentabatur, ut vult Duaren. *d. titul.* Illud movet maximè, quod ideo Prætor ait, in jus, niſi permiſſu meo, ne quis parentem vocet, ut videat, num famoſa ſit actio, vel quæ pudorem ſugillet *l. 10. § 12. ff. de in ius vocando.* Num igitur uxori liberum erit ejuſmodi actionem intendere in maritum, cujus poteſtati & imperio adeo ſubjecta eſt, ut inconſulto eo agat nihil, eique etiam præ parente obtemperare habeat neceſſe; cum & jure noſtro ob honorem matrimonii ne viro quidem in uxorem turpis actio detur *l. 2. ff. de actione rer. am.* vel propter reverentiam perſonarum, ut Paulus loquitur *l. 3. §. 2. ff. eod.* Ad cujus reverentiæ erga maritum exhibitionem ſacra noſtra Pagina excitantur mulieres, exemplo Saræ, virum compellantis dominum. Quanquam, (ut hoc obiter perſtringas)

ac

ea hodie ſexus hujus indomita ſuperbia eſt, ut ſe potiùs dominas, quàm maritos dominos & haberi & dici uxores velint. Quin & in jure noſtro animadvertas vix unum atque item alterum locum reperiri (nam unicum de eo exſtare paulo inconſideratiùs aſſeverat doctiſſimus Mornac. *ad l. 58. ea quæ ff. de donat. inter vir. & uxorem*) in quo maritus domini titulo dignantur uxores, *ut in d. l. ea quæ & l. Lucius 88. §. quæ marit. ff. de legat. 2.* Contra paſſim uxores à maritis dominas appellari conſtat *ex l. uxor. 14. in princ. de leg. 3. & l. ult. §. 1. de auro & arg. leg.* Imo *in l. Titia §. 1. ff. de annuis legatis.* audit uxor à marito domina ſanctiſſima. O abjecti animi viri, dominas eas prædicantes, quibus ipſi dominari juſſi ſunt: quantoperè verendum, ne dominio, cui verbis ceſſerint volentes, re excidant inviti. Longè aliter ſensêre Gallorum duo (gentis alioquin ad vernilia vel obſequioſa verba projectiſſimæ) Argentreus atque Tiraquellus, primæ notæ viri; quorum hic bardos vocat viros, qui id honoris uxoribus delatum iverint, adeoque tulit ægrè, quod aliud à ſe ſcriptum aſſeruiſſet Chaſſaneus, ut eo nomine corripuerit eum quàm acerbiſſimè *ad l. 5. connub. gl. 1. part. 5. num. 14. circa finem.* Ille in uxores ſe dominas prædicantes dentata hæc verba ejaculatur *ad art. 612. Quæ ſe dominas vocari volunt, caſtigationem paſſuræ non ſunt, aut domus aut familia tota fulguribus & tonitruis perſonabunt indomita pervicacia. Et fruſtrà eſt maritus ſi id facere præſumat, quod nec ferrum, nec ignis, nec tonans quidem faceret Iupiter.* Hæc Argentreus.

Digitized by Google

quinimò apud nos in cauſis civilibus amplius receptum eſt, ut ubi in totum cauſa libellis conteſtata eſt, interrogationes fiant de propoſitis articulis, ad quas uxor proprio ore reſpondere habeat neceſſe; quæ tamen interrogationes fere eſt, ut in criminalibus non admittantur. Proinde in his eo minus videretur exigi, ut ipſamet mulier ſtaret in judicio. Verum cum Doctoribus indiſtinctim traditum ſit uxorem in delictis, & quæ eorum inſtar ſunt, perſonam habere legitimam conſiſtendi in judicio. Boget. *ad conſuet. Burgund. tit.* 2. *des gens Mariez ad* §. 1. *num.* 8. *in verb. faire contracts.* Carpzov. *defin forenſ. part.* 1 *conſtit.* 1. *defin.* 33. alia hujus juris ratio eſſe videtur, ea nimirum, quæ à maritali petitur poteſtate: quæ ſola efficit, ut uxor viri opus habeat auctoritate: cum igitur ſuprà *tit.* 2. *part. altera* diſſeruimus, viri poteſtatem ad delicta non pertingere, ac in delictis conticeſcat maritalis poteſtas, conſequens eſſe videtur, una ſilere hunc ejuſdem effectum, ne nimirum in criminalibus mulier ſine marito ſit in judicio. Idque in tantum putant obtinere Doctores, ut in actione injuriarum excipienda, quæ hodie ferè civiliter intentatur, fiſco in partes non veniente, auctoritatis adhibitionem inſuper habeant. Boget. *d. loc. num.* 8. Papon. *d. l.* 7. *tit.* 1. *arreſt.* 10. *in annotat.* Quamvis criminali judicio, ut experiatur, aut accuſet nupta, non æquè permittant. Papon. *de jure & ſtat. homin. arreſt.* 23. Imbert. *in Enchirid. in verb. Auctorité,* adeoque & injuriâ affectæ ita demum vindicandi jus attribuant, ſi maritus interpellatus auctoritatem impartiri detrectet, ita tamen; ut tum judicis auctoritas marita-

Digitized by Google

TITULUS QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

An tollatur aut circumſcribatur maritalis poteſtas antè matrimonium?

VXoribus tametſi obſequii gloria relicta ſit, antiquum tamen & vetus eſt, ut in jura maritorum involent, imprimis quibus ab ampla dote pectus amplius eſt:

Nam quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri;
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

Quid igitur? ſi pudoris, & ſexus oblita mulier imperium in maritum ſibi tabulis antenuptialibus adſcripſerit, adeoque turbato naturæ ac Dei ordine pepegerit, ut ipſa non in viri, ſed vir è contra in ſua poteſtate foret, vel quod minus videtur, ne ſaltem viro ſit ſubdita, aut ejus in ſe caput cogatur agnoſcere. Et quidem Bodinus *de Repub. lib. 1. cap. 3. in fin.* non dubitat eo modo in contrahendis nuptiis uxores aliquando ſtipulari conſueviſſe: nec malè ſentit pugnare hujuſmodi pacta cum legibus divinis & humanis, omnique honeſtate, adeoque ferenda non eſſe, ut maximè juramento forent roborata. Certè ſi jure noſtro reprobetur pactio, ne inter conjuges judicium de moribus locum habeat

L. 5. ff. de pact. dotalib. Si is, qui in tradendo dixerit ſe ſolum ſine ſuperficie tradere, nihil proficiat, quo minus & ſuperficies tranſeat, quæ natura ſua ſolo cohæret. *l.* 44. §. 1. *ff. de ob & act.* Si pactum inefficax ſit, quod vult filium, qui ſuis ſit ſuum non eſſe *l. ius agnat. ff. de pactis.* Ne ſit liber vel ingenuus, qui liber vel ingenuus eſt, aut ſervus, ne ſit ſervus *l. ingenui C. de ingenuis manumiſſ.* Quæſo, qui ſuſtineretur illa pactio, quæ bonos mores planè pervertit, qua cavetur, ut ea, quæ nubit viro, non ſit viri, vel ut qui dominus evadit, non ſit dominus?

III De viri in uxorem poteſtate in univerſum aſſumenda, vel transferenda hæc dicta ſunto. Quid ſi pactis hæc egerit uxor, ut in nonnullis duntaxat rebus ſui permaneat arbitrii, ſilere in iis juſſa mariti poteſtate? Cùm imperium maritale juris ſit naturalis, fruſtrà mulierem eſſe dixeris: cum jura naturalia divina quadam providentia conſtituta, firma atque immutabilia perdurent §. 11. *inſt. de iure natur. gent. & civili.* Verum rectè notatum eſt, in totum à jure naturali recedi non poſſe, nec per omnia juri naturali ſervire jus civile, ſed plerumque ei addere aliquid aut detrahere, prout communis utilitas, aut conditio exegerit. Vid. doctiſſ. Vinn. *ad d.* §. Juris naturæ præceptum eſt. Uxores maritorum poteſtati ſubjectæ ſunto. Itaque pactum, ne viris ſubditæ ſint, tanquam juris illius everriculum, nullius momenti eſt. In particularibus autem juris naturalis effectibus aliquid vel lege, vel pacto derogari, nihil eſt impedimento. Lex enim civilis, quanquam nihil in univerſum poteſt præcipere, quod jus natu-

rale

rale prohibet, aut prohibere, quod præcipit: poteſt tamen libertatem, ſeu poteſtatem naturalem circumſcribere, & vetare ſubinde, quod naturaliter licebat, adeoque jus naturale ad ſoli ſui genium accommodare, inconcuſſo manente ipſo naturæ fundamento. Hæc ita generatim dixiſſe ſuffecerit; nec enim hodie fert animus ad particulares hypotheſes deſcendere; quod materiam pactorum dotalium in genere, ac cohærenter libro ſecundo tractare in animum inducamus.

Quid autem? ſi pacto antenuptiali convenerit, ne debitis ſtante matrimonio contrahendis, teneatur uxor? pactio quidem illa non oberit creditoribus, recipiet tamen aliunde mulier ex bonis mariti, ſi quid eo nomine ſibi adfuerit, tradentibus Peck. *de iure ſiſt. cap.* 4. *n.* 10. *verſic. ſecundo arreſtari.* Mornac. *ad l.* 65. §. 5. *ff. pro ſoc.* Goris *Adverſar. tract.* 1. *c.* 4. *n.* 18. & 19 Ioan. à Sand. *Deciſ. Friſicar. lib.* 2. *tit.* 5. *Defin.* 8. *verſic. ſi mulier.* Quid igitur? ſi tabulæ antenuptiales publicatæ fuerint? Conventionem etiam creditoribus obſtituram aſſerit Sand. *d. loc.* Dubitanter autem Goris *d. loc.* Mihi comprobanda ea opinio videtur. Neoſtadius quidem jus Romanum apud Hollandos olim in uſu fuiſſe putat, quo mulieribus dotes reſtituebātur ſalvæ, ac poſteà cùm frequentari cepiſſent conventiones communionis bonorum, id quod ut plurimum contrahentes ſtipulabantur, etiam omiſſum ex tacita contrahentium voluntate, pro expreſſo habitum fuiſſe. Unde nullam creditoribus inferri injuriam autumat, ſi præter eorum opinionem ad jus civile, unde conſuetudo pacto diverterat, pacto rurſus redierint conjuges: ita ferè *obſervat. dotali.* 9.

Digitized by Google

Verum ut maximè Neoſtadianis præmiſſis conſtaret veritas, de quibus ut dubitem, faciunt ea, quæ ex Grotio, ſtupendæ eruditionis viro, ſuprà in Præliminaribus de origine ac progreſſu juris conjugalis diſſeruimus, non efficitur tamen quod inde aſſeritur: deſcenderit enim antea ex pacto conjugalis communio, cùm tamen hodie evaſerit illa in jus commune, quis non videt permanere vim argumenti, quod ferè in contrarium adduxerat ipſemet Neoſtadius, pacta nimirum dotalia privatæ eſſe ſcientiæ, nec ad eos pertinere, ad quorum notitiam non pervenerunt, adeoque non adſtringere alios, niſi propalam facta, ac quodammodò in propatulo poſita fuerint; ut quemadmodum juris ipſius notitia publica eſt, ita & ejuſdem derogatio publicè innoteſcat, facilè alioquin circumveniendis creditoribus, qui, quid inter virum & uxorem contractu arcano convenerit, neſciant. Fruſtrà eſſe videtur qui huc detorqueat, debitorum pactionibus creditorum actiones nec tolli, nec immunui poſſe, nec iiſdem derogari juri publico, & ſiqua ejus notæ plura congeſſit Goris *d. loco*. Id enim ipſum ſi ad noſtram aptaveris ſpeciem, ſequeretur nec publicatis aut propalam factis pactionibus, huic juri occurri poſſe. Quare dicendum, jus illud eſſe privatum, nec tolli jus alicui jam quæſitum, ſed occurri quærendo, adeoque præpediri duntaxat, ne creditoribus jus novum acquiratur: & quemadmodum conſtante matrimonio promulgatâ efficitur ſeparatione, ne deinceps ex alterius contractibus in alterum conjugem creditoribus actio quæratur, ita & antè matrimonium eidem rei obviam

obviam poſſe iri rationis eſſe videtur. Vide eundem Neoſtad. *de Pact. dotalib. obſ.* 21. *verſic. hiſce tutores.* Quare, cum nihil aliud ſit impedimento, quo minus creditores perinde ac contrahentes obligentur, quàm quod arcana aliorum geſta ignorantes decipi non oporteat, conſequens eſſe videtur tolli id impedimenti, ſi publicè exponantur, quæ pacta fuerant intra penetralia Veſtæ. Verum tentari poſſit, an non ſuffecerit in acta publica referri tabulas, ſeu, ut loqui mos eſt, regiſtrari, eadem ratione, ac fideicommiſſa, in acta relata, proſunt, nocentque omnibus, præcluſâ omni ignorantiæ viâ? Verum cum pactorum dotalium vi ac efficacia in univerſum Libro ſequenti diſſerere in animum induxerimus, plura hic non perſequar; ſi illud unum addidero, in ſchedas obſervatorias ab aliis regeſtum me vidiſſe, quod exigens à viduæ hæredibus debitum antè matrimonium à viro contractum, tulerit à Curia noſtra repulſam; tum propterea quod actis publicis inſinuatæ eſſent tabulæ dotalitiæ, tum quod creditor, idemque actor, pactorum celebrationi fuiſſet præſens, adeoque probè conſcius ejus clauſulæ, quâ convenerat, ne alter alterius debitis eſſet obnoxius, inſinuatione forſan per ſe illud non effectura. *in Aprili 1637. tuſſchen Mr. Bruno Portengen nomine uxoris mede erfgenaem van Mr. Hendrick van Detten, ende de Erfgenamen van Maria Rodius Weduwe van Steven van Reumelaer.* Verum quid inter hanc, & ſpeciem à me propoſitam intercedat diſcriminis, libro ſequenti, ſi Deus annuerit laboribus, aperiam.

Digitized by Google

TITULUS QUARTUS.

CAPUT ALTERUM.

De tollenda, vel circumſcribenda poteſtate maritali ſtante matrimonio.

DIximus pauca de maritali poteſtate tollenda vel circumſcribenda antè matrimonium. Pauciora, aut nihil potiùs dicemus de eo quod fit ſtante matrimonio; quod is locus propriè ſpectet ad materiam ſeparationis bonorum, aut ſaltem eidem planè ſit annexus. Quare hic mihi prioris Libri finis eſto, daturo vobis alterum, ſi Deus vitam ac vires ſuffecerit, nec mea ſperni intellexerim.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM,

Quæ hoc Tractatu continentur.

A.

ALienatio facta à marito improli apud Vltrajectinos, an ſit nulla in totum? Pag. 236.
Et quid ſi emptor agat, quanti interſit rem habere? Ibid.
Anna Maria à Schurman laudatur. 3.
Appellationes olim receptæ à judicio civitatis patriæ, juxtà Hedam. 10.
Arborum uſusfructus qualis? 292.
Argentreus laudatur. 15.
Arreſto an detineri poſſit mercatrix nupta? 344.
Arreſto detineri an poſſit parens à filio ſine venia? 350. & ſeqq.

B.

BOna dividuntur ex lege loci, ubi ſita ſunt? 34. & 35.
Bona feudalia an vendere liceat marito, ut ita pretium cedat communioni? 280.
Boothius vid. Cornelius Boothius.
Burgundicum jus quis apud Trajectinos induxerit? 9.
Burgundus laudatur. 15. & 23. 24.

C.

COmmunio bonorum conjugalis perdurat, licet eo loci demigraverint conjuges, ubi illa non agnoſcitur. 121.
Quid ſi tum expreſſim eam reſolverint conjuges? 123.

Com-

Digitized by Google

Communio bonorum qua pactitia, qua conſuetudinaria an locum habeat in bonis alterius territorii, ubi illa non obtinet? 81. & ſeqq.
Communio bonorum conjugalis, quâ Hollandi ac noſtrates utuntur an à Germanis. 6.
Communioni an cedat pretium, redactum è venditione feudalium? 280.
Communionis ſtipulatio an comprehendat lucrum ſtatutarium? 165.
Compenſatio non fit legati uxori à viro relicti, cum eo quod ſtipulata eſt illa pactis antenuptialibus. 243.
Concubinæ quî legare, donare poſſimus? 256.
Condictio indebiti an competat mulieri, aut marito, de eo quod illa hoc inſcio ſolverit & promiſerit? 190. & ſeqq.
Confeſſio aut declaratio conjugum quid operetur, ſi prohibita ſit inter eos gratificatio. 276.
Conjugalis munificentia quâ ratione vetita apud Vltrajectinos? 244
Favorabiliſne ea, an odioſa? 247.
Coniuges an opus habeant litteris licentiæ, ut ſibi invicem conſtituant uſumfructum? 307.
Coniuges an poſſint legata dare mutui uſusfructus praiudicio? 310.
An donare inter vivos? 311.
Conjuges an poſſint tranſigere, ſi prohibita ſit gratificatio? 273.
An renuntiare lucris quaſitis, vel quærendis. 274.
An aliter contrahere? 274.
Conjuges an poſſint vetare hæredibus, ne ſine conſenſu ſuperſtitis res alienent? 297.
Conjuges an ſibi invicem donare poſſint, ſi acceſſerit hæredis conſenſus? 277.
Coniuges an ſibi invicem relinquere poſſint bona feudalia? 181.
Coniuges an ſibi invicem uſumfructum conſtituere poſſint diverſis temporibus? 308.
Coniuges exteri an teneantur ſtatuto prohibitorio, quoad bona apud nos ſita? 259.
Coniuges exteri, quorum uni apud nos bona ſunt, alteri non ſunt, an validè ſibi invicem legent mutuum uſumfructum? 287.

Con-

Coniuges inter prohibita gratificatione, an legare liceat vel addicere alteri res alias invicem vel recompenſam alienatarum? 281.

Coniuges inter antenuptialis ſtipulatio, ne debitis ſtante matrimonio contrahendis teneatur uxor, non obeſt creditoribus. 359

Coniuges Hollandi, relictis ſibi invicem bonis, poſtmodum demigrant Vltraiectum, irritatur liberalitas, contra Peckium. 116.

Coniuges Hollandi ſibi invicem bona relinquere non poſſunt ſita Vltraiecti. 70. & ſeqq.

Coniuges putativi an teneantur ſtatuto ne coniux coniugi donet, leget? 255.

Coniuges ſi ſtipulati ſint, ut liceret ſtante matrimonio ſibi invicem gratificari, an ſubſiſtat prædiorum Traiectinorum donatio? 144. & 283.

Coniuges thoro & bonis ſeparatos, an teneat ſtatutum coniugalis munificentiæ prohibitorium? 257.

Coniuges Vltraiectini ſibi invicem relinquere poſſunt bona conſtituta in Hollandia. 72.

Coniuges Vltraiectini quid ſi pepigerint, ut Hollandico iure ſemet inter uterentur? 143.

Coniugi an liceat legare Pecuniam ſuperſtiti, ut ea erogetur in pauperes? 298.

Coniugibus an liceat ab uſufructu univerſaliter conſtituto aliquid excipere? 301.

An liceat uſumfructum dare in certa bonorum quota? 302.

An in certo bonorum genere? 303.

An particularem? 305. 306.

An rerum quas habent coniuges impræſentiarum? 306.

An omnium exceptis hereditatibus obventuris? 306.

An ſi pactum ſit ne liceret dare uſumfructum. 307.

Coniugibus an liceat ſibi invicem donare uſumfructum, ſi ſtipulati ſint pactis antenuptialibus ne liceret? 147. 148.

Coniugibus apud Traiectinos pactum antenuptiale mutare non licet, nec apud Hollandos quoque, niſi ultimâ voluntate. 134.

Coniugum alteri an liceat apud Vltraiectinos legare uſumfructum quoad vitam ſuperſtitis, alteri uſque ad ſecundas nuptias? 279. 280.

Digitized by Google

Coniugum alter ſi careat bonis, an poſſint ſibi invicem mutuum apud nos conſtituere uſumfructum? 285.
Conjugum alter an poſſit revocare uſumfructum? 309.
Conjugum uſusfructus reciprocus an ſubjaceat legi Hâc Edictali? 271
Conjux an conjugi donare, legare poſſit adipiſcendi honoris cauſa? 268.
An remunerandi?
Conjux an conjugi relinquere poſſit apud Vltraiectinos uſumfructum in rebus fideicommiſſariis? 275.
Coniux an de bonis alterius diſponere poſſit cum eius conſenſu? 296.
Coniux an poſſit liberos prioris matrimonii heredes inſtituere, eo loci, ubi prohibetur coniugalis munificentia? 259.
An ſocerum, vel ſocrum? 260.
Coniux miles an poſſit coniugi donare, legare? 250.
Conſenſus heredis an firmet prohibitam coniugum donationem? 277.
Conſenſu alterius coniugis an liceat alteri de eius bonis diſponere? 296.
Contrahere an liceat inter ſe coniugibus, ſi prohibita ſit gratificatio? 274.
Cornelius Boothius laudatur. 11.
Creditoribus de proprietate contendentibus, cuius loci ius ſpectandum. 92. & ſeq.
Curatore herede à minore inſtituto in immobilibus, qui maior deceſſit, an convaleſcat inſtitutio? 120.
Curia Provincialis apud Traiectinos quando erecta, quomodo comprobata? 11.
Coniux coniugi ſi prohibitum ſit legare; an exteri teneantur de reditibus à Statuti conditoribus legitimè profeſſis? 38.

D.

Domicilium an liceat viro mutare, ſi pactum ſit ne mutetur? 151.
An ſi pactum ſit ne migret in certum aliquem locum? 152. 153.

Et

Digitized by Google

Et quid ſi interfuerit mulieris alio non abduci? 154.

Domicilium an mutare poſſit maritus in diſpendium uxoris? 108.

Domicilio mutato, mutatur una ius ſuccedendi ab inteſtato mobilibus. 111.

Domicilium ſi mutaverit tutor, an ſuccedatur pupillo ex moti domicilii legibus? 112.

Domicilium ſi quis eo loci tranſtulerit, ubi ex lege loci minor eſſet, an deſinat eſſe maior? 109.

Domicilium, ſi quis pluribus habeat locis, ex qua lege ſuccedatur eius mobilibus? 35. 36.

Domicilio tranſlato eo loci, ubi communio bonorum non obtinet, non extinguitur prior. 121.

Et quid ſi ibi expreſſim eam reſolverint coniuges? ibid.

Domicilio tranſlato eo loci, ubi in teſtando alia deſiderantur ſolennitates, teſtamentum alibi conditum non irritatur. 114.

Et quid ſi teſtamentum iure ſingulari ſit conditum, & demigraverit teſtator eo loci, ubi iure communi ſit teſtatio? 115.

Domicilio tranſlato eo loci, ubi vetita inter coniuges liberalitas, irritatur facta alibi gratificatoria diſpoſitio, contra Peckium. 116.

Donare an poſſit maritus præiudicio uxoris? 206.

Donatione inter coniuges prohibitâ; an alter de alterius bonis diſponere poſſit cum eius conſenſu? 296.

An vetare hæredibus, ne ſine conſenſu ſuperſtitis res alienent? 297.

An legare pecuniam ſuperſtiti, ut eam erogaret in pauperes? 298.

Donationem inter coniuges prohibitam an firmet hæredis conſenſus? 277.

Donatione inter coniuges prohibitâ, an liceat donare, legare honoris adipiſcendi cauſa? 268.

An remunerandi? 370.

An inter ſe tranſigere? 273.

An renunciare lucris quæſitis, vel quærendis? 274.

An ullo modo contrahere? 274.

Donatione inter coniuges prohibitâ, an alteri liceat uſumfructum legare

legare quoad vitam ſuperſtitis, alteri uſque ad ſecundas nuptias? 279. 280.
An liceat legare res in locum alienatarum? 281.
An bona feudalia? 283.
An renuntiare hæreditati, quæ deinde perventura ſit ad uxorem? 284.
Donatione inter coniuges prohibitâ, an paciſci liceat pactis antenuptialibus, ut liceat donare? 144. & ſeqq.
Donatione inter coniuges prohibitâ, an ſupplebitur ex bonis aliunde ſitis, ubi licita eſt gratificatio, ſi ſibi invicem bona relinquerint. 146.
Donatione inter coniuges prohibitâ an teneatur coniux miles? 250.
Sponſus? 251.
Qui ſe pro coniugibus habuerunt? 255.
Liberi prioris matrimonii? 259.
Gener reſpectu ſoceri vel ſocrus? 260.
Donatio inter coniuges prohibita apud Hollandos, iuxtâ ac Vltraiectinos; teſtamentaria verò gratificatio apud illos permiſſa, apud hos illicita, extra mutui uſusfructus cauſam. 242. 243.
Donatione inter coniuges prohibita etiam exteri tenentur, quoad bona apud nos ſita. 259.
Donationis inter coniuges prohibitio favorabilis, an odioſa? 247.
Donatio inter coniuges quâ ratione moribus prohibita? 244.
Donatione inter coniuges prohibitâ, quid operetur confeſſio coniugis? 276.
Dos data à marito conſanguineo ſibi ſucceſſuro, an uni marito imputanda? 213. & ſeqq.
Dos data à marito liberis prioris matrimonii, an imputanda dotanti, an ſocietati. 209.
Dos quomodo exigatur, ſi pactum ſit; ut ſecundum conſuetudinem loci alterius præſtetur? 142.
Dotalitii Iura à quo loco metienda? 123. & ſeqq.
Dotalitii ſtipulationem quid ſi ſcriptum ſit pertinere ad bona alterius territorii, dotalitium neſcientis. 147.
Dotem dare an poſſit uxor ſine marito? 221. & ſeqq.
Dotis cauſa an alienet maritus improlis apud Vltraiectinos? 230.

E. Em-

Digitized by Google

E.

EMphiteuta an teſtetur ſine licentia litteris ? 65.
Emphiteuta non teſtatur ad pias cauſas, ſine conſenſu domini, ex pacto requiſito ? 66.
Executrix an poſſit eſſe mulier maritata ? 327.

F

FEudalia an coniux coniugi liceat relinquere ? 283.
Feudalia an vendere liceat marito, ut ita pretium cedat communioni ? 280.
Fideicommiſſaria res an uſufructu tenus apud Vltraiectinos poſſint à coniugibus ſibi invicem relinqui ? 375.
Fideijuſſor, pro nupta acceptus Vltrajectina, an obligetur ? 185.
An pro Batava ? ibid.
Fraus quando præſumatur interveniſſe, ſi gener ſocerum hæredem ſcripſerit ? 262. & ſeqq.
Fraus quomodo probetur inter perſonas extraneas ? 262. & ſeqq.
Quomodo inter conjunctas ? 267.

G.

GElris de bonis Vltraiecti ſitis teſtari licet. 74.
Gelria an olim feudum imperii ? 7.
Gener an ſocerum vel ſocrum poſſit hæredem inſtituere ? 260. & ſeq.
Grotius laudatur. 360.

H.

HEnricus Moreelſe laudatur in præfat. & pag. 65.
Hæredes ſcripti à teſtatore, quos iure ſibi hæredes eſſe oporteret, an accipiendi, quos vocat ordo ſuccedendi ab inteſtato, inductus pactis parentum antenuptialibus, an verò qui per legem loci ſunt proximi ? 138.
Hæredibus inſtitutis quos habiturus eſſem ab inteſtato, quales vocaverim ? 45. 46.
Hæredis conſenſus an firmet prohibitam inter coniuges donationem ? 277.
Hæreditatem an adiri poſſit uxor ? 222.
Hæreditatem an apud Vltraiectinos adire poſſit maritus improlis ? 223.

 An

An dividere? 230.

An repudiare? 233.

Hæreditati an liceat renuntiare, quæ deinde perventura ſit ad uxorem? 284.

Honoris adipiſcendi cauſa an liceat coniugi donare alteri vel legare? 268.

Hugo Grotius vid. Grotius.

Hypothecam an diſſolvere poſſit maritus improlis apud Vltraiectinos? 231.

I.

IVs Burgundicum quis apud Traiectinos primum invexerit? 9.

Ius maritale à Deo, ac iure naturæ. 2. 3.

Ius maritale quomodo ex Iure civili? 5.

Ius maritale pinguius tutoris aut curatoris poteſtate? 200.

Ius repræſentationis ſerò demum apud nos nepotibus datum? 6.

Ius ſuccedendi ab inteſtato mutatur una cum domicilio, quoad mobilia. 111.

L.

LEgali hypotheca an obligentur bona mariti improlis, eiuſdemque tutoris? 231.

Legatum datum uxori non compenſatur cum eo, quod à viro ſtipulata eſt pactis antenuptialibus. 243.

Legatum, quod dederit teſtator privata ſcriptura, non valet; ut maximè teſtator precedenti teſtamento ſcripſiſſet velle ſe rata eſſe, quæcunque ad cùm modum daturus eſſet. 140.

Legitimæ detractio parentibus, nec ſuo, nec liberorum nomine competit, ſi pactum ſit, ut bona redirent ad latus, unde venērunt? 134. & ſeqq.

Lex Hâc edictali an locum habeat in reciproco coniugum uſufructu? 271.

Liberi prioris thori an poſſint à vitrico vel noverca hæredes ſcribi, eo loci ubi prohibetur coniugalis munificentia? 259.

Licentiæ litteris an indigeat teſtans in piæ cauſæ favorem, aut inter liberos? 64.

Digitized by Google

Licentiæ litteris an opus habeat Vltrajectinus, teſtans extra locum domicilii, de bonis in eo ſitis? 61.
Licentiæ litteris quomodo vaſallus habeat opus? 66.
Licentiæ litteris non indiget qui teſtatur de bonis extra Provinciam ſitis etiam in judicio? 61. 62.
Licentiæ litteris opus habet, qui apud iudicem civitatis aut pagi teſtatur de bonis extra eiuſdem territorium conſtitutis? 53. 54.
Qui teſtatur coram Curia de mobilibus? 54.
Coniux coniugi relinquens uſumfructum apud iudicem ſui pagi; vix autem coram iudicio Vltraiectenſi? 55. & ſeqq.
Licentiæ litteris quomodo indigeat, qui teſtatur de agro emphiteutico? 63.
Lis ſuper maxima bonorum parte ſeparationi inter coniuges cauſam præbet? 109.
Lucrum quod coniux ſuperſtes apud nos iure præcipui capit, à quo loco metiendum? 128.
Lucrum ſtatutarium an comprehendatur ſtipulatione communionis? 165.

M.

Maiores fiunt fictè, vel verè, & illo quidem modo per munus publicum, ætatis veniam, & matrimonium? 172. & ſeqq.
Maior Vltraiectinus an alienet bona apud Hollandos ſita? 31.
Maritalis poteſtas viri an mulieris contemplatione comparata & cui fini? 183.
Mariti conſenſu an opus habeat mulier patrona. 201. 202.
Mariti in uxorem imperium à natura iuxtà ac inſtituto divino. 2. 3.
Mariti poteſtas circa venditionem, hypothecæ conſtitutionem, ac alienationem immobilium apud Vltraiectinos. 80. & ſeqq.
Mariti, quam olim poteſtatem apud Gallos, Germanos, ac Romanos habuerint? 7.
Mariti minores an ius habeant alienandi? 170. & ſeqq.
Mariti ratificatio æquipollet eius mandato. 220.
Mariti ſcientia ſufficit ut valeat iudicium à muliere ſuſceptum. 328.

Mariti uxores dominas compellant, malo more. 353.
Marito abſente, furioſo, an contrahat mulier? 221.
Marito an liceat mutare domicilium, ſi pactum ſit ne mutet, ne in certum aliquem locum mutet? 152.153.154.
Marito an renuntiare liceat hæreditati, quæ deinde perventura ſit ad uxorem? 284.
Marito inſcio an uxor poſſit dotare? 221.
Marito poteſtas in uxorem pacto in univerſum non poteſt abrogari. 357.358.
Marito ſemper datur repetitio eius, quod uxor ſe inſcio promiſit & ſolvit. 190. & ſeq.
Maritorum ius pinguius tutoris aut curatoris poteſtate. 201.
Maritum captivum redimendo uxorem poſſe contrahere. 221.222.
Maritus an domicilium mutare poſſit diſpendio uxoris? 108.
Maritus an ex conſenſu coniugis diſponere poſſit de eiuſdem bonis? 296.
Maritus an obliget uxorem in delictis? 313. & ſeq.
Quid ſi gravius ſit admiſſum? 314.
Quænam ſit ratio, cur uxor teneatur ex admiſſo mariti? 315.
Quomodo ſententia ſtante matrimonio mandanda executioni? 317.
Quid ſi mulcta tranſcendat bona uxoria? 318.
Quid ſi mulcta deſcendat ex cauſa civili? 320.
Maritus an obliget uxorem ex iis, quæ Venere diſſipavit aut Baccho? 204.
An ex fideiuſſione, donatione? 206.
Maritus an revocare poſſit conſenſum præſtitum uxori? 329.
Maritus an vendere poſſit feudalia, ut ita pretium cedat communioni? 280.
Maritus ex lege domicilii contrahendo uxorem non adſtringens, non obligat eandem contrahens alibi, ubi ſtatuta maritalibus debitis uxores involvunt. 130.131.
Maritus improlis an apud Vltraiectinos hæreditatem adire poſſit? 223.224.
An reditus debitos ab Ordinibus legitimè profeſſos alienet? 229.

Digitized by Google

An bona in Hollandia ſita? 229. & ſeq.
An diviſionem poſſit hæreditatis inire? 230.
An ſervitutem imponere? 230.
An alienare cauſa dotis? ibid.
Quid de hypotheca legali? 231.
An hypothecam diſſolvere? ibid.
An omittendo excidat rebus immobilibus? ibid.
An committendo? 232.
An repudiet hæreditatem? 233.
An tranſigat de re immobili? 234.
Quid ſi alienationem uxor ratam habuerit? 234. & ſeq.
Si alienaverit, an alienatio ſit nulla in totum? 236.
Quid ſi emptor agat quanti interſit rem habere? ibid.
Maritus an in fraudem uxoris poſſit donare? 208.
Maritus an nomine uxoris agere poſſit, invitâ eâ? 349.
Maritus qui obligetur ab uxore, quæ debitori ſolum vertenti tulit opem? 318.
Maritus quomodo obliget uxorem per contractum? 200.
Maritus ſi dotaverit liberos prioris matrimonii, an ſolvenda dos ex mariti duntaxat bonis, an imputanda ſocietati? 209.
Et quid ſi liberi paternæ hæreditati abſtineant? 212.
Maritus ſi dotem dederit conſanguineo ſibi ſucceſſivo, an id imputandum ipſi dotanti? 213. & ſeq.
Maritus ſi emerit bona ſita in Hollandia, quæ deinde legat uxori, an impingat in prohibitam coniugum gratificationem? 294.
Maritus Vltraiectinus validè citra uxorem alienat res Hollandicas? 78. & ſeqq.
Maritus ut uxorem obliget non à communione, ſed jure maritali eſt? 200.
Maritus vid. Vir.
Mater vidua facta, ſi ſit minorennis, an habeat tutelam liberorum? 170. 171. & ſeqq.
Matrimonio maiores facti, an capeſſant tutelas aliorum? 171. 172. & ſeqq.
Matrimonio quomodo nupta ſit major, quomodo maritus? 172. 173. & ſeqq.

Mattheus vid. Antonius Mattheus.
Mercatrix an alienet res ſoli? 237.
Mercatrix nupta an arreſto poſſit includi? 344.
Quomodo ſententia eo nomine lata mandetur executioni in maritum? 347. & ſeq.
Mercatrix nupta, quæ ſit minor, an poſſit conveniri? 348.
Miles an teneatur prohibitâ inter coniuges donatione? 150.
Minor apud Hollandos an alienet bona Vltraiecti ſita? 31.
Minor apud Hollandos non contrahit Vltraiecti, ubi maior eſſet? 29. & ſeq.
Major collocans domicilium alio loci, ubi per ætatem necdum eſſet major, fit iterùm minor? 109.
Minor coniugatus an ius habeat alienandi? 170. & ſeqq.
Minor Hollandus concedens habitatum Traiectum, ubi per ætatem eſſet maior, an tutela exeat? 110.
Minor prohibitus immobilia relinquere curatori, non rectè legat reditus à Provincia debitos? 39.
Minor, ſi ſcripto Curatore hærede, poſtmodum maior diem obierit, an convaleſcat inſtitutio? 120.
Mobilibus ex cuius loci lege ſuccedatur, ſi quis pluribus locis habeat domicilium? 34. 35.
Moreelſe vid. Henricus Moreelſe.
Mortis cauſa donare an liceat uxori, ſine viro? 241.
Mulier celebratis in Hollandia nuptiis ea lege, ut dotem ſalvam habeat, demigret cum viro Vltraiectum, ac ibidem contrahit æs alienum, an ex legibus novi domicilii à morte viri poſſit conveniri? 154. 155.
Et quid ſi rurſus repetierint Hollandiam, ibique vir moriatur? 156.
Mulieres innuptæ olim curatore egebant, & alibi, in nonnullis, hodieque? 183.
Mulieres an apud Romanos remotæ à negotiatione? 216.
An olim apud Hollandos? ibid.
Mulieres rarò maritos dominos vocant? 352. 353.
Mulier nupta an ſine venia in ius vocet maritum? 350.
Mulier non ſtat in judicio, neſcio marito? 322.

An ſtet alieno nomine? 324.
An conſtituta procuratrix à marito? 325.
An tutrix? 326.
An executrix? 327.
An ſufficit mariti ſcientia? 328.
Quid ſi revocaverit maritus conſenſum? 329.
Quid ſi victrix ſit? 330.
Quid ſi recuſet maritus auctor fieri? 331.
Quid ſi tum ſuccubuerit mulier? ibid.
Quid ſi maritus bonis ceſſit? 333.
Separatus eſt ab uxore? 333. & ſeqq.
Abſens. 336.
Exul. 337.
Furioſus, mente correptus, aut prodigus ſit? 340. & ſeqq.
Munus publicum adeptis an ſubire liceat tutelas aliorum? 175.
Mulier vid. uxor.

N.

Nomina in ſucceſſionibus unde lege accipiant? 35.
Nomina Provincialia minor non legat curatori, cui vetatur relinquere immobilia. 39.

P.

Paciſci licet illicitum domi reditum foris, ubi talis reditus frequentatur. 163.
Pactis antenuptialibus licet donare bona coniugum ſuperſtiti. 147.
Pactis nonnullis diverſoriis, æquè atque antenuptialibus, licet apud Hollandos ordinem inducere ſuccedendi ab inteſtato. 161.
Pactum an valeat ut paternæ lineæ proximi, non pater pupillæ ſuccederet? ibid.
Quid ſi poſt pactum mutatum fuerit domicilium? 162.
Pater redimens maternam liberorum hereditatem poteſt iis modum præſcribere ſuccedendi ab inteſtato. 161.
Pacto licet maritalem poteſtatem circumſcribere. 358.
Pacto parentum antenuptiali certo introducto ſuccedendi ordine ab inte-

Digitized by Google

inteſtato, ſi ſcripſerint liberi hæredes, quos jure eſſe oporteret, *an vocati quibus ex pacto deferretur hæreditas, an quibus addicit eam lex ſucceſſionis ab inteſtato?* 138.

Pactum antenuptiale apud Hollandos licet mutare ultimâ voluntate, non contractu, apud nos neutro modo. 134.

Pactum antenuptiale, quo cautum eſt bona reditura ad latus unde profecta ſunt, non inducit fideicommiſſum, ſed ordinem duntaxat denotat ſuccedendi ab inteſtato. 133.

Pactum antenuptiale, quo cautum eſt ne uxor teneatur debitis ſtante matrimonio contrahendis, non obeſt creditoribus. 359.

Secus ſi tabulæ publicatæ fuerint. ibid.

Quid ſi in acta publica relatæ fuerint? 360.

Quid ſi creditor tabulis iſtis fuerit præſens? 361.

Pactum an valeat ne maritus citra conſenſum uxoris mutet domicilium? 151.

Nec certum aliquem in locum migret? 152.

Et quid ſi pœna ſit adjecta? 153.

Quid ſi interfuerit mulieris alium in locum non abduci? 154. 155.

Pactum mulieris ne ſit in viri poteſtate, vel ut ipſa virum habeat in poteſtate, non valet. 357.

Pactum ſi ſit alibi ubi ſtipulatio valet, ut ſors una exigatur cum uſuris, etiam apud nos ſors exigi poterit? 164.

Pactum ſi ſit ab Vltraiectinis conjugibus, ut Hollandico jure ſemet inter uterentur, an valeat mutua proprietatis donatio? 143.

Pactum ſi ſit eo loci, ubi prohibita coniugum gratificatio extra mutui uſusfructus cauſam, ne ſtante matrimonio eundem ſibi invicem relinquant coniuges? 147.

Pactum ſi ſit interpoſitum ab Hollandis, ut mulier dotem ſalvam habeat, an tuta ſit illa adverſus mariti creditores, quibuſcum contraxerit vir Traiectina in diæceſi, in quam domicilium tranſtulerant? 154. 155.

Et quid ſi repetito priori domicilio, maritus ibidem diem obierit? 156.

Pactum ſi ſit, ut dotalitii ſtipulatio pertingat ad bona ubicunque ſita, quid operetur? 147.

Digitized by Google

Pactum, ut dos exigatur iuxta conſuetudinem loci alterius, an valeat? 142.
Quid ſi pactioni repugnet locus rei ſitæ? ibid.
Pactum ut liceat coniugibus ſibi invicem gratificari, non obſtante prohibitoria loci lege, non valet. 144.
Pactum ut mulier lucretur dotalitium, quod per mores præfinitur, quos mores deſignet? 143.
Privilegia creditorum à quo loco metienda? 97. 98.
Procuratrix an poſſit eſſe mulier maritata? 325.
Prodigus domi declaratus nullibi contrahit, aut alienat? 32.
Pupillo an ſuccedatur ex novi domicilii legibus, quo pater cum eo conceſſit habitatum? 112.
Et quid ſi tutor id fecerit animo aliis hæreditatem intervertendi. 113.

R.

Ratihabitione uxoris an convaleſcat alienatio facta à marito improli? 234. 235.
Reciprocus uſusfructus quis dicatur? 285. 286.
Reditus ab Ordinibus legitimè profeſſos, quorum nomine hypotheca conſtituta eſt, non alienat Vltraiecti maritus illiberis? 228.
Reditus ab Ordinibus legitimè profeſſi dividuntur ex more loci, ubi debentur? 36. & ſeqq.
An vir eos leget uxori? 38.
Reditus hypothecâ innixi perpetui juxtà ac temporales annumerantur immobilibus? 36.
Redituum perſonalium, ſeu vitalitiorum qualis ſit uſusfructus? 288.
Remunerandi cauſa an liceat coniugi donare, legare? 270.
Renunciare coniugibus an liceat lucris quæſitis, vel quærendis? 274.
Renunciare an liceat hæreditati, quæ deinde perventura ſit ad uxorem? 284.
Revocare an poſſit coniugum quilibet uſumfructum, quem invicem apud Traiectinos conſtituerunt? 309.

S.

Servitutem an imponere poſſit maritus improlis apud Vltrajectinos? 230.

Solennitates teſtamenti obſervandæ, pro more loci ubi ordinatur, & quâ ratione id innitatur, contra Burgundum? 44.
Solennitates loci rei ſitæ an ſufficiat obſervare teſtanti extra eundem locum. 46.
Solennitates teſtamenti obſervandæ pro more loci, ubi ordinatur, & quâ ratione id innitatur, contra Burgundum? 44.
Solutio an tutò fiat uxori clam viro? 224.
Spiras olim deferebantur cauſæ apud Traiectinos terminatæ? 7.
Sponſus an teneatur probibitâ inter coniuges donatione? 251. 252.
Statuta quæ realia, quæ perſonalia, & num dentur mixta? 17. 18. & ſeq.
Statuta perſonalia ubique vim exerunt? 24.
Statutaria bonorum communio cuius effectus, aut naturæ? 25.
Statutum alterius territorii prædia non afficit? 23.
Statutum cuius loci ſpectandum in dirimenda creditorum de prioritate contentione? 92. & ſeqq.
In feudis, loci ne ſervientis, an Curiæ dominantis? 100. & ſeqq.
Statutum quod vetat contrahere cuiuſmodi? 25.
Statutum quod vetat alienare cuiuſmodi? ibid.
Statutum in res, ubicumque ſitas, ſcriptum forenſibus bonis legem non ponit, & quid ſi expreſſim reſiſtat ſtatutum loci rei ſitæ? 74. 75. 76.
Statutum ne coniux coniugi donet, quâ ratione innitatur? 244.
An favorabile, an odioſum? 247.
An comprehendat conjugem militem? 250.
An ſponſum? 251.
An eos qui ſe invicem pro coniugibus habuerunt, cum reverà tales non eſſent? 255.
An qui liberos prioris thori hæredes ſcripſerunt? 259.
An generum, qui ſocerum vel ſocrum inſtituit? 260.
An donata, legata, honoris adipiſcendi cauſa? 268.
An remunerandi? 270.
An tranſactiones? 273.
An renuntiationes lucri quæſiti, vel quærendi? 274.
An quoſvis contractus? ibid.

An

Digitized by Google

An ea, quæ legantur in vicem alienatorum? 281.
An bona feudalia? 283.
An renunciare hæreditati commodo uxoris, cui eſſet obventura. 284.
Statutum, ne coniux coniugi leget, reale eſt. 69.
Statutum Traiectinum ne coniux coniugi leget, an conſtringat exteros ratione redituum, quos Ordines Traiectenſes legitimè ſunt profeſſi? 38.
Stipulari licet, illicitum domi reditum, foris, ubi talis reditus frequentatur. 163.
Stipulari licet ut ſors una exigatur cum uſuris, ſi in loco contractus ſubſiſtat ea pactio? 164.
Sylvarum ac arborum uſusfructus qualis? 292.

T.

Tempus conditi teſtamenti, & obitus teſtatoris iuxtà ſpectatur in capacitate hæredis? 117. & ſeqq.
Terræ paluſtris qualis ſit uſusfructus? 290.
Teſtamentum condens extra locum rei ſitæ, iuxtà tamen eiuſdem ſolemnitates, an valeat? 46.
Teſtamentum condere licet coram ſeptem teſtibus, ubi coram Notario, binoque teſte ea condi conſueverunt 48.
An noſtrati, ita teſtanti, opus ſit licentiæ litteris? 49.
Qui teſtatur apud nos in piæ cauſæ favorem, aut inter liberos, non neceſſe habet adhibere licentiæ litteras 51. & *præcipuè?* 64. & ſeqq.
Teſtamentum non corruit, tranſlato eo loci domicilio, ubi aliæ ſolemnitates deſiderantur. 114.
Teſtamentum privilegiatum firmum manet, licet eo habitatum iverit teſtator, ubi jure communi ſit teſtatio. 115.
Teſtamento ſi ſcriptum ſit velle teſtatorem rata eſſe, quæcunque legata privata ſcriptura poſt eſſet daturus, legatum tamen non debetur. 140.
Teſtamentum conditur ſecundùm ſolennitates loci, ubi ordinatur. 44.
Teſtari non licet de bonis ſitis eo loci, ubi major, quam in loco domicilii, ad teſtandum ætas deſideratur. 76. & ſeqq.

Teſta-

Digitized by Google

Teſtari an liceat emphiteutæ, vaſallo, ſine conſenſu domini, ad pias cauſas? 65. 66.
Teſtari an liceat Vltraiectino in Geldria de rebus Vltraiecti ſitis & è contra? 78.
Teſtari licet uxori, viro non auctore. 241.
Trajectini Friſiacis olim legibus uſi. 6.
Traiectinis legibus lucem porrigunt Gallo-Belgicæ. 11.
Tranſigere an liceat coniugibus, ſi prohibita ſit gratificatio? 273.
Tranſigere de re immobili an poſſit maritus apud Vltraiectinos? 234.
Tutelas aliorum an adipiſcantur, qui matrimonio tutela ſua exierunt? 169. & ſeqq.
An nactus ætatis veniam? 175.
An poſitus in munere publico? ibid.
An vidua minorennis? 177. & ſeqq.
Tutor an habeat ius mutandi domicilii? 110.
Tutor, cui minor reliquit immobilia, qui non mutato teſtamento maior deceſſit, an ea capere poſſit? 120.
Tutore domicilium mutante, an pupillo ſuccedatur ex novi domicilii legibus? 112.
Quid ſi propterea mutaverit, ut in ſe hæreditatem derivaret? ibid.
Tutrix an poſſit eſſe maritata? 326.

V.

V*Aſallus delinquens mulctatus exercitio juriſdictionis feudalis, non ipſa juriſdictione?* 103. & ſeqq.
Vaſallus an teſtetur ſine licentiæ literis in cauſam pauperum? 64.
Vaſallus an teſtetur ſine licentiæ litteris ſi dominus ſubditus, non vaſallus fuerit? 66.
Venia ætatis ubique locorum effectum producit? 26.
Veniam ætatis adeptus non ſubit tutelas aliorum? 169. & ſeqq.
Venia agendi an hodieque ſit opus? 350. & ſeqq.
Venia agendi an opus habeat mulier agere volens in maritum? ibid.
Vidua minorennis vix gerit tutelas aliorum? 169. & ſeqq. & 177.
Vir an domicilium mutare poſſit diſpendio uxoris? 108.

Vir

Vir quid habeat poteſtatis in perſonam uxoris? 195. & ſeqq.
Vir, concedens habitatum in Hollandiam, an tantum teneatur pro dimidio, eius æris alieni nomine, quod apud Vltrajectinos contraxit? 159. 160.
Viri in uxorem imperium à natura iuxtà ac inſtituto divino? 223.
Vir Traiectinus illiberis an poſſit alienare ſine uxore res ſoli Hollandicas? 78. & ſeqq.
Vir vid. Maritus.
Vltraiectinæ civitatis morem ſequuntur ferè Provinciæ oppida? 10.
Vſuras illicitas foris licet ſtipulari, ubi illæ frequentantur? 163.
Vſumfructum an alteri coniugum legare liceat quoad vitam ſuperſtitis, alteri uſque ad ſecundas nuptias? 279. 280.
Vſusfructus an ſit reciprocus, ſi exterorum coniugum alter apud nos bona habeat conſtituta, alter non habeat? 287.
Vſumfructum an liceat ſibi invicem conſtituere conjugibus, ſi pactum ſit ne liceret? 307.
Vſumfructum an ſibi invicem conſtituere poſſint coniuges diverſis temporibus? 308.
Vſusfructus coniugum reciprocus an poſſit ab alterutro revocari? 309.
Vſusfructus coniugum reciprocus an ſubiaceat legi Hâc Edictali? 271.
Vſusfructus conſtitutio an requirat licentiæ literas? 307.
Vſumfructum mutuum an ſibi invicem validè apud nos conſtituant coniuges, ſi alter eorum careat bonis? 285.
Vſusfructus in rebus fideicommiſſariis non poteſt à coniuge ſuperſtiti relinqui? 275.
Vſumfructum in certa bonorum quota an coniugibus licitum eſt ſibi invicem conſtituere? 302.
An in certo bonorum genere? 303.
An particularem? 305. & ſeq.
An rerum, quas habent conjuges impræſentiarum? 306.
An omnium exceptis hæreditatibus obventuris? 306.
Vſusfructus mutui præiudicio, an poſſit dari legatum? 310.

An

Digitized by Google

An donare inter vivos? 311.
Vſusfructus quadruplici modo apud Vltrajectinos inter conjuges permiſſus? 300. & ſeq.
Vſusfructus quomodo teneat in reditibus perſonalibus, ſeu vitalitiis? 288.
Quomodo in terra paluſtri ſeu famelicoſa? 290.
Quomodo in ſylvis & arboribus? 292.
Vſumfructum rei an liceat legare, cuius tempore obitus teſtatoris uſusfructus adhuc eſt alterius? 298. 299.
Vſusfructus ſi ſit inæqualis in rebus, vel in quota? 311. 312.
Vſufructu univerſaliter conſtituto an liceat ab eo aliquid excipere? 301.
Vxor an conſentire poſſit ut maritus de ſuis bonis diſponeret? 296.
Vxor an luat una partem dotis, data à marito liberis prioris matrimonii? 209.
Vxor an obligetur ex iis quæ maritus Baccho aut venere diſſipavit? 204.
An ex iis quæ donavit vel fidejubendo perdidit? 206.
Et quid ſi fraudem ſuam donaverit maritus? 208.
Vxor an obligetur ex delicto mariti? 313.
Quid ſi mulcta tranſcendat bona uxoria? 318.
Quid ſi mulcta deſcendat ex cauſa civili? 320.
Vxor an poſſit adire hæreditatem ſibi delatam? 222.
Vxor an poſſit conveniri à creditoribus, quibuſcum maritus contraxit Vltraiecti, quo ex Hollandia migraverant coniuges, ut maximè ea lege contractum eſſet matrimonium, ut mulier dotem ſalvam habeat? 154. 155.
Et quid ſi repetito priori domicilio maritus ibidem diem obierit? 156.
Vxor an poſſit donare ſine marito? 221.
Vxor an poſſit in judicio procuratrix, tutrix eſſe vid. Mulier.
Vxori an poſſit maritus legare bona, quæ cum in finem emit, conſtituta in Hollandia? 294.
Vxor an poſſit virum convenire ſine venia? 350.
Vxor an repetere poſſit, quod neſcio marito promiſit, & ſtante matrimonio ſolvit? 190.

An

An apud Vltrajectinos? 190.191.
An reputat interuſurium medii temporis? 191.
An ſi ſolverit eo loci ubi in perpetua tutela &c. 192.
Vxor an ſtet in judicio ſine viro in criminalibus? 354.
An in cauſa injuriarum? 355.
Vxori an tutò ſolvatur clam viro? 224.
Vxoris commodo an liceat renuntiare hæreditati, quæ deinde ad eam ſit perventura? 284.
Vxori datum à viro legatum non compenſatur cum eo quod debetur ex contractu antenuptiali? 243.
Vxor domi citra virum non contrahens, aut alienans, nec alibi illud agit. 31.
Vxor eo loci cum marito habitans, ubi debitis maritalibus non tenetur, non obligatur à marito, alibi contrahente, ubi vir uxorem obligat. 131.
Vxori licet in nonnullis rebus particularibus circumſcribere maritalem poteſtatem. 358.
Vxor mariti abſenti, furioſi, eius qui bonis ceſſit, an poſſit contrahere? 221.
Vxor mercatrix an alienet res ſoli? 237.
An à viro ſeparata, vel ſi vir ſit furioſus, vel abſens? 238.
Vxor mercatrix obligat virum. 217.218.
Vxori minuta debita contrahere permiſſum. 219.
Vxor migrans cum viro alio, ubi in poteſtate viri maritatæ non ſunt & è converſo, an mutet ſtatum? 107.
Vxoris pactum ne ſit in viri poteſtate, vel ut ipſa virum habeat in poteſtate omninò nullum &c. 357.& ſeq.
Vxor, quæ apud Hollandos contraxit ſine viri authoritate & poſtmodum cum viro domicilium transfert Vltraiectum, an à morte viri poſſit conveniri? 159.160.
Vxoris promiſſio an teneat pro captivi mariti redemptione? 221. & ſeqq.
Vxor quæ ſolum vertenti debitori opem tulit qui obliget maritum? 218.
Vxoris ratihabitione an convaleſcat alienatio facta à marito improli? 234.

Vxor rectè teſtatur viro non auctore. 241.
An mortis cauſa donet? ibid.
Quid apud Vltraiectinos? 242.
Vxor ſi contraxerit æs alienum Vltraiecti, ſine viri auctoritate, an à morte viri teneatur, ſi poſtmodum demigraverit in Hollandiam? 155.
Vxor, ſi quid inſcio marito promiſerit, an diſſoluto matrimonio ultra ſortem conveniri poſſit in uſuras? 190.
Vxor ſi tabulis antenuptialibus pepigerit, ne debitis ſtante matrimonio contrahendis teneatur, an pactio oberit creditoribus? 359.
Quid ſi publicata fuerint; ibid.
Quid ſi in acta publica relata? 360.
Quid ſi creditor tabulis fuerit præſens? 361.
Vxor ut à viro obligetur, non communionis ſed juris maritalis effectus eſt? 157.
Vxor vid. Mulier.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SUMMA PRIVILEGIJ.

CAROLUS II. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus ac Potentiſſimus Belgarum Princeps, &c. Diplomate ſuo ſancivit, ne quis præter MARCELLI PARYS Typographi Antuerpienſis voluntatem, Librum, cui titulus *Rodenburgus de Iure Conjugum* infrà octo annos ullo modo imprimat, recudat, aut alibi terrarum impreſſum aut recuſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, diſtrahat, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit confiſcatione Librorum, & inſuper aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in Litteris datis Bruxellæ 30. Octobris 1675.

Signat

LOYENS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google